Sullivan & Schaefer,
ublishers and Printers,
60 BARCLAY ST.,
New York.

BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM
CONVENTUS
CIVIT. BENITIÆ
Lit. 264 232
Pl. A


Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/liberdecaeremoni0000unse

No. XIV. 19. Sumptibus et typis FR. PUSTET, Ratisbonæ. Déposé.

Consummatum est.

S. ALPHONSI M. DE LIGUORI

EPISCOPI, CONFESSORIS ET ECCLESIÆ DOCTORIS

LIBER

DE CÆREMONIIS MISSÆ

EX ITALICO IDIOMATE LATINE REDDITUS

OPPORTUNIS NOTIS AC NOVISSIMIS S. R. C. DECRETIS

ILLUSTRATUS

NECNON APPENDICIBUS AUCTUS

OPERA

GEORGII SCHOBER

CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS SACERDOTIS.

RATISBONÆ, NEO EBORACI ET CINCINNATII.

SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET,

S. SEDIS APOSTOLICÆ TYPOGRAPHI.

MDCCCLXXXII.

Quae jura a lege sunt, Editor sibi reservat.

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO DOMINO

DOMINICO BARTOLINI

S. R. E. CARDINALI

PRÆSIDI

SACRI CONCILII

LEGITIMIS RITIBUS COGNOSCENDIS

D. D. D.

EDITOR.

EMINENTISSIME AC REVERENDISSIME PRINCEPS!

Clementer, quæso, digneris acceptare dedicationem hujus opusculi, oculos a vilitate offerentis illud ad doctrinam et sanctitatem auctoris principalis convertens. Tractatur materia, cui vix alia comparari potest gravitate et dignitate, materia, quæ ad illam regiminis ecclesiastici partem pertinet, cui Eminentia Tua Reverendissima dignissime præest. Et certe non parum laboravi, ut lectores de omnibus decretis et decisionibus, quæ de sacrosancto Missæ sacrificio a Sancta Sede Romana in hunc usque diem emanarunt, certiores fiant. Ceterum si Eminentia Tua Reverendissima libellum istum

propitia mente exceperit, et Sua quasi auctoritate munierit, læta mihi spes affulget, fore ut uberrimi exinde fructus prodeant, quibus unice intendo ad Eucharistici nostri Dei gloriam.

Eminentiæ Tuæ Reverendissimæ

purpurum humillime exosculans

obsequentissimus servus

P. **Georgius Schober** C. Ss. R.

OPUSCULI ADPROBATIONES.

ADPROBATIO

REVERENDISSIMI PATRIS SUPERIORIS GENERALIS CONGREGATIONIS SS. REDEMPTORIS.

Librum de Cæremoniis Missæ, a S. Alphonso Congregationis nostræ Fundatore et Ecclesiæ Doctore conscriptum, ex italico idiomate in latinum translatum, annotationibus ex Decretis SS. Rituum Congregationis illustratum, atque appendicibus auctum a R. P. Georgio Schober ejusdem Congregationis sacerdote, duo theologi deputati examinaverunt ac probaverunt. Quare libenter, servatis servandis, ejusdem libri publicationem permittimus, eumque Congregatis nostris ad nostrarum Constitutionum tramitem commendamus.

Romæ, die 10. Decembris, festo Translationis Almæ Domus Lauretanæ, anno 1881.

(L. S.) **Nic. Mauron,** C. SS. Red. Sup. gen. et Rect. maj.

ADPROBATIO

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI DD. EPISCOPI RATISBONENSIS.

Opusculum, cui titulus: *S. Alphonsi M. de Liguori liber de Cæremoniis Missæ etc.,* singulari studio atque opera R. P. Georgii Schober C. Ss. R. elaboratum, libenter approbamus et nostræ diœcesis clero commendamus, sperantes istud ad sacrosanctum Missæ sacrificium digne ac decenter celebrandum plurimum esse collaturum.

Ratisbonæ, die 24. Februarii 1882.

(L. S.) † **Ignatius** Episc. Ratisbonensis.

ADPROBATIO

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DD.
EPISCOPI VARMIENSIS.

R. D. Georgius Schober Congregationis SS. Redemptoris Sacerdos librum eximium S. Alphonsi M. de Liguori de cæremoniis Missæ ex Italico idiomate latine reddidit, opportunis notis ac novissimis S. R. C. decretis illustravit necnon appendicibus auxit. Quod opus magna industria concinnatum ad sacram divini sacrificii liturgiam accurate perdiscendam sancteque obeundam valde accommodatum et perutile lubens approbo et commendo.

Frauenburgii d. XXVII. m. Febr. 1882.

(L. S.) † **Philippus** Episc. Varmien.

LECTORI BENEVOLO.

uanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missæ sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitaverit, maledictum in sacris Litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a christifidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur." [1]) Huic sacrosancti Concilii Tridentini præscripto obsequens, S. Alphonsus M. de Liguori non solum ipse cum omni reverentia et gravitate sacrum Missæ sacrificium celebrabat, Rubricasque exactissime observabat, sed etiam a subditis suis observari volebat. Quem in finem, munere episcopali S. Agathæ Gothorum fungens, jam senex sexaginta annorum librum aureum de Cæremoniis Missæ italico idiomate anno 1768 conscripsit, in quo ritus pro Missæ sacrificio præscriptus claro et succincto stylo juxta Sacr. Rituum Congregationis decreta et auctores probatissimos explanavit.

Ut autem hoc opusculum ab aliis quoque sacerdotibus linguæ italicæ ignaris legi posset, R. P. *Michael Haringer,* presbyter Congregationis Ss. Redemptoris, anno 1857. textum italicum sermone latino reddidit, atque adjectis notis et decretis S. R. C. illustravit. Ex quo tempore cum omnia hujus libelli exemplaria vendita et perplura S. R. C. decreta in lucem edita fuerint,

[1]) Conc. Trid. sess. 22. decr. de observ. in celebr. Miss.

Superiorum licentia et adprobatione hæc editio nova prodit, non quidem ut secunda sed ut prima editio. Nam tum translatio ex lingua italica multis in locis est emendata, tum adnotationes, in priori editione subjectæ, prorsus immutatæ et augmentatæ sunt.

Cum S. Alphonsus Rubricas Missalis generales non explicet, et ex tempore S. Doctoris multæ quæstiones a scriptoribus agitatæ suprema S. Sedis apostolicæ auctoritate decisæ et solutæ sint, huic editioni octo appendices adjectæ sunt, ut sacerdotes ea quæ sæpius occurrunt in diversis occasionibus ad manum habeant. Additur etiam Introductio, continens obligationem et observantiam Rubricarum, Missæ applicationem, præparationem ad Missam, reverentiam in celebratione ipsa et gratiarum actionem post Missam.

Argumenta, in adnotationibus atque appendicibus contenta, ex Missali Romano, proprio principio et fundamento Rubricarum pro Missæ celebratione, ex Cæremoniali Episcoporum, Rituali Romano [2]) et decretis Sacr. Rituum Congregationis [3]) ac probatissimis Auctoribus hauriuntur. Simulque sparsim adduntur loci ex theologia morali S. Alphonsi, qui Rubricarum obligationem illustrant.

Si, lector benevole, hoc labore proficies, obtestor, ne quid mihi ex ipso tribuas; si quid vero negligentius scriptum deprehenderis, memor conditionis humanæ benigne indulgeas; at quidquid boni in ipso inveneris, in gloriam et honorem Jesu Christi referas, qui per sacerdotum manus in s. Missæ sacrificio quotidie seipsum offert. Vale et in sacris mei memento.

Ratisbonæ in festo Epiphaniæ Domini 1882.

[2]) Editio Ratisbonensis a. 1881., a S. R. C. adprobata, quæ materias in titulos et capitula dividit.

[3]) Juxta editionem Romanam a. 1856. cum appendicibus novissimis usque ad anni finem 1877.

INDEX.

Introductio.

pag.

I. De obligatione et observantia Rubricarum Missalis et decretorum S. R. C. XIII
II. De Missæ applicatione facienda XVIII
III. De præparatione ad Missam instituenda XXII
IV. De reverentia in ipsa celebratione præstanda . . XXV
V. De gratiarum actione post Missam peragenda . . XXX

Cæremoniæ Missæ.

Caput I. Quid sacerdos facere debeat, antequam vestiatur 1
„ II. De ingressu ad altare 13
„ III. De initio Missæ 30
„ IV. De Introitu, Kyrie et Gloria 35
„ V. De Orationibus 39
„ VI. Ab Epistola usque ad Offertorium 54
„ VII. Ab Offertorio usque ad Canonem 60
„ VIII. A Canone Missæ usque ad Consecrationem . . 76
„ IX. De Canone post Consecrationem usque ad Pater noster 89
„ X. A Pater noster usque ad Communionem . . 93
„ XI. De modo administrandi Communionem infra Missam 107
„ XII. De Communione extra Missam, vel ante, vel post Missam distribuenda 116
„ XIII. De Orationibus post Communionem et de fine Missæ 122
„ XIV. De iis, quæ in Missis Defunctorum omittuntur . 128
„ XV. De Missa celebranda ante Ss. Sacramentum expositum 131
„ XVI. De Missa, quæ celebratur coram episcopo . . 136
„ XVII. De defectibus, qui in Missa committi solent . . 139

Appendices.

Appendix prima.
De Missa conventuali.

Caput I. De obligatione et modo celebrandi Missam conventualem 149
„ II. De duabus Missis conventualibus 157
„ III. De modo celebrandi duas Missas conventuales . 160
„ IV. De Hora celebrandi Missam conventualem . . 162

Appendix secunda.
De Missæ parochialis obligatione.

Caput I. Ex quo jure animarum pastores ad Missam pro populo tenentur? 165
„ II. Qui sub pastorum nomine comprehenduntur? . . 168
„ III. Quando parochi ad Missam parochialem applicandam obligantur? 171
„ IV. Estne obligatio applicandi pro populo personalis et realis? 177

pag.
Caput V. Quid dicendum de parocho, qui duas parochias regit? 183
„ VI. Quid de parocho, qui simul est canonicus? . . 185
„ VII. Quomodo Missa parochialis a parocho celebranda est? 187
„ VIII. Quid de binatione Missæ parochialis? . . . 188

Appendix tertia.
De Missis votivis.

Caput I. De Missis votivis solemnibus 193
„ II. De Missis votivis privatis 199
„ III. Quænam et quomodo Missæ celebrari possint votivæ 203
„ IV. De colore paramentorum adhibendo et ritu observando in Missis votivis 217
„ V. De Missis votivis Ss. Sacramenti in Oratione XL Horarum et in aliis expositionibus per annum . . 225
„ VI. De Missa votiva pro eligendo Summo Pontifice, in anniversaria creationis et coronationis ejusdem, et in anniversario electionis et consecrationis Episcopi 232
„ VII. De Missa votiva pro Sponso et Sponsa . . . 235
„ VIII. De Missa votiva B. Mariæ V. a sacerdote cæcutiente celebranda 242

Appendix quarta.
De Missis Defunctorum.

Caput I. De Missis pro Defunctis in genere 245
„ II. De Missa in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum celebranda 252
„ III. De Missa in die obitus seu depositionis et in die tertio, septimo et trigesimo dicenda 254
„ IV. De Anniversariis 265
„ V. De Missis privatis Defunctorum 269
„ VI. De absolutione ad tumulum 271

Appendix quinta.
De obligatione celebrandi Missas votivas et de Requie.

Caput I. De obligatione celebrandi Missas votivas . . 274
„ II. De obligatione celebrandi Missas de Requie . . 283

Appendix sexta.
De Missa stationis in festo S. Marci et triduo ante Ascensionem Domini.

Caput unicum 289

Appendix septima.
De Missa in Ecclesia aliena sive de conformitate Missæ cum officio Ecclesiæ, in qua celebratur.

Caput unicum 292

Appendix octava.
De officio duorum capellanorum in Missa privata ab Episcopo celebrata.

Caput I. De rebus præparandis 304
Caput II. De rebus in functione agendis 305

INTRODUCTIO.

Antequam ad Cæremonias Missæ ipsas a S. Alphonso conscriptas procedamus, plura notare placet, quæ ad Missam digne celebrandam pertinent, neque in libro ipso continentur, sed quoad praxim celebrandi maximi momenti sunt. Agemus ergo I. de obligatione et observantia Rubricarum Missalis et decretorum S. R. C. II. De Missæ applicatione. III. De præparatione ante Missam. IV. De reverentia in celebratione ipsa. V. De gratiarum actione post Missam.

I. De obligatione et observantia Rubricarum Missalis et decretorum S. R. C.

Rubricæ in genere nihil aliud sunt, quam quædam regulæ indicantes ritus servandos in rebus sacris peragendis, quarum aliæ sunt *præceptivæ*, id est, obligantes in conscientia et sub peccato ad servandos ritus ab eis præscriptos, aliæ *directivæ* id est proponentes per modum consilii quid agendum.

2. Quæ vero Rubricæ sint præceptivæ, et quæ directivæ, non conveniunt Auctores. S. Alphonsus in *theologia morali*[1]) quatuor sententias Doctorum in extenso affert, qui in hoc puncto valde confuse loquuntur. In *examine Ordinandorum*[2]) tamen S. Doctor istam quæstionem paucis verbis ita solvit: „Diversæ in hoc sunt sententiæ. Nos sequimur sententiam Quarti, Merati et Tournely, qui dicunt, Rubricas de agendis intra Missam omnes esse præceptivas et obligare juxta gravitatem ma-

[1]) Lib. 6. n. 399.
[2]) n. 112.

teriæ: nam in Bulla S. Pii V. sic dicitur: *Districte præcipientes, ut Missam juxta ritum, modum et normam in Missali præscriptam decantent ac legant.* Nota tò *districte præcipientes* l. 6. n. 399. Rubricas autem de agendis extra Missam, probabiliter dicunt plures Doctores, aliquas esse tantum directivas, prout manuum ablutio post Missam, et Orationes ante et post Missam, vide l. c. n. 409—410.[3]) Insuper hic notandum, Rubricas præscriptas in Cæremoniali Episcoporum ubique obligare, cum in tribus Bullis ibi appositis dicatur: *Cæremoniale prædictum in omnibus ecclesiis servandum, præcipue in cathedralibus et collegiatis.*"

Eamdem sententiam tenet Benedictus XIV.[4]) cum Suarez[5]) Aversa[6]) etc.

Quamvis autem Rubricæ *directivæ* tantum de consilio sint et *per se* non obligent sub peccato, ratione tamen motivi inhonesti vel finis pravi v. gr. negligentiæ, socordiæ, animi dissipationis etc. transgressio earum culpam venialem involvere, imo ratione contemptus, scandali gravis vel periculi gravis in peccatum lethale incidendi, in peccatum mortale transire potest.[7])

3. Præter Missalis Rubricas ut proxima regula sacrorum Rituum censeri debent *decreta S. R. C.*, cujus resolutiones habentur tamquam Summi Pontificis oracula,[8]) quia Pontificem ipsum hac in parte repræsentat, ejusque auctoritate agit, quidquid agit.[9]) Idem declaravit S. R. C. ipsa,[10]) quod postea Pius IX. confir-

---

[3]) Rubricæ præceptivæ extra Missam sunt v. gr. Confessio sacramentalis ante celebrationem, si opus sit, jejunium naturale, omnes Rubricæ de defectibus etc. Conf. S. Alph. theol. mor. lib. 6. n. 347.

[4]) De sacrif. Miss. lib. 3. c. 13. n. 3.

[5]) Tom. III. in 8. par. disp. 73. sect. 3.

[6]) De sacrif. Miss. qu. 11. sect. 12.

[7]) Conf. Quarti Procem. sect. 2. p. 4.

[8]) Merat. p. III. tit. 11. n. 3.; S. Alph. theol. mor. l. c. n. 401.

[9]) Guyet. Heortolog. lib. 1. c. 2. qu. 2.

[10]) In una Ord. Prædicat. die 23. Maji 1846. ad 7. n. 5051.

mavit:[11]) „Decreta a S. Congregatione emanata et responsiones quascumque ab ipsa propositis dubiis scripto formaliter editas, eamdem habere auctoritatem, ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suæ." Sufficit autem, ut decreta sint subscripta a S. R. C. Præfecto et Secretario, nec requiritur, ut sint vel Romæ vel ab episcopis in suis diœcesibus promulgata.[12]) Et in conscientia obligant decreta eodem modo, quo Rubricæ, circa quas publicantur. Ideoque sunt *præceptivæ* omnes declarationes: a) quæ emanant in forma rigorosa decreti, vel saltem in fine habent aliquam decreti clausulam, puta: *ab omnibus servetur, servari ab omnibus mandavit;* b) quæ circa Rubricas præceptivas versantur v. gr. intra Missam, easque declarant et interpretantur. *Directivæ* vero, si sint declarationes tantum dubiorum, absque clausula decreti rigorosi, vel si versentur circa Rubricas solum directivas. Quæ resolutiones nihilominus debita reverentia accipiendæ et reputandæ sunt sapientissimorum virorum responsa et præferri debent aliis quibuscumque doctoribus contrarium asserentibus.[13])

4. Neque tamen sufficit, ut quis Rubricarum obligationes sciat, sed debet etiam eas exercere cum devotione et reverentia. Nam quæ solum ex timoris motivo aguntur, non pari ratione fiunt, ac quæ ex amore, pietate et reverentia tractantur. Propterea a Deo creati sumus, ut ipsum debitis piisque veneremur obsequiis. Nihil enim æque singularis et sancta illa majestas ab homine desiderat ac sinceram adorationem per ritus sacros exhibendam, nihilque est pulchrius, magnificentius et spectabilius in omni divinæ majestatis cultu, quam ordo,

[11]) Die 17. Julii ejusd. anni.

[12]) S. R. C. die 8. Apr. 1854. in una Romana ad 1. n. 5202. Decreta in collectione Gardelliniana sunt authentica; circa decreta, quæ in hac collectione non continentur, vide infra Cærem. Miss. cap. 1. adnot. 4. pag. 3.

[13]) Merat. l. c.; S. Alphons. l. c.

reverentia ac rerum omnium congruæ dispositionis ornatus: quæ si in acie militari, in classe parata jubeantur regularissime servari ob finem caducum, quanto magis cæremoniarum censura, quæ mysteriis imbuta moralibus et divinis plena sacramentis, ac in solo sacrarum rerum ordine et ratione consistit, divinis non adhibeatur mysteriis: siquidem actus Rubricæ nil aliud est, quam vel honor ab hominibus Deo, vel hominibus propter Deum exhibitus. Et si in vetere testamento cæremoniæ, quæ non erant nisi infirma et egena elementa,[14]) exactissime præscriptæ erant, imo transgressores earum poena gravi mulctabantur, quanto magis Missæ cæremonias, mysteriis altissimis repletas observare debemus, quæ sunt non figura sed veritas, non umbra sed lux, non nubes sed claritas, quibus colitur non agnus legalis, sed revera agnus Dei qui tollit peccata mundi, verus Dei filius, quem sacerdos immolat, manibus tractat et mactat. „Cæremoniæ (enim) sunt quædam protestationes fidei," dicit Doctor angelicus.[15]) Nam „ordinatur homo in Deum non solum per interiores actus mentis, qui sunt credere, sperare et amare, sed etiam per quædam exteriora opera, quibus homo divinam servitutem profitetur, et ista opera dicuntur ad Dei cultum pertinere, qui quidem cultus cæremonia vocatur". [16]) Idem docet Sixtus V.[17]) et adjicit, fidelium mentes ad devotionem et meditationem excitari. „Sacri ritus, inquit, et cæremoniæ, quibus Ecclesia a Spiritu sancto edocta ex apostolica traditione et disciplina utitur in sacramentorum administratione, divinis officiis, omnique Dei et Sanctorum veneratione magnam christiani populi eruditionem, veræque fidei protestationem continent, rerum sacrarum majestatem commendant, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollunt, et devotionis eam

---

[14]) Galat. 4., 9.
[15]) 1. 2. qu. 103. a. 4. c.
[16]) 1. 2. qu. 99. a. 3. c.
[17]) Constit. *Immensa* d. die 22. Jan. 1587.

igne inflammant." Et Cardinalis Bona[18]) sacris cæremoniis multas virtutes foveri atque augeri affirmat: „Licet enim," ait, „ipsæ cæremoniæ nullam secundum se perfectionem, nullam contineant sanctitatem: sunt tamen actus externi religionis, quibus quasi signis excitatur animus ad rerum sacrarum venerationem, mens ad superna elevatur, nutritur pietas, fovetur caritas, crescit fides, devotio roboratur, instruuntur simpliciores, Dei cultus ornatur, conservatur religio et veri fideles a pseudochristianis et heterodoxis discernuntur."

Rubricas ergo a S. Ecclesia præscriptas sacerdotes exactissime et piissime observent; quippe qui quotidie Sacrum celebrare, quotidié Jesu Christo iisdem cæremoniis servire debeant; omnis vero cæremonia intra Missam saltem sub peccato veniali obligat; si male observentur, quot peccata unica Missa involvit! Et consuetudo diuturna negligentiam excusare non potest; nam consuetudo mala sæpius est in causa peccaminosa. Nemo seipsum fallat, dicens, se jam scire, memoria enim plerumque deficit et regulæ præscriptæ, nisi repetantur, paulatim omnino ex animo effluunt. Itaque quisque sacerdos saltem *semel in anno* Missalis Rubricas perlegat, et semper ante oculos habeat, quæ Clemens XI. ad omnes episcopos scripsit:[19]) „Majori super omnem dicendi modum diligentia ac studio curare debes, ut Missæ sacrificium, quo nihil sanctius, nihil divinius excogitari potest, per solos presbyteros celebretur, non tantum ea morum puritate, quæ ipsos decet, qui singulis diebus Deo Patri cœleste holocaustum offerunt unigeniti Filii, qui nostram immortalitatem induit, verum etiam ut sacras cæremonias in Rubricis sedulo pieque observent. Id enim necessario requiritur, ne sacerdos inter homines Deumque positus ad ipsius iracundiam sedandam, si negligenter immodesteque suo munere fungatur, Deum magis irritet."

---

[18]) Psalmod. div. cap. 19. §. 3.
[19]) Litteræ encycl. d. d. 16. Mart. 1703.

II. De Missæ applicatione facienda.

Applicatio sacrificii Missæ est intentio, qua sacerdos vult, sacrificii fructum in utilitatem certæ personæ cedere. Fructus autem Missæ ex triplici capite distinguitur: a) ex parte causæ i. e. ex opere operato et ex opere operantis. Fructus ex opere operato est ille, qui confertur intuitu meritorum Christi et ejus promissionis; fructus vero ex opere operantis est ille, qui confertur intuitu meriti et devotionis celebrantis. b) Ex parte rei fructus est: meritorius, satisfactorius et impetratorius.[1]) c) Fructus sacrificii intuitu participantium ex opere operato procedens dividitur: in generalem, specialem et specialissimum. „Fructus generalis ex institutione Christi percipitur a tota Ecclesia i. e. ab omnibus fidelibus. Unde ex sacrificiis, quæ celebrantur in toto orbe, participant hunc fructum tota Ecclesia militans et purgans; omnes scilicet fideles (non tamen excommunicati et in peccato mortali) et etiam defuncti: tum ad remissionem pœnarum pro peccatis jam condonatis debitarum, tum ad impetrationem bonorum spiritualium ac temporalium. Fructus medius seu specialis conceditur illi, qui dat stipendium vel pro quo specialiter offertur: cujus etiam aliquo modo participes fiunt, qui quoquo modo concelebrant vel adjuvant celebrantem. Fructus specialissimus correspondet sacerdoti devote celebranti. Qui quidem fructus non solum æqualis est fructui medio seu speciali, sed etiam major: tum ex ministerio proximiori, tum ex majori devotione et fide ac caritate, quæ inter celebrandum excitatur.“ [2])

2. Sacerdos ergo ex opere operato duplicem fructum assequitur: a) in quantum personam Christi repræsentat, fructum medium seu ministerialem b) in quantum est offerens persona privata, fructum specialissimum. Hic fructus *specialissimus* obtingit soli sacerdoti celebranti,

[1]) S. Alph. l. c. n. 312. Notand. 2.

[2]) Gotti theol. schol. dogm. tom. III. tr. 8. qu. 2. dub. 1. n. 18.

est major vel minor juxta offerentis dispositionem habitualem et actualem, nullam applicationem requirit, nec alteri cedi, nec pro illo stipendium accipi potest. Ille fructus *medius* certis personis applicari potest, gratiæ statum celebrantis non requirit, nec majori vel minori offerentis dignitate augetur vel minuitur.[3])

3. Ut autem fructus medius alicui obveniat, a sacerdote specialiter applicari debet. Sacerdos enim in ordinatione potestatem accepit sacrificium conficiendi et consequenter dispensandi et applicandi sacrificii fructum, cui voluerit; quare si hac potestate non utatur, fructus specialis remanet in thesauro Ecclesiæ. Ideoque sacerdos quamvis nulli Missam se celebraturum esse promiserit, intentionem tamen specialem semper eliciat. Quæ applicatio solum a celebrante potest et debet fieri ante celebrationem vel saltem ante consecrationem vel in ipsa consecratione secundæ speciei,[4]) et semel facta, valet, donec expresse retractata fuerit, quare applicatio habitualis sufficit.[5]) „Verum sacerdos," notat Benedictus XIV.,[6]) „ut se omnibus expediat difficultatibus, in præparatione ad Missam, antequam sacris se vestibus induat, ne omittat sacrificii fructum applicare."

Valet etiam intentio implicite determinata, qualis est, si dicas: Offero hoc sacrificium pro eo, qui dedit stipendium, vel pro quo superior vult sacrificium fieri, vel pro persona vel intentione, quam in principio hebdomadæ in intentionum libro signavi etc.

Si autem sacerdos stipendia a multis ignotis acceperit, applicatio facienda est pro iis, qui priora stipendia dederunt; neque obstat, quod ipse stipendiorum partem aliis sacerdotibus distribuat, quia illa eodem ordine, quo accepit, dare potest; si vero a sacrista multa stipendia collecta pluribus sacerdotibus in confuso tradantur, appli-

---

[3]) S. Alph. l. c.
[4]) Busemb. ap. S. Alph. l. c. n. 335.
[5]) S. Alph. l. c. qu. 1.
[6]) De Sacr. Miss. lib. 3. c. 16. n. 19.

catio fieri debet juxta ordinem temporis, quo stipendia a fidelibus erogata sunt, ad dantis intentionem; nam *qui prior est tempore, potior est jure.*

Si celebrans contra voluntatem superioris vel stipendium erogantis Missam applicare intendat, Missæ quidem applicatio illicita erit, sed non invalida,[7]) et fructus conveniet illi, cui applicare intendit, quia, ut Lugo[8]) docet, „Deus ad intentionem respicit, quam sacerdos habuit, non quam habere debuisset vel ex præcepto superioris vel ratione eleemosynæ."

„Si fructus sacrificii applicatur incapaci, tunc ille remanet in thesauro Ecclesiæ. In praxi autem, quando dubitatur, an is, pro quo offerimus, sit vel ne capax fructus, consultum est, in Missis gratuitis illas applicare vel nobis ipsis, vel alteri sub conditione, si persona cui applicatur, non sit capax; in Missis vero debitis ex stipendio, quia probabiliter fructus cedit in beneficium propinquorum offerentis ex ejus implicita voluntate, ideo tunc non possumus, cui velimus fructum applicare, nisi sub conditione, ut præjudicium non fiat, cui obligatio adsit applicandi."[9])

4. Missæ sacrificium offerri potest pro omnibus fidelibus baptizatis vivis, etiam infantibus vel energumunis, sive justis sive peccatoribus non excommunicatis, atque omnibus fidelibus defunctis.[10])

Pro excommunicatis *toleratis* sive vivis sive defunctis juxta sententiam probabiliorem Missam celebrari licet nomine Ecclesiæ;[11]) pro excommunicatis vero *vitandis* sacrificium offerri non licet nomine Ecclesiæ, quod expresse interdicitur jure can. ex cap. 2. *A nobis* de sent. excomm.;[12]) *privatim* tamen Missam licite offerre

[7]) S. Alph. l. c. n. 334.; Bened. XIV. l. c. c. 9. n. 4.

[8]) De Sacr. Euchar. disp. 19. sect. 10. n. 210.

[9]) S. Alph. l. c. n. 336.

[10]) Trid. sess. 22. cap. 2. et can. 3.; sess. 25. in decr. de purg.; S. Alph. l. c. n. 308.

[11]) S. Alph. l. 6. n. 309. et l. 7. n. 164.

[12]) S. Alph. l. 6. n. 308. et l. 7. n. 163.

potest sacerdos, quatenus est opus proprium suæ privatæ personæ, pro excommunicato vitando, dum in vivis est, intra Missam ad *Memento* deprecans, ut Deus isti propitius esse dignetur.

Pro infidelibus, schismaticis et hæreticis vivis non solum generaliter, sed etiam specialiter pro uno vel altero sacrificium offerri potest, non ipsorum sed Ecclesiæ nomine ad hunc finem, ut membra Ecclesiæ fiant. Eo magis pro catechumenis celebrari potest.

Huc spectant duæ decisiones sequentes S. Congregationis Inquisitionis:

a) Cum quæsitum esset: „Utrum possit aut debeat celebrari ac percipi eleemosyna pro *græco-schismatico* qui enixe oret atque instet, ut Missa applicetur pro se sive in ecclesia adstante, sive extra ecclesiam manente?" S. Congr. Inquisitionis respondit: „Juxta exposita non licere, nisi constet expresse, eleemosynam a schismatico præberi ad impetrandam conversionem ad veram fidem." Die 19. Aprilis 1837. Quam resolutionem Gregorius XVI. postea confirmavit.

b) Dubio proposito: „Utrum liceat sacerdotibus Missam celebrare pro *Turcarum aliorumque infidelium intentione*, et ab iis eleemosynam pro Missæ applicatione accipere?" Responsum prodiit: „Affirmative, dummodo non adsit scandalum, ac nihil in Missa specialiter addatur, et quoad intentionem constet, nihil mali aut erroris aut superstitionis in infidelibus eleemosynam afferentibus subesse." S. C. Inqu. die 12. Julii 1865.

Pro acatholicis autem defunctis nullo modo sacrificium nomine Ecclesiæ offerri licet, tum quia, quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis [13]), tum quia celebratio Missæ pro defunctis acatholicis cum dogmate Ecclesiæ de fidei catholicæ necessitate ad salutem obtinendam componi nequit, quod dogma Gregorius XVI. in Brevi d. d. 9. Julii 1842. [14]) ad Ab-

[13]) Innocentius III. c. 12. X. lib. 3. tit. 28.

[14]) Anal. Jur. Pont. tom. 4. fol. 2391.

batem Schyrensem quoad Missam in funere et anniversario reginæ acatholicæ urgebat. Idem S. R. C. die 23. Maji 1859. declaravit, cum ad quæstionem: „An liceat in die anniversarii obitus Principissæ ad Protestantium sectam pertinentis celebrare Missam in levamen defunctorum regiæ familiæ?“ responderet: „Non licere, et detur exemplum epistolæ in forma Brevis die 9. Julii 1842. s. m. Gregorii XVI.“ [15])

Tanto minus pro Judæis et ethnicis defunctis Missam celebrari fas est.

III. De præparatione ad Missam instituenda.

Præparatio ad Missæ sacrificium est duplex, remota scilicet et proxima. *Remota* consistit in puritate et sanctitate vitæ. Utique stricte tantum præcipitur, ut sacerdos sit in statu gratiæ et ab omni censura et irregularitate immunis. Nam qui in statu peccati mortalis ad sacrificium accedere audet, horrendum sacrilegium — quid dicam — non unum sed quatuor sacrilegia simul committit; quia 1. indigne consecrat, 2. indigne sumit, 3. indigne ministrat, 4. ministrat indigno, sibi ipsi. [1]) Sacerdos ergo, qui peccati mortalis sibi conscius est, sub gravi tenetur confessione sacramentali expiari, antequam Missam celebret, nec sufficit contritio perfecta; nisi necessitas celebrandi urgeat, et desit copia confessarii, et tunc tenetur quam primum confiteri. [2])

Curet autem sacerdos, ut sit mundus ab omni peccato, non solum lethali, sed etiam veniali deliberato, atque ab omni affectu ad peccata quamvis venialia, aliter, dicit S. Bernardus, eum Jesus ad communionem non admittet: „Nemo, quæ videntur modica, contemnat: quoniam, sicut audivit Petrus, nisi laverit ea Christus,

---

[15]) Anal. Jur. Pont. l. c. fol. 2390.
[1]) S. Alph. l. 6. n. 35.
[2]) Trid. sess. 13. cap. 7. et can. 11.

non habebimus partem cum eo.“ Ergo omnia opera, verba et cogitationes sacerdotis, qui celebraturus est, ita sancta esse debent, ut ad sacrosanctum sacrificium digne celebrandum dispositiones esse possint.[3]) Et revera, si in veteri testamento, in quo hujus sacrificii divinissimi tantum umbra et typus erat, a sacerdotibus vitæ puritas requirebatur, ut vasa sacra portarent: „Mundamini, qui fertis vasa Domini“ [4]) „quanto mundiores sacerdotes novi testamenti esse oportet, qui in manibus et in corpore portant Christum,“ [5]) et si illis priscis sub mortis comminatione mandabatur, ut omni macula et immunditia essent expertes,[6]) „quo non oportet esse puriorem sacerdotem novæ legis tali fruentem sacrificio, quo solari radio non splendidiorem manum agni immaculati carnem dividentem, os, quod pane spirituali repletur, linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit.“ [7])

2. Circa præparationem *proximam* Rubrica ipsa sacerdotem instruit, dicens: „Sacerdos celebraturus Missam . . . saltem Matutino cum Laudibus absoluto, Orationi aliquantulum vacet: et Orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat.“ [8]) Qua obligatione Rubrica vult, ne sacerdos saltem id, quod necessarium est, omittat, et absque ulla præparatione ad altare procedat. Hoc autem ad pie celebrandum non sufficit, sed omnes scriptores et theologi, qui de mediis præparationis ad Missam celebrandam agunt, *meditationem* requirunt, per quam devotionis spiritus fovetur, attentio ad majestatem et sanctitatem sacrificii nutritur, affectus timoris, humilitatis, reverentiæ, desiderii, amoris etc. excitantur, et anima ad gratias in isto sacrificio accipiendas dilatatur. Itaque S. Alphonsus, quoties de hac præpara-

---

[3]) S. Alph. La Messa strapazzata p. I. §. 1.
[4]) Ps. 52, 1.
[5]) Petrus de Blois ep. 123.
[6]) Levit. 22, 3.
[7]) S. Chrysost. hom. 6. ad pop. Antioch.
[8]) Rubr. Miss. p. II. tit. 1. n. 1.

tione loquitur,[9]) non sufficere repetit, quod sacerdos aliquas preces ex libro dicat, sed ante omnia orationi *mentali*, præsertim de passione Domini, incumbendum esse, de qua omnis devotio et reverentia intra Missam ipsam dependeat. „Quomodo sacerdos," exclamat S. Doctor, „Missam celebrare poterit, nisi prius instituerit meditationem? P. Avila dicere solebat, sacerdoti orationem mentalem horæ unius dimidiæque sacræ Missæ præmittendam esse. Ego vero contentus essem, si sacerdotes per horam dimidiam, si qui tepidiores per quartam horæ partem orationi mentali incumberent, quamvis facere non possim, quin dicam, partem horæ quartam esse nimis brevem. Eheu! tot libri boni meditationum ad Missæ præparationem exsistunt, quot vero sacerdotes meditationem instituunt! Itaque tot Missas indevote et inordinate dici videmus." [10])

Instante vero Missæ celebratione sacerdos non accedat ob stipendium miserum vel aliam rationem humanam, sed intentionem puram eliciat et dirigat, largus et profusus sit in applicatione fructuum sacrificii, specialem tamen fructum ei applicans, pro quo celebrare tenetur; cum enim valor sacrificii infinitus sit, potest infinitos effectus producere et juvare ita uni soli ac infinitis hominibus.[11]) Itaque ante omnia pro peccatoribus petat, se Christo conformans, qui in cruce pro peccatoribus oravit; nam „sacerdos, dum celebrat, mediatoris gerit officium, propterea debet delinquentium omnium esse precator", ait S. Laurentius Justinianus.[12]) Item memor sit animarum in purgatorio detentarum, quas acceptabili altaris sacrificio potissimum juvare potest.[13]) Non obliviscatur S. Ecclesiæ, Summi Pontificis aliorum-

---

[9]) S. Alph. La Messa strapazzata l. c. Conf. Apparechio alla Messa Introd.

[10]) La Messa strapazzata l. c

[11]) S. Alph. theol. mor. lib. 6. n. 312.

[12]) Serm. de corp. Christi.

[13]) Conc. Trid. sess. 25. decr. de purgat.

que antistitum. Perpulchre ergo scribit S. Laurentius Justinianus:[14]) „Plurimum in oblatione altaris conferre sacerdotis sancti suffragia, asseverare non ambigo: tametsi ejus dignitati detrahere sive addere nequeat quidquam. Accedat igitur sacerdos ad altaris tribunal ut *Christus*, assistat ut *Angelus*, ministrat ut *Sanctus*, populorum offerat vota ut *Pontifex*, interpellat pro pace ut *mediator*, pro se autem exoret ut *homo*. Eximia sunt hæc, et admiratione dignissima, quæ solum hominibus congruunt ambulantibus in spiritu, sanctificatis corde et præelectis a Domino."

IV. De reverentia in ipsa celebratione præstanda.

Multis in locis[1]) S. Alphonsus de reverentia intra Missam exhibenda agit; in secunda tamen parte Cæremoniarum Missæ, in qua pro Missæ præparatione et gratiarum actione orationes pro tota hebdomade collectæ inveniuntur, pulchre et succincte hanc materiam in introductione disserit, quare textum ejusdem latine redditum hic allegare juvat.

„1. Eadem magna bona, quæ passio Jesu Christi mundo attulit, adhuc affert quælibet Missa, quæ celebratur, uti docet Doctor angelicus, S. Thomas:[2]) *Quidquid est effectus dominicæ passionis, est effectus hujus sacramenti.* Quod etiam asseverat S. Ecclesia hisce verbis: *Quoties hujus hostiæ commemoratio recolitur, toties opus nostræ redemptionis exercetur.*[3]) Idem enim Salvator noster, uti Concilium Tridentinum[4]) dicit, qui pro salute nostra in cruce se obtulit, per sacerdotis ministerium super altare se offert. *Una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui*

[14]) l. c.

[1]) Cont. Selva de mat. predic. p. II. istr. 1. n. 10—15.: la Messa strapazzata p. I. §. 2., Appar. et ringr. per la Messa Introd.

[2]) In Ephes. c. 6.

[3]) Orat. Dom. 9. post Pentec.

[4]) Sess. 22. cap. 2.

seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Ut igitur passio Redemptoris ad salvandum universum mundum sufficiebat, ita ad eumdem salvandum sola Missa sufficit, et propterea sacerdos in oblatione calicis dicit: *Offerimus tibi Domine calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu divinæ majestatis tuæ pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis adscendat.*"

„2. Mediante sacrificio crucis Dominus omnes redemptionis gratias nobis obtinuit, sed per sacrificium altaris fructus crucis nobis applicatur. Passio nos capaces reddidit meritorum Jesu Christi, sed Missa in possessionem eorum nos immittit, et passionis fructus nobis applicat, ut Concilium Tridentinum dicit: Missa habet proprium vi suæ institutionis fructus passionis nobis applicare."[5])

„3. Certi ergo esse debemus, Missam actionem maximam esse et sanctissimam, quam in terra exercere possumus, et utilissimam pro bono nostro spirituali. Sicut autem est actio sanctissima, ita etiam cum summa puritate interna ac maxima devotione externa, qua fieri potest, nobis est peragenda, ut idem Concilium Tridentinum observat: *Satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur.*"[6])

„4. Unde concluditur, quam gravi poena illi sacerdotes digni sint, qui Missam cum magna irreverentia celebrant. Cujus irreverentiæ gravis rei sunt, qui adeo festinanter celebrant, ut Missam infra spatium minus quam quadrantem horæ absolvant, quod juxta Doctorum sententiam a peccato mortali excusari non potest, etiamsi Missa sit brevis, pro Defunctis vel de Beata."

„5. Scribit Cardinalis Lambertini[7]) cum Clericato, Roncaglia, Bisso, Gobat, Quarti aliisque communiter,

[5]) Sess. 22. cap. 1. et 2.
[6]) Sess. 22. decr. de observ. in celebr. Miss.
[7]) Inst. 34. n. 30. (Vide etiam de Sacrif. Miss. cap. 24. n. 3.)

Missam non longiorem dimidia hora, nec breviorem triente esse debere, quia breviori spatio non possunt omnia præscripta debito decore peragi, et longiori tædium Missæ adstantibus evitari non poterit. Roncaglia ergo, Quarti, Pasqualigo et Gobat sapienter scribunt, eum qui *infra quadrantem* i. e. spatio quartam horæ partem non explente celebrat, a culpa gravi excusari non posse. Ratio est, quia sine dubio omnes Rubricæ intra Missam servandæ præceptivæ sunt, ut probavimus in nostra theologia morali;[8]) etenim S. Pius V. in bulla Missali ipsi inserta præcepit, ut Missa dicatur *juxta ritum, modum et normam in Missali præscriptam in virtute sanctæ obedientiæ.* Hoc posito, in omni cæremonia, quæ omittitur vel modo non debito fit, culpa venialis committitur: et P. Concina, Wigandt, Roncaglia et Lacroix recte dicunt, talem defectum ad peccatum mortale pervenire posse, si quis in his cæremoniis, quamvis non sint de gravissimis, in materia notabili delinquat."

„6. Unde cum sententia communi Doctorum supra nominatorum dicimus, eum graviter peccare, qui infra quadrantem Missam absolvat, quia celebrans in tam brevi spatio Missam finire non potest, quin duos graves defectus committat: alterum gravis irreverentiæ erga sacrificium, alterum gravis scandali erga populum. Quod irreverentiam in sacrificium attinet, maledictio a Deo fulminata per Jeremiam,[9]) ut loquitur Tridentinum,[10]) contra illos, qui functiones ad cultum divinum ordinatas negligenter exercent, præcise contra sacerdotes sine reverentia debita celebrantes prolata est. Qui autem Missæ celebrandæ spatium unius quadrantis non attribuit, multos defectus necessario committet: aut enim verba mutilabit, aut ista cum cæremoniis complicabit, aut contra Rubricarum præscriptum anticipabit, aut postponet, aut saltem propter

---

[8]) Lib. 6. n. 399.
[9]) Cap. 48.
[10]) l. c. decr. de observ. in celebr. Miss.

festinationem benedictiones et genuflexiones non rite faciet: qui omnes defectus, etiamsi quilibet in se levis sit, tamen simul uniti efficiunt, ut Missa non celebretur sine gravi irreverentia."

„7. Quod secundo scandalum attinet, quod causatur in populo, considerandum est, uti scribit Concilium Tridentinum,[11]) sacras cæremonias, et specialiter Missæ, ad eum finem esse institutas, ut populus ad venerationem et æstimationem sacrosancti sacrificii Missæ excitetur. Hæ cæremoniæ ab hæreticis deridentur et contemnuntur: Deus vero vult, ut exacte observentur. In antiqua lege Dominus omnes maledictiones minatus est super illos, qui cæremonias in sacrificiis præscriptas custodire negligerent; sed ista sacrificia non erant nisi umbra et figuræ sacrificii altaris: quanto magis igitur illos puniet, qui Missæ ceremonias parvi pendunt. S. Teresia dicebat: *Ego pro una sola cæremonia Ecclesiæ vitam darem.*"

„8. Sed quam ob causam cæremoniæ tanto honore habendæ sunt? Hanc causam jam supra innuimus. Concilium enim Tridentinum[12]) dicit, cæremonias ab Ecclesia institutas esse, ut fideles per signa externa sacrificii altaris majestatem et mysteriorum in eo contentorum sublimitatem animadvertant. *Ecclesia cæremonias adhibuit, ut majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Sed cum hujuscemodi cæremoniæ exhibentur nimis festinanter, sicut quidem oportet eas persolvere intra tempus tam breve, quale est spatium non explens quadrantem, tunc ipsæ non tantum minime ingerunt debitam venerationem erga Missam, sed insuper sunt causa, ut in populo veneratio erga tantum sacrificium deficiat; ideoque sacerdos non valet excusari a gravi culpa propter scandalum, quod populo præbet,

[11]) Sess. 22. cap. 5.
[12]) l. c.

quia eum non solum non invitat ad magnam venerationem erga sacrificium, sed potius invitat ad venerationem abjiciendam, dum contemptum spectat, quem ipse cæremoniis exhibet. Idcirco Concilium Turonense anno 1583. præcepit, ut sacerdotes bene instruantur in Missæ ceremoniis, *ne populum* (verba Concilii) *sibi commissum a devotione potius revocent, quam ad sacrorum et tremendorum mysteriorum meditationem et debitam eis impendendam venerationem invitent.*"

„9. Et propterea idem Concilium Tridentinum [13]) episcopis districte præcepit, ut sacerdotes a celebrando cum irreverentia prohibeant, quod, ut ait Concilium, vix ab impietate excusari potest. En verba Concilii: *Decernit sancta Synodus, ut Ordinarii locorum ea omnia prohibere curent ac teneantur, quæ . . . irreverentiam, quæ ab impietate vix sejuncta esse potest, induxit.* Notentur verba: *Curent ac teneantur;* unde sequitur, Episcopos sub gravi obligatione teneri, ut invigilent et certiores se reddant, quomodo Missæ in ipsorum diœcesibus celebrentur, et a celebrando illos suspendere debere, qui celebrant sine debita reverentia. In quo a Concilio destinati sunt Episcopi tamquam delegati apostolici, etiam versus religiosos exemptos, ita ut illos corrigere possint et debeant; et si isti se non emendent, ipsis celebrationem interdicere, atque etiam censuris aliisque pœnis ad debitam observantiam eos adigere possunt."

„10. Certum est, Missam cum devotione celebratam etiam aliis devotionem infundere; econtra Missam cum festinatione et sine gravitate dictam auferre devotionem iis, qui devoti sint; et, quod pejus est, diminuere venerationem erga sanctum sacrificium et labefactare fidem circa tantum mysterium. Et revera, quomodo sacerdos, qui sine devotione et reverentia celebrat, cæremonias, genuflexiones, cruces, manuum elevationes, oscula altari exhibenda et similia præcipitat et mutilat, vel cæremo-

[13]) l. c. decr. de observ. in celebr. Miss.

nias cum verbis complicat et verba ita accelerat, ut multa dimidiata remaneant, quomodo assistentibus, qui eum observant, devotionem et reverentiam ingerere poterit? Sæcularibus quidem plerumque placet, si obligationem Missæ audiendæ brevi tempore impleant, sed et ipsi, postquam hujusmodi missas acceleratas audierint, scandalizantur de sacerdotibus qui eas dixerunt."

„11. At excusabit se aliquis dicens: Non erro, neque in verbis neque in cæremoniis; omnia verba profero, cunctas cæremonias adimpleo. Sed lente procedas! Etenim advertendum est, in Missa non solum omnia verba proferenda et omnes cæremonias faciendas esse, tum magis tum minus essentiales, cum omnes ad demonstrandam sacrificii dignitatem conducant; propter quod Ecclesia vult, ut omnes intra Missam observandæ cæremoniæ præceptivæ sint et obligationem inducant, uti jam supra comprobavimus: sed omnia cum gravitate actioni tam sacrosanctæ convenienti fieri debent. Proinde non sufficit, ut Missam celebrans omnia verba proferat et omnes cæremonias faciat, sed Missa dicenda est cum debita gravitate et decentia, quæ aliis venerationem erga sacrificium ingerat, secus, quando omnia cum multa festinatione fiunt, potius contemptus quam æstimatio tanti sacrificii movetur. Unde fit, ut sacerdos, etsi intra tam breve tempus, quod quadrantem non explet, omnia verba diceret omnesque cæremonias faceret, tamen a culpa gravi non excusaretur, quia talis sacerdos a gravi irreverentia excusari non potest, cum Missam sine debita gravitate dicat."

V. De gratiarum actione post Missam peragenda.

Si homines parvum beneficium præstiterint, dicit S. Chrysostomus,[1]) exspectant a nobis gratitudinem: quanto magis id nobis faciendum in iis,

[1]) Homil. 26. in cap. 8. Gen.

quæ a Deo accepimus, qui hoc solum ob nostram utilitatem vult fieri. Et quamvis Deo, sicuti meretur, gratias agere non sufficiamus, tamen quantum valemus, tantum gratos nos ipsi exhibeamus." Quod monitum hujus S. Doctoris præsertim sacerdos, sacrificio peracto, considerare et ab altari discedens Dominum in corde suo præsentem glorificare et laudare debet. Ecclesia ipsa sacerdotem instruit per canticum trium puerorum. Sed quomodo gratiarum actio post Missam fit! Aliqui sacerdotes Deo pro maxima gratia vix gratias agunt, alii tempus quam brevissimum gratiarum actioni impendunt. „Omissio autem gratiarum actionis," scribit S. Alphonsus,[2]) „est gravis defectus, quare sacerdotes parum utilitatis ex Missis referant. Quæ miseria est, tot sacerdotes videre, qui Missa vix finita ex ecclesia exeunt vel de rebus inutilibus confabulari incipiunt. Auctores similiter strenue inculcant, ut sacerdotes post communionem in oratione immorentur; sed quot sunt illi sacerdotes, qui in oratione immorantur? Sunt aliqui, sed pauci; etiam quidam religiosi, qui vitam solitariam ducunt, alioque tempore orationi multum incumbunt, parum curant, ut post Missam cum Deo conjuncti maneant; quamquam multi graves auctores docent, sanctam Communionem, dum species sacramentales perdurant, animæ tanto majores fructus afferre, quanto plures sunt actus, quibus eo tempore ad recipiendas gratias se disponit. Insuper dicunt, actus bonos post communionem elicitos apud Deum multo majorem valorem majusque meritum habere, quam alio tempore excitatos; idque juste dicunt: quia tunc anima cum Jesu Christo conjuncta est, juxta illud verbum, quod ipse dixit: *Qui manducat meam carnem, in me manet, et ego in illo.*[3]) Imo eo tempore Dominus ad gratias suas dispensandas magis dispositus videtur esse. S. Teresia scribit, Jesum Christum

[2]) Apparechio et ringraz. per la Mess. Introd.
[3]) Joann. 6, 57.

post communionem assidere in anima tamquam in throno gratiæ, eique dicere: Quid vis, ut tibi faciam? Anima, pete gratias; ad hoc enim veni, ut tibi benefaciam: quære jam, quod vis, et obtinebis. Unde P. Balthasar Alvarez et omnes doctores mystici dicunt, magnam rationem esse habendam temporis post communionem."

Idcirco Concilium Provinciale Viennense anno 1858. præscribit:[4]) „Sacerdos ab ecclesia non discedat, antequam Domino gratiarum actionem quam maxima possit devotione obtulerit. Quamdiu panis et vini species perdurant, Jesus Christus apud nos manet; ut autem Deo in nobis pro nobis præsenti omni mentis cordisque virtute laudantes, mirantes, pœnitentes, exorantes intendamus, ipsa res jubet; unde qui sine ineluctabili quadam necessitate animum ad alia sua culpa converterit, gravissimæ irreverentiæ reum se esse sciat; qui gratiarum actionem obiter, vel ne obiter quidem persolvere assueverit, maledictionem se pro benedictione habiturum justissime timeat."

2. Insuper sacerdos ad gratiarum actionem tenetur ob bonum exemplum, quod fidelibus præbere debet. Quid prodest, sermone gravi et vehementi populum sæpius admonere, ut post communionem Jesu Christo gratias agat, si per suum exemplum doceat contrarium! Nam sacerdoti Missa finita gratiarum actionem omittenti vel negligenti populus semper respondebit: Quod doces, ipse non facis; bonum exemplum nobis præbe, et sequemur. Si vero sacerdos in adoratione et gratiarum actione diu perseveret, populus ædificatur, et faciet secundum exemplar, quod ipsi monstratur; nam exempla trahunt. Ideo Concilium Provinciale Coloniense[5]) anno 1860. sacerdotibus præscribit: „Sacrificii autem sanctitas exigit, ut nonnisi cum debita animi præparatione ad altare accedant, et postea tempus aliquod in gratiarum actione

[4]) Tit. III. cap. 5.
[5]) p. II. tit. 3. cap. 35.

insumant; *qua in re fidelium quoque ædificationis habenda est ratio, qui potissimum sacerdotum exemplo docendi sunt, sacra communione accepta non illico ex ecclesia esse recedendum.*"

3. At quantum temporis in gratiarum actione post Missam sacerdotem insumere oportet? Certe non sufficit, ut sacerdos Canticum trium puerorum secum commurmuret, et forte aliam orationem adjiciat, sed doctores vitæ spiritualis amplius requirunt. S. Franciscus Salesius [6]) vult, ut sacerdos per horam saltem quadrantem immoretur. S. Alphonsus [7]) vero scribit: „P. Avila Missa dicta (etiam quo tempore missionibus vacabat) duas horas in oratione cum Jesu Christo colloqui solebat. O quam tenere et amanter loquitur Jesus Christus ad animam post communionem, et quales sui amoris affectus eo tempore illi præbet! Nihil ergo magni est, si quisque sacerdos post Missam saltem unam horam cum Jesu Christo conferat. Tamen quæso, o sacerdos, ut per dimidiam horam orando permaneas, vel saltem per quadrantem, sed heu, hora quadrans est nimis brevis!" Et dum Sanctus Doctor alibi [8]) postulat, ut sacerdotis vita nihil aliud sit, nisi præparatio et gratiarum actio pro Missa, in hoc sequitur S. Ecclesiæ desiderium, quæ in ipsius festo orat: „Ejus (beati Alphonsi) meritis precibusque concede, ut fideles tui et frequenter percipiant, et percipiendo *sine fine* collaudent," et sæpius [9]) repetit: „Repleti, Domine, muneribus sacris: da quæsumus, *ut in gratiarum semper actione maneamus.*" Habeat igitur ante oculos quisque sacerdos quod Con-

---

[6]) Oeuvres II. pag. 734.

[7]) La Messa strapazzata p. I. §. 3.

[8]) Selva p. II. n. 5.

[9]) In Postcommunione Dom. infra Oct. Ascens. Domini, et in festis S. Aloysii 21. Junii, Ss. Mm. Felicis et Adaucti 30. Aug., S. Justini 14. April.; conf. Postc. in festo S. Franc. Caracciolo 4. Junii.

cilium supradictum Viennense [10]) scribit: „Ad bene meditandum vires nobis, si bonæ voluntatis simus, addet Filius Dei, qui sacra communione quotidie nobiscum esse dignatur. Numquam ejus memoria a sacerdotibus ejus recedat. Quamdiu altius adscendit sol corporis oculis conspicuus, pie recolant memoriam solis justitiæ, qui ad ipsos descendere voluit; quando ad occasum vergit, mentis aciem intendant in beneficium altero mane renovandum; quod quidem egregie eos juvabit ad omne opus pium strenue exsequendum et omnem peccati maculam sollicite effugiendam."

[10]) Tit. V. cap. 4. in fine.

S. ALPHONSI MARIÆ DE LIGUORI

EPISCOPI, CONFESSORIS ET ECCLESIÆ DOCTORIS

LIBER

DE CÆREMONIIS MISSÆ

EX ITALICO IDIOMATE IN LATINUM

TRANSVERSUS.

S. ALPHONSI MARIÆ DE LIGUORI

LIBER

DE CÆREMONIIS MISSÆ.

CAPUT I.

Quid sacerdos facere debeat, antequam vestiatur.

Sacerdotem, qui sacram Missam celebrare velit, antea saltem Matutinum cum Laudibus recitasse oportet: idque sub reatu peccati venialis, juxta communem Doctorum sententiam contra aliquos, qui hoc mortale esse autumant.[1]) Sic enim fert antiqua Ecclesiæ consuetudo: adeo ut Innocentius IV., cum

[1]) S. Alphonsus in Theologia morali l. 6. n. 347. fusius hanc quæstionem tractat, et tres sententias adducit, quarum *prima* dicit esse mortale, celebrare Missam ante recitationem Matutini, *secunda* econtra nullam in hoc culpam agnoscit; *tertia* vero sententia, quam S. Alphonsus *communiorem* et *probabiliorem* vocat, „docet contra primam, id nequaquam esse mortale, tum quia nulla adest connexio inter Officium et Missam, ac ideo recitatio Matutini non videtur necessaria dispositio ad celebrandum, cum sacerdos aliter orando possit etiam se disponere; tum quia hujusmodi gravis obligatio neque exprimitur in Rubrica, neque communiter sub gravi est recepta. Docet autem contra secundam sententiam, non excusari a culpa veniali, quia in Rubrica id jam inter defectus numeratur; ea enim, quæ inter defectus computantur, non amplius possunt dici esse de consilio, et ideo nequeunt ab aliqua culpa esse immunia. Hanc nostram sententiam amplectitur etiam N. P. Benedictus XIV. in suo doctissimo opere *de Sacrificio Missæ* l. 3. c. 13. Ab hujusmodi autem culpa veniali, ut recte dicunt Tournely t. 1. p. 635. q. 6., Croix l. 6. p. 2. n. 230. et Salmant. tr. 5. c. 4. n. 46. et 47., excusabit quælibet mediocris causa rationabilis: puta si dans eleemosynam postulet, ut statim celebretur, si exspectet populus aut aliqua persona gravis, si superior præcipiat, tempus celebrandi transeat, vel instet commoditas studii, itineris et similia".

audiisset, controversiam hac de re exortam esse inter Archiepiscopum Nicosiæ cum suis suffraganeis latinis ex una parte et Episcopos Græcos regni Cypri ex altera, ita decreverit: *Sacerdos autem dicat horas canonicas more suo, sed Missam celebrare, priusquam officium matutinale complevcrit, non praesumat.* Concludit Benedictus XIV. de Sacrif. Missæ l. 3. c. 13. n. 4. peccatum etiam mortale fieri posse, si quis ita faceret ex habitu: *Si quis* (ait) *nulla causa urgente, perpetuo id faceret, ut videretur quasi statuisse animo, numquam celebrare dicto Matutino cum Laudibus, tam cum doctis Auctoribus concludi posset, hujusmodi sacerdotem peccare mortaliter.*

2. Convenit etiam, ut aliquantisper orationi mentali vacaverit. Si confiteri vult, hoc faciat, antequam sacras vestes induat. Deinde faciat præparationem proximam, ex qua proprie omnis inter celebrandum actualis devotio derivari solet. Ad hoc expediet, psalmos illos et orationes, quæ in tabella præparatoria in hunc finem descriptæ sunt, attente perlegere.[2])

3. Facta præparatione quærat in Missali Missam,[3]) quam dicturus est, et signacula propriis locis apponat;

---

[2]) Quærit S. Alphonsus in theologia morali l. 6. n. 410. Dub. 2. „An sit veniale, omittere Orationes ante vel post Missam?“ Et respondet: „Affirmant Sahnant. tr. 5. c. 4. n. 95. cum Fagund. et Leandr., loquendo tamen de illis, quæ post Missam assignantur. Sed communiter negant Gavant. p. 2. tit. 1. n. 1. Contin. Tourn. c. 9. art. 2. s. 8. qu. 3. Antoine de Euchar. c. 3. qu. 6. r. 2. Holzmann n. 376. Palaus p. 4. n. 6. Tamb. c. 7. §. 1. n. 1. Elbel n. 268. et Roncaglia qu. 1. r. 2. quia in Rubrica non adest de illis præceptum, sed tantum insinuatio, cum ibi in præparatione Missæ solummodo dicatur: *Orationes pro temporis opportunitate* (hoc est commoditate) *dicendæ.* Qua de re Gavantus ait: *Inde patet, nullum esse peccatum, si celebraturus eas omittat, et communius a sacerdotibus omittuntur.* Hoc tamen non obstante sacerdotem, qui sine ulla alia præparatione saltem domi facta ad sacrificandum accederet, puto ab aliqua culpa non excusandum.“

[3]) Celebranti non est liberum, recitare Missam, quam maluerit ex eodem Communi, ubi sunt plures Missæ, nec Epistolam aut Evangelium sumere ex alia Missa, sed debet legere Missam, quæ in proprio Missali assignatur. S. R. C. die 11. Sept. 1841. in una Namurcen. ad 1. n. 4930.

præparet apparatus sacros, et deinde manus lavet submissa voce dicens: *Da, Domine, virtutem etc.*[4]) Hic advertendum, juxta communem sententiam Doctorum, omissionem hujus orationis ut et aliarum, quæ dicendæ sunt a celebrante, cum sacras vestes induit, non esse culpam gravem, attamen saltem a peccato veniali non posse excusari.[5])

[4]) *De Herdt S. Liturg. prax.* tom. I. n. 195. monet, ut sacerdos integras manus lavet, et non tantum extremitates indicis et pollicis, ut ad *Lavabo:* et quidem recte: nam Rubrica Missalis hic certe indicasset si uti ad *Lavabo* tantum digitorum extremitates et non integræ manus essent lavandæ.

Huc spectat etiam locus theologiæ moralis lib. 6. n. 409., ubi S. Alphonsus ait: „Lotio manuum ante Missam debet fieri saltem sub veniali, et sub gravi, si manus sint valde immundæ, propter reverentiam sacrificii, ut recte dicunt Roncaglia qu. 1. r. 2., Cont. Tourn. c. 9. art. 2. s. 8. qu. 4. cum Quarti et aliis. Omittere vero lotionem post Missam nullum erit peccatum, ut recte ait Croix n. 413. cum Quarti." Cui posteriori sententiæ assensit S. R. C., quæ die 18. Aug. 1854. in Lucion. ad 28. declaravit, *arbitrio et prudentiæ Ordinarii relinqui*, inducere praxim lavandi manus in fine Missæ, postquam celebrans exuerit vestes sacerdotales, in diœcesim, in qua non est in usu; *sed non* inducatur *per modum præcepti.* — Hoc decretum modo citatum non invenitur in Collectione Gardelliniana, sed solum in Analectis Juris Pontif. tom. II. p. 2193.; S. R. C. autem novissime statuit: „Decreta S. R. C. quæ, etsi non prostent in Gardelliniana editione, constet tamen esse authentica, eamdem habent auctoritatem, quam retinent illa, quæ leguntur in dicta editione: dummodo hæc decreta extra Collectionem Gardellinianam posita non sint opposita decretis posterioribus in eadem Collectione contentis." Die 10. Dec. 1870. in una Urbis Semin. Gallic. ad 1. n. 5465. Conf. adnot. 11. cap. XIII. infr.

[5]) Quærit S. Alphonsus in theol. mor. lib. 6. n. 410. Dub. 3.: „An omittere orationes in induendo vestes sit peccatum?" et respondit: „Negant Suarez disp. 82. sub init. et Burchard. ap. Gavant. n. 2. E converso Azor. lib. 10. cap. 29. qu. 5., Navarr. Manuale c. 25. n. 73. et Sylvester ap. Escob. n. 505. censent. esse mortale, quia, ut dicunt (sed non satis probabiliter), sicut est mortale celebrare sine vestibus, ita sine orationibus ad vestes. Tenendum igitur cum communi sententia, hanc omissionem esse culpabilem, sed non plus quam venialem: ut putant Lugo dist. 20. n. 106., Bonac. p. 9. n. 32., Laym. c. 6. n. 12. v. 8., Contin. Tourn. ib. post qu. 11. v. Dico 4., Salm. tr. 5. c. 4. p. 4. n. 95., Pal. p. 10. n. 8. cum Henr. et Petig. et Escobar. n. 507. cum Fag., Aversa, Man., Vega etc. Aliter autem quidem sunt necessariæ vestes sacræ ad reverentiam sacrificii, aliter orationes ad vestes."

4. Deinde calicem[6]) accommodet, et ipse super pa-

[6]) Tam ex Rubrica Missalis, quam ex textu S. Alphonsi patet, sacerdotis esse, calicem pro Missæ sacrificio præparare, non sacristæ. — Quoad tangenda vasa sacra conf. theol. mor. lib. 6. n. 382.

Juxta Rubricam Missalis *Rit. serv. in cel. Miss. tit. I. n. 1.* calix „debet esse vel aureus vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam". Sed in Rubrica de *Defect. tit. X. n. 1.* etiam stannea cuppa permittitur: „Calicis cuppa debet esse aurea vel argentea vel stannea, non ærea vel vitrea." *Benedictus XIV.* in Constitutione *Imposita Nobis* d. d. IV. Calend. Aprilis 1751. n. 3. de calice stanneo hæc habet: „Nullum generale decretum proferri potest, quo vel hodie vetitum sit, hujusmodi calicibus e stanno confectis in Missa uti, si ecclesiarum vel sacerdotum paupertas tanta sit, ut majoris pretii vasa comparari nequeant: quin imo in Can. *Ut calix de Consecr. dist. 1.* hæc expressa verba leguntur: *Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum calicem habeat.* Et quidem ad comprobandam asserendamque hujusmodi Ecclesiæ indulgentiam plura leguntur apud S. Thomam 3. p. qu. 83. art. 3. ad 6. aliosque scriptores de hoc disciplinæ capite agentes."

Quærit S. Alph. lib. 6. n. 370. Dub. 3., an calix stanneus debeat esse inauratus, et respondit cum Tournely et Lugo: probabilius non eximi a culpa veniali consecrantem in calice non inaurato, nisi paupertas excuset. Idque confirmatum est ex communi consuetudine.

In hanc rem proderit nosse sequ. decr. S. R. C.: „Habetur ex Rubrica, calicem debere esse vel aureum, vel argenteum aut saltem habere cuppam argenteam intus auratam; unde quæritur: an liceat episcopo consecrare calicem ex stanno, ex ære vel auricalcho cum cuppa ejusdem materiei tamen aurata?" Et S. R. C. respondit: „Standum Rubricis" die 16. Sept. 1865. in Æsin. ad 4. n. 5350.

Porro quoad calices ex alluminio sive puro sive aliis metallis commixto S. R. C. declaravit die 1. Sept. 1866. in Molin.: „Nihil esse innovandum." Sed Sanctitas Sua Pius IX. permisit calices et patenas ex alluminio aliis metallis commixto, vulgo *Bronzo di alluminio* confectos adhiberi, si cuppæ calicum et patenæ in tota superficie argento prius et deinde auro in partibus a Rubrica requisitis obducantur, verum sub forma et conditionibus in adnexa instructione præscriptis. Die 16. Decembr. 1866.

Denique Academia Liturgica in Urbe erecta sequentia dubia S. R. C. proposuit: „I. An fabricari possint calices pro Ss. Sacrificio Missæ, quorum cuppæ sint ex metallo, auricalcho vel cupro confectæ? II. An hujusmodi cuppæ etsi inauratæ licite consecrari queant ab episcopo? III. An tolerari possit, quod ecclesiæ, quæ prædictos calices jam habent, eorumdem usum valeant retinere?" Et S. R. C. die 16. Martii 1876. in una Romana respondit: „Ad I. Serventur Rubricæ. Ad II. Provisum in primo. Ad III. Abusum esse interdicendum, congruo tamen assignato tempore ut de aliis calicibus provideatur." n. 5658.

tenam[7]) hostiam[8]) ponat;[9]) sed antea digitos, pollicem scilicet et indicem circum hostiam, leviter eam tangendo, moveat, ut fragmenta, quæ non bene cohærent, decidant. Jam patenam cooperiat palla,[10]) quæ juxta

---

Disputatum est inter Doctores (vide S. Alph. l. 6. n. 370. Dub. 2.), an calix de novo inauratus nova consecratione indigeat. Sed hæc quæstio hodie decisa est in una Leodien. de die 14. Junii 1845. n. 5011. sequentis tenoris: „Utrum calix et patena suam amittent consecrationem per novam deaurationem, et sic indigeant nova consecratione?“ Sacra autem Congregatio Rit. rescripsit: „Affirmative, amittere nimirum et indigere juxta exposita.“ Et alio decreto die 9. Maji 1857. in Strigon. ad 1. n. 5232. declaratum est, non sufficere simplicem sacerdotis benedictionem, sed novam consecrationem ab episcopo esse faciendam. — Sed antequam traduntur illa vasa artifici ad novam deaurationem, non debent a sacerdote exsecrari. S. R. C. die 20. April. 1822. in una Dubior. n. 4588.

[7]) Patena pariter juxta Rubricam debet esse inaurata et ab episcopo consecrata; unde calix et patena vocantur vasa sacra. *Gavant.* in p. II. tit. 1. lit. h.

[8]) Cum in aliquibus ecclesiis extra Italiam hostiæ et particulæ nimis parvæ ad sacrificium et communionem adhibeantur, non abs re erit, formam tum hostiarum tum particularum, qualis Romæ in usu est, significare: hostiæ nempe, quæ hodiedum Romæ in usu sunt, diametrum habent octo centimetrorum, et particulæ trium cum dimidio.

Hostiæ, quæ a multis sæculis formam rotundam sive orbiculam habet, Crux vel nomen Jesu imprimebatur: progressu vero temporis aliæ quoque effigies inductæ sunt, scilicet Christi crucifixi, vel ad columnam alligati, vel e sepulchro resurgentis, vel ad cœlum adscendentis, vel Agni Dei. Circa hanc consuetudinem apud Gardellini n. 4723. sequens habetur dubium: „Quæstio orta quum sit inter nonnullos de Clero Imolen., an liceat Missam celebrare, quin in sacra hostia appareat imago Jesu Christi cruci affixi?“ eaque ad S. R. C. deducta, hæc . . . respondit: „Servetur consuetudo.“ Die 26. April. 1834. in una Imol. — Quoad sacrarum particularum renovationem conferatur adnotatio 10. capitis XI.

[9]) Textus hujus Rubricæ l. c. sonat: „Deinde præparat calicem . . . *super ejus os ponit purificatorium mundum*, et super illud patenam cum hostia integra.“

[10]) Palla debet esse linea (Rubr. Miss. l. c.) vel ex cannabe, ut ait S. Alphonsus lib. 6. n. 375. Dub. 3. et n. 388; quod confirmatur decreto generali S. R. C. 18. Maji 1819. n. 4563, in quo præscribitur: „Sacra indumenta ac supellectilia conficienda esse *ex lino* aut *cannabe*, *non* autem ex alia quacumque materia, etsi munditie, candore ac tenacitate linum aut cannabem æmulante et æquante. Aliqua tamen indulgentia utentes, permiserunt (Cardinales S. R. C.), ut amictus, albæ

decretum S. R. C. de die 22. Januarii 1701. a parte superiori drappo serico non debet esse obtecta.[11]) Tum superimponat velum[12]) ex parte anteriore ita extensum, ut pedem calicis operire possit et plicaturas a latere, non a fronte habeat, quo commodius plicari possit, cum calix detegendus est. Super velo ponatur bursa[13]) cum

tobaleæ, mappulæ, si quæ ex gossypio habentur, adhiberi interea possint, usque dum consumentur. Sed cum hujusmodi supellectilia renovanda erunt, ne ex alia materia fiant, nisi ex lino vel cannabe, præceperunt. Districte vero jusserunt, ut corporalia, pallæ ac purificatoria post lapsum unius mensis a præsentis decreti publicatione linea omnino sint, vel ex cannabe, interdicto et vetito aliorum usu, quæ ex gossypio supererunt."

[11]) Decretum hic citatum habetur apud Gardellini sub num. 3575. dub. 6. et est hujus tenoris: „An in sacrificio Missæ uti possit palla a parte superiori drappo serico cooperta?" Et S. R. C. respondit: „Negative." Postea vero hoc decretum mitigatum fuisse videtur. Cum enim Guillois sacerdos Cenomanensis dubium proponeret: „An non obstantibus decretis a S. R. C. editis uti liceat palla a parte superiori panno serico cooperta?" S. R. C. die 10. Jan. 1852. respondit: „Permitti posse, dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat, ac pannus superior non sit nigri coloris aut referat aliqua mortis signa." Sic legitur in Anal. Jur. Pont. Ser. I. pag. 1429.

[12]) Velum sericum esse debere, patet ex Rubrica Missalis l. c. Putat *Gavantus*, velum antiquitus fuisse benedictum, sed hodie certe non benedicitur: sicut juxta S. Alphonsum theol. mor. lib. 6. n. 395. nec *bursa*, nec *manutergium*, nec *antipendium*, nec *pulvillus*, nec *candelabra* benedicuntur. S. Alphonsus l. c. hæc habet: „Dicit autem La-Croix n. 330., quod celebrare sine velo, quando nullum habetur, non est peccatum: nam velum, manutergium, pulvillum, ait, requiri tantum ob decentiam: et idem censet de bursa cum Sporer." Juxta decretum S. R. C. die 7. Sept. 1816. in una Tuden. ad 26. n. 4526. etiam *Purificatorium* benedici non debet.

Hic notandum est decretum 12. Jan. 1669. in una Urbinat. n. 2464: „An sacerdos in Missæ sacrificio post communionem reponens calicem in medio altaris, velum, quo in principio Missæ operitur, supra bursam debeat plicare necne?" Et S. R. C. respondit: „Tam in principio Missæ quam post communionem calicem velatum esse debere totum in parte anteriori, et ita in posterum ubique servari voluit et mandavit."

[13]) Rubrica Missalis l. c. ita habet: „Super velo ponit bursam coloris paramentorum intus habentem corporale plicatum." Ad hanc Rubricam notat S. Alphonsus in theol. mor. l. 6. n. 395: „Unde non bene agunt, qui extra bursam deferunt corporale, ut recte ait Gavantus in dict. Rubr., ubi refert, S. Pium V. dispensasse cum Hispanis, ut corporale extra bursam ferre possint."

parte anteriore aperta, in qua ponendum est corporale (alias enim, ut notat Gavantus, bursa inutilis esset): deinde bursa cum anteriore parte veli cooperiri debet.

5. Notandum, juxta sententiam Doctorum graviter eum peccare, qui celebrando utitur corporali [14]) valde immundo; et Meratus idem de aliis paramentis affirmat. Uti vero corporali parum immundo culpa venialis est, dummodo aliud commode haberi possit: imo Continuator Tournelü dicit, in casu, quo quis alias Missam præceptam dicere nequiret, corporali etiam notabiliter immundo uti licere. [15])

Circa usum portandi corporale extra bursam atque extensum retinendi super altare apud Gardellini in una Ravennaten. n. 3707. sequentia dubia habentur: 1. „An deceat, nec ne, corporale retinere extensum super altare toto tempore, quo celebrantur Missæ, et donec ab ultimo in eo celebrante reportetur ad sacrarium? 2. An conveniat corporale extra bursam deferri?" Et S. R. C. respondendum censuit: „Archiepiscopus incumbat observantiæ et exsecutioni Rubricarum." Die 13. Sept. 1704.

[14]) Rubrica Missalis l. c. habet: „Corporale ex lino tantum esse debet, nec serico vel auro in medio intextum, sed totum album, et ab episcopo vel alio habente facultatem, simul cum palla benedictum." Quod corporale ex lino esse debet, jam in nota 10. vidimus. Rubrica prohibet, ne corporale serico vel auro *in medio* sit intextum: nam in extremitatibus potest esse serico vel auro elaboratum, ut habent S. Alphonsus, Gavantus, Suarez et alii.

Corporale et palla antiquitus non distinguebantur; corporale enim totam aram tegebat et ex parte posteriori supra calicem elevabatur eumque contegebat *(Meratus* in p. II. tit. 1. Rubr. Miss. n. XI., S. Alphonsus l. 6. n. 388). Quamvis vero hodie palla separata sit a corporali, tamen non separatim benedicitur, quia (ut ait Gavantus ib. lit. q.) est unum quid et veluti pars corporalis nec in Pontificali datur distincta benedictio. (S. Alphons. l. c.) „Celebrare sine corporali" (ait S. Alphonsus l. 6. n. 387. Not. 1.) „aut cum eo non benedicto, nequit excusari a mortali, nisi gravis urgeat necessitas celebrandi: certum est apud omnes . . ." Et l. c. n. 388.: Celebrare sine palla aut cum ea non benedicta, affirmant probabiliter (esse mortale) Suarez et alii . . . non minus vero probabiliter negat Sotus, item Manuel &c. . . „Dicunt autem Sporer et Croix cum Gobat, quod si palla desit, aut per quadrantem exspectari debet, poterit loco ejus adhiberi aliud corporale, aut hoc deficiente purificatorium aut bursa."

[15]) Rubrica Missalis de *Defectibus* tit. X. n. 1. inter graviores defectus numerat: „Si corporalia non sunt munda." Hic S. Alphonsus l. 6. n. 376. allegat Can. *Relinqui de custodia Euchar.*, ubi habetur:

6. Notandum etiam, quod in medio corporali non debet esse crux, quæ tamen permittitur in extremitate partis anterioris, ubi eam osculari licet, quando osculandum est altare. Præterea notandum, quod super calicem nec manutergium nec alia res poni debet: et ita pariter super altare nihil ponendum est, quod ad Missam non pertinet. (Conferatur infra Cap. II. n. 1. in fine.)

7. Hisce rebus præparatis sacerdos accedit ad locum, ubi paramenta servantur. Debent autem servari in sacristia vel ad summum, sicut a Doctoribus permittitur, in angulo altaris et proprie in cornu Evangelii, cum solis Episcopis et Cardinalibus, necnon iis Prælatis, qui habent usum Pontificalium (sed his ultimis tunc solum, cum Pontificalia exercent) concessum sit, paramenta a medio altari sumere. S. R. C. 27. Sept. 1659. [16])

8. Priusquam vestes sacras induit, si signo crucis signare se velit, hoc faciat, antequam amictum sumat. Sic Bauldry et Tonnellius.

„Præcipimus, ut oratoria, vasa, corporalia et vestimenta munda et nitida conserventur.". Ut autem sacra linteamina (corporalia, pallæ, purificatoria) munda et nitida conserventur, sæpe lavari debent. Quod autem spectat ad lotionem corporalium etc. advertendum est, primam lotionem fieri debere a sacerdote vel diacono vel saltem subdiacono, et aquam lotionis mitti in sacrarium. Quocirca S. R. C. interrogata: „Utrum moniales seu piæ feminæ vitam communem sub regula degentes possint cum licentia Ordinarii abluere corporalia, pallas et purificatoria?" respondit: „Negative." Die 12. Sept. 1857. in Molin. ad 30. n. 5251. — Conf. S. Alph lib.. 6. n. 387. Not. 2.

[16]) Decretum hic allegatum ap. Gardell. sub n. 2003. in extenso legitur. Notamus tantum ea, quæ huc spectant. „Sacras vestes ex altari non sumant (prælati episcopo inferiores), nisi pontificaliter divinis vacaturi." Et in Cremonen. die 7. Julii 1612. n. 457. eadem S. R. C. declaravit: „Neque vicario generali, neque dignitati vel canonico, sive sint protonotarii sive non, licere, (paramenta ex altari sumere) qui omnes non ex altari sed ex sacristia vel ex alio loco ad id ordinato paramenta capere debent, et inde parati ad celebrandum accedere.... Solis tamen episcopis private celebrantibus convenire, non ex sacristia, sed ex altari paramenta sacra sumere."

Hic addimus ex *Gavanto* in p. II. tit. 1. n. 2.: „Deficiente sacristia aut mensa separata, si in casu necessitatis (paramenta) ponantur in altari, numquam tamen in medio, sed in cornu Evangelii collocentur."

9. Primum igitur, accipiendo *Amictum* in extremitate, ipsum osculetur in medio, ubi crux est. Sed si crux non inveniretur nec alius amictus haberi posset, dicit Meratus, signandam esse crucem cum digito in medio amictu et tunc osculandam.[17]) Quam ut commode osculari possit, manum sinistram in medio amictus submittat, (retinendo tamen semper extremitatem amictus) admoveat crucem ad os, ut sic eam osculetur. Tunc amictum super caput ponat, elevando eum versus manum sinistram, non directe jaciendo super caput. Postquam amictum super caput posuerit, eum descendere faciat super collum, ita ut collare totum eo cooperiatur. Deinde chordulas ad pectus circumducat, ponendo chordulam dexteram super sinistram et a tergo retrahendo liget in parte anteriore, interim dicens: *Impone, Domine etc.*

10. Deinde *Alba*[18]) se vestiat. Quam si quis porrigit, sacerdos manibus junctis parum caput inclinet, ut

---

[17]) Hæc sententia *Merati*, a S. Alphonso allegata, contraria esse videtur Rubricæ Missalis p. II. tit. 4. n. 1., ubi habetur: „In omni etiam deosculatione sive altaris, sive libri, sive *alterius rei* non producitur signum crucis pollice vel manu super id, quod osculandum est.“ In Cæremoniali Episcoporum l. 1. c. 9. n. 1. in medio amictu crux requiritur; si tamen crux non inveniretur, tunc (notat *Baldeschi* p. I. art. 1. n. 8.) „non facies crucem cum pollice, sicut aliqui docent, cum id (citatæ) Rubricæ contrarium sit.“ *Turrinus in Direct. Sacrific.* p. I. sect. 4. cap. 3. scribit: „Duo circa amictum notantur: primum est, quod habeat crucem in medio. Quid autem si non habuerit? Numquid pollice pingenda est in eo? . . . nequaquam; sed capiti sine crucis efformatione ponendum; non enim ponitur ibi crux principaliter ut eam osculemur, sed ut in eo refulgeat et perspiciatur, ex cujus positione jubetur consequenter pro reverentia osculum: ideo autem vult Ecclesia in amictu esse crucem, quia amictus, quo antiquitus caput velabatur per totam Missam, . . . datur, ut ex ipsa oratione patet, pro galea, in qua signum aliquod apponi solitum est.“ . . . *Gavantus* l. c. n. 3. adhuc notat: „Omittatur hoc loco signum crucis, quod præter Rubricam sibi faciunt quidam manu et amictu simul a fronte ad pectus vel signent se, antequam accipiant amictum.“ Idem etiam docet *Bauldry* p. III. Rit. serv. in cel. Miss. tit. 1. Rubr. 3. not. 2.

[18]) In una Ord. S. Joann. de Deo die 17. Aug. 1833. ad 5. n. 4718. quæsitum est: „An liceat ubique terrarum in fimbriis et manicis alba-

illam excipiat. Tunc partem dexteram ad terram descendere faciat, alteram partem brachio sinistro sustentans, ut manus sinistra sit magis expedita ad vestiendum brachium dexterum, quod semper prius vestiri debet. Postea partem sinistram Albæ demittat, dextera autem sinistram induendo adjuvet, et interim dicat: *Dealbame etc.*

Deinde cingat se *Cingulo*, quod convenientius e lino conficitur, ut S. R. C. die 22. Januarii 1701. declaravit.[19]) Potest etiam adhiberi cingulum coloris paramentorum, ut patet ex alia declaratione ejusdem Congregationis de die 8. Junii 1709.[20]) Volunt Rubricistæ, ut Alba, cum descenderit, ligetur, et postea accommodetur. Juxta usum hodiernum sacerdos ambabus manibus partem anteriorem ita accommodat, ut æqualiter a calceis distet, et tunc se cingit. Cingulum, quod debet esse duplicatum, accipitur a parte dextera et ita ligatur, ut fimbriæ a dextera quantum possibile est, prolixe dependeant et ad firmandam stolam serviant. Dum se cingit, dicat: *Præcinge me* etc., et interim minister a tergo Albam accommodet, ita ut etiam æqualiter a pedibus distet et vestem talarem cooperiat.

---

rum et aliarum vestium sub velo transparenti fundum rubrum mittere vel an sit privilegium peculiare Italiæ, Hispaniæ &c." Et S. R. C. respondit: „Negative." Sed hoc non obstante, dicendum est, talem usum etiam Romæ tolerari. Permittuntur tamen in tobaleis altarium, in albis et in superpelliceis vela transparentia, quæ repræsentant cruces, ostensoria, calices cum hostia, figuras Angelorum et alia similia sacra objecta. S. R. C. die 5. Dec. 1868. in Lyren. ad. 6. n. 5419.

[19]) Decretum hic allegatum habetur apud Gardellini sub num. 3575. et sonat: „An sacerdotes in sacrificio Missæ uti possint cingulo serico?" Et responsum fuit: „Congruentius uti cingulo lineo." Die 22. Januarii 1701. in una Congreg. Mont. Coron. ad 7. Novissime autem permisit S. R. C., ut etiam cingula *lanea* licite adhiberi possent. Die 23. Dec. 1862. in una Ord. Carthus. n. 5326.

[20]) Hoc alterum decretum pariter invenitur apud Gardellini sub num. 3809. dub. 4.: „An cingulum, tertium indumentum sacerdotale, possit esse coloris paramentorum; an necessario debeat esse album?" Et S. R. C. respondit: „Posse uti cingulo colore paramentorum."

11. Accipit *Manipulum,*[21]) osculatur crucem illius, ligatque prope cubitum brachii sinistri, ne impediatur in suis functionibus. Interim dicit: *Merear, Domine, portare* etc.

12. Accipit utraque manu *Stolam* inter pollices et indices, ita ut manus palmum circiter inter se distent; osculetur crucem in medio, et deinde retrahat manus, ita ut duos circiter cum dimidio palmos distent, et sic stolam super humeros remittere possit. Deinde mittat partem dexteram super sinistram, ita ut in pectore crux formetur: tunc ambabus manibus apprehendat extremitatem stolæ eamque demittat, quantum manus extendere potest, quia hoc modo crux accurate in medium veniet versus collum. Quo facto firmabit eam a lateribus duabus extremitatibus cinguli, dicens: *Redde mihi* etc. Advertit Meratus cum multis aliis, stolam ita adaptandam esse, ut crux planeta cooperiatur: et propterea in multis ecclesiis, ubi sacri ritus exacte observantur, in media stola chordulam adaptant, quæ a tergo ad cingulum alligatur, ut stola nec extra planetam apparere nec supra collum adscendere possit.[22])

---

[21]) *Lohner* p. 6. tit. 1. n. 7, 1. vult, ut manipulus ligetur supra cubitum, quia sic minus impediet sacerdotem in suis functionibus, et post consecrationem nullum erit periculum tangendi et extrudendi Ss. Hostiam extra corporale. Sed hæc opinio non placet nec *Gavanto,* nec *S. Alphonso,* nec *Castaldo* p. II. sect. VII. n. 11, nec *Bauldry* l. c. Not. 3., nec est in usu in Urbe. *Martinucci Man. Cær.* l. 1. c. 18. n. 10. scribit: „Manipulum . . . brachio sinistro imponet ad ulnam, nempe inter pulsum et cubitum;" et cap. 25. n. 13. inter defectus enumerat: „Manipulum ad cubitum apponere." Addit *Meratus* p. II. tit 1. n. 27.: „Certum est apud omnes, firmandum esse manipulum aciculis aut chordulis, ne decidat e brachio sacerdotis."

[22]) „Inter auctores liturgicos, ait *Meratus* l. c. n. 30., quæstio agitatur, quomodo stola sit aptanda collo sacerdotis; utrum casula sit contegenda, vel potius debeat apparere?" Et affert, apud quosdam religiosos stolam ita aptari, ut crux exterius appareat. Alii, uti Theatini, stolam casula obtegunt, dicentes, casulam super alia omnia indumenta collocandam esse. Usum etiam a S. Alphonso allegatum, firmandi stolam vitta sive chordula ad cingulum, laudat Meratus; sed hodie quasi nullibi in usu est. *Martinucci* l. c. n. 12. in nota scribit:

13. In fine se induat *Planeta,*[23]) eamque accommodet non solum super collum et humeros, apprehendendo ambabus manibus duas extremitates a tergo et explanando, ne plicaturæ remaneant: sed etiam a parte anteriore, ligando eam subtus chordulis, dicens interim: *Domine, qui dixisti* etc. Si manutergium sumere velit, illud ita accommodet cingulo, ut foris videri non possit. Advertendum, quod inter vestiendum non licet loqui cum quocumque, sed quilibet attendat, ut dictas orationes cum spiritu et submissa voce dicat, et mysteria paramentorum sacrorum recogitet.

„Qui sacerdotes stolam ad tergum rejiciunt, inspiciant Rubricam, quæ præcipit, ut ea cervici imponatur.“ Et l. c. cap. 25. n. 13. inter frequentiores errores hunc numerat: „Stolam dejicere per humeros, non eam aptare circa collum, ut crux, quæ est in medio, prodeat e planeta.“

[23]) Planeta, stola et manipulus juxta *Card. Bona rer. liturg.* lib. 1. c. 24. n. 5. ejusdem materiæ et texturæ esse solent, et in nobilioribus quidem ecclesiis ex serico. Habetur tamen decretum S. R. C. die 23. Maji 1835. in una Ord. Min. de Observ. n. 4750., quo declaratur, casulas ex gossypio contextas non comprehendi in prohibitione decreti generalis Pii VII. de die 15. Maji 1819. (supra in adnotat. 10. relati). —

Hic notanda sunt insuper sequentia decreta. In una Mutinen. die 23. Sept. 1837. dub. 8. ad 3. n. 4815. quæsitum est: „Num planetæ, stolæ et manipula possint confici ex tela linea vel gossypio vulgo *Percallo*, coloribus præscriptis tincta aut depicta?“ Et S. R. C. respondendum censuit: „Serventur Rubricæ et usus omnium ecclesiarum, quæ hujusmodi casulas non admittunt.“ — In una Atrebaten. die 11. Sept. 1847. n. 5099. quæritur: „An licitum sit ad celebrandam Missam ornamentis uti, quorum textura vitrea est mixta auro vel argento?“ Et S. R. C. respondit: „In voto Magistri Cæremoniarum seu negative ad propositum dubium, proptereaque prædictis ornamentis uti non licet.“

Subjungimus aliquas decisiones circa colores paramentorum. Non licet uti colore flavo vel cæruleo in sacrificio Missæ et sacris functionibus. S. R. C. 12. Nov. 1831. in una Marsor. ad 54. n. 4669., 16. Martii 1833. in una Veron. ad 4. n. 4707; 26. Martii 1859. in Fesul. n. 5279; die 5. Dec. 1868. in Syren. ad 5. n. 5419.

Paramenta confecta ex serico et aliis coloribus floribusque intexta, ita ut vix dignoscatur color primarius et prædominans, usurpari non valent mixtim pro albo, rubro et viridi. S. R. C. 23. Sept. 1837. in Mutin. Dub. VIII. ad 2. n. 4815.

CAPUT II.

De ingressu ad altare.

Sacerdos vestibus sacris indutus caput birreto cooperit,[1]) et cruce se signat (quod tamen non est de Rubrica). Vult Tonellius, ut, antequam calicem accipiat, alios sacerdotes capite detecto salutet: cui tamen Meratus contradicit ea ratione, quia sic caput detegendo majorem reverentiam exhiberet sacerdotibus quam imagini, quæ capite cooperto veneratur. Sed huic rationi facile responderi potest, quod sacerdos ideo capite cooperto imagini reverentiam exhibet, quia calicem tenet, et evidens periculum ipsum projiciendi subiret, si profunde inclinatus caput detegere vellet. Et revera imagini capite detecto reverentia præstanda esset, nisi calicem portaret. Accipit calicem ad nodum [juxta Rubricam][2]) quamvis mihi non videretur errare, qui infra

---

Simili modo paramenta coloris aurei inservire non possunt pro coloribus albo, viridi et rubro. S. R. C. 29. Martii 1851. in Adrien. ad 5. n. 5152.

Ad dubium tamen: „An sacra paramenta revera auro maxima saltem ex parte contexta pro quocumque colore exceptis violaceo et nigro inservire possint?“ S. R. C. rescribendum censuit: „Tolerandam esse locorum consuetudinem relate tantum ad paramenta ex auro contexta.“ Die 28. April. 1866. in una Quadalax. n. 5363. Conf. decr. n. 5419. die 5. Dec. 1868. in Syren. ad 5.

[1]) Hic notandum est decretum S. R. C. de die 14. Junii 1845. in u. Ord. Discalceat. Ss. Trinit. n. 5018. Propositum erat dubium, „an Patres discalceati Ss. Trinitatis Redempt. captiv. consuetudinem procedendi ad altare ad Missam celebrandam detecto capite servare possent“, et Emi Patres, omnibus mature consideratis, præsertim quod juxta alia decreta nulla consuetudo præscribere valeat Rubricarum dispositioni . . . rescribendum censuerunt: „Capite cooperto juxta Rubricam.“

[2]) Verba textus: *juxta Rubricam;* et paulo post: *Et præterea hæc Rubrica non est præceptiva, quia de rebus extra Missam tractat* inclusimus, quia in Rubrica Missæ non habetur, calicem ad nodum esse tenendum. Rubrica enim sic sonat: „Sacerdos omnibus paramentis indutus accipit manu sinistra calicem, ut supra præparatum, quem portat elevatum ante pectus, bursam manu dextera super calicem tenens.“ Multi quidem auctores dicunt, calicem ad nodum esse tenendum, sed opinio hæc est scriptorum, non Rubricæ præceptum.

cuppam apprehenderet, videlicet inter digitum parvum et annularem, tenendo cuppam cum aliis digitis, ut sic omne periculum, eum ad terram projiciendi, evitare possit. Ita eo magis facere potest, quia manus velo obtegitur. [Et præterea hæc Rubrica non est præceptiva, quia de rebus extra Missam tractat.]

Tenens calicem manu sinistra dexteram super bursam (cujus apertura versus ipsum patere debet) ponit: supra bursam vero nullam aliam rem, sive manutergium sive perspicillum, sive clavem tabernaculi sive aliud quidpiam ponere licet, sicut S. R. C. die 1. Septembris 1703. decrevit.[3]) Et teneat calicem ante pectus, ita illum portans, ut non multum ab eo distet nec illud tangat.

2. Accepto igitur Calice cruci vel imagini, quæ est in sacristia, profundam reverentiam exhibet,[4]) caput vero non detegit nisi in casu, quo calix jam ad altare portatus fuerit. Progredietur cum gravitate et modestia, oculis demissis et calice ante pectus ita elevato, ut super eum viam videre possit. Advertendum, manum dexteram ita planam tenendam esse super bursam, ut digiti

[3]) Decretum hic citatum refertur a Gardellini sub num. 3661. in una Pisaur. his verbis: „An sacerdotibus liceat deferre manutergium supra calicem tam eundo quam redeundo ab altari?“ Et S. R. C. censuit respondendum: „Non licere.“ Directe hic prohibetur, ne manutergium super calicem deferatur. Et ratio manifesta est; nam manutergium sive sudariolum non ita parva res est, et sæpe nec etiam mundum et nitidum. Auctores vero liturgici hanc prohibitionem ad omnem aliam rem extendunt, uti cum *S. Alphonso*, *Meratus* p. II. tit. 2. n. 1., *Baldry* l. c. tit. II. Not. 1., *Vinitor Comp. sacr. Rit.* p. II. tit. 2. annot. §. 1., *Martinucci* l. c. n. 5. aliique.

[4]) Rubrica Missalis l. c. dicit: „Et facta reverentia cruci vel imagini illi, quæ in sacristia est &c.“ nihil addens, an profunda, an vere media reverentia præscribatur. Conveniunt tamen auctores profundam cruci vel imagini crucifixi, mediam imagini B. Mariæ V., parvam vero aliis Sanctorum imaginibus esse exhibendam.

Notamus cum *Gavanto* p. II. tit. 2. n. 1. lit. a. quoad verbum *reverentia*, quod sæpius in Rubricis, et hic quidem primum occurrit, hanc vocem „*reverentia*“ esse nomen genericum, quod habet species i. e. inclinationes vel genuflexiones, ponique in Rubricis juxta specificam significationem, quæ rei convenit, cui fit reverentia.

sint uniti, cubitus autem dexter non elevetur sed adhæreat corpori.

3. Sed quia sermo fuit de reverentia, sciendum est, præter prostrationem et genuflexionem alios tres modos reverentiarum distingui quæ inclinationes dicuntur, scilicet *profunda, media* et *simplex.*

Profunda est, quando quis stans caput et corpus ita inclinat, ut ambabus manibus genua tangere possit. *Media* est, si caput et humeros mediocriter inclinat. *Simplex* vero, si caput tantum inclinat. At hæc ultima inclinatio iterum triplex est: *minimarum maxima, minimarum media, minimarum minima;*[5]) quæ singulæ respondent triplici cultui: latriæ, hyperduliæ et duliæ. Prima est, cum caput ita profunde inclinatur, ut etiam humerorum inclinationem secum trahat, et fit, cum dicitur *Gloria Patri, nomen Dei*[6]) et *Jesu.* Secunda est, cum caput notabiliter inclinatur, et fit, cum nomen *Mariæ* pronuntiatur. Tertia in simplici capitis inclinatione consistit, et fit, cum nomen alicujus Sancti vel viventis Papæ profertur.

4. Facta igitur reverentia versus crucem vel aliam imaginem pergat ad altare, incessu gravi et oculis de-

---

[5]) Hæ denominationes etiam inveniuntur apud Meratum, Martinucci aliosque; *Baldeschi* p. 1. art. 2. n. 16. in not. et *De Herdt Sacræ Liturg. prax.* tom. 1. n. 121. capitis inclinationem in profundam, mediam et infimam vel parvam dividunt, quæ illis tribus S. Alphonsi respondent.

Quoad inclinationes, quæ in Rubricis Missalis diverso modo significantur, advertit *Martinucci* l. c. lib. 1. n. 5. in nota: „Distinctio triplicis reverentiæ superius tradita, nempe profundæ, mediæ et simplicis in Missalis Rubricis indicatur. Ibi enim reverentia profunda notatur verbis *profunde inclinatus* vel *facta profunda reverentia* et similibus; media reverentia exprimitur verbo *inclinatus* vel *parum inclinatus* aut *aliquantulum inclinatus*: simplex denique verbis *caput inclinat.* Subdivisio autem de capitis inclinatione in minimarum maximam, mediam et infimam, ne quis nos arguat commenti, in Cæremoniali Episcoporum innuitur lib. II. cap. 28. n. 46., ubi præscribitur Diacono canenti Evangelium, ut caput inclinet *profundius, cum dicit Jesus.*“

[6]) Ad nomen *Dei* caput inclinatur, cum dicitur in hymno *Gloria in excelsis* verbum *Deo*, et in symbolo *Credo in unum* ly *Deum.*

missis.[7]) An in via recitari possit *Miserere*, aliqui Doctores affirmant, alii vero negant, quia nihil habetur in Rubrica.[8])

5. Si sacerdoti ante altare transeundum est, in quo sanctissimum Sacramentum est expositum, duobus genibus genuflectere debet (etsi Bauldry aliique dicant uno genu); tunc caput detegit et birretum ministro tradit vel illud (quod Meratus cum aliis approbat) ipse manu dextera demissa tenet, partem apertam ad se ver-

---

[7]) Eodem modo, monet *Gavantus* p. II. tit. 2. n. 1. lit. c. incedat minister, oculis demissis et incessu modesto, factis debitis reverentiis cruci in sacristia, altarique majori simul cum celebrante. Volunt aliqui (apud *Meratum* l. c. n. 3.), ut minister genuflectat, si crux sit in sacristia; alii tamen censent, sufficere inclinationem in quolibet casu: et ita practicatum videmus in Urbe. Vult Meratus, ut minister accedens ad fontem aquæ benedictæ, quæ solet esse ante ostium sacristiæ, accipiat adspersorium, ipsumque reverenter osculando sacerdoti porrigat atque ab eo genuflexus adspergatur. Hodierna tamen Urbis praxis ea est, ut minister aquam benedictam digitis accipiat et reverenter sacerdoti porrigat. — Apud Gardellini sub num. 4393. in Ord. Min. Observ. Ref. S. Franc. die 27. Mart. 1779. ad 14. legitur sequens dubium: „An sacerdos pergens ad celebrandum et calicem manu sinistra portans, possit ad januam sacristiæ accipere aquam benedictam, eaque se signare?“ Et S. R. C. respondit: „Si commode fieri potest, se signet, sin minus, se abstineat.“

Si sacristia est post altare, „a sacristia ad illud e sinistra egrediendum, a dextera ad illam accedendum“, declaravit S. R. C. die 12. Aug. 1854. Briocen. ad 17. n. 5208.

[8]) *Meratus* p. II. tit. 2. n. 6. hæc habet: „An liceat sacerdoti tunc recitare submissa voce Psalmum aliquem ex. gr. *Miserere* aut aliquid aliud, non conveniunt Doctores: affirmant Bonamicus, Angel., negant Cabrinus, Premolus. Ego cum Hippolyto a Portu negativæ sententiæ adhærendum esse crediderim, quia nihil imperatur in Rubrica recitandum in accessu ad altare; sicut imperare debuisset, ut de facto imperat in recessu.“ Recte Meratus psalmum vel aliam orationem *submissa voce* recitandam non admittit, quia Rubrica talem orationem *vocalem* non præscribit; sed propterea non excluditur aliqua *mentalis* oratio; nam sacerdos juxta auctores seria mente et toto spiritu recogitare debet tremendum sacrificium, quod est celebraturus. Hæc etiam S. Alphonsi sententia esse videtur; nam in cap. XVII. n. 7. inter errores, qui in Missa committi solent, enumerat: „1. E sacristia eundo Psalmum *Miserere* recitare, quamvis aliquam orationem mentaliter dicere possit.“

tens:[9]) adorat cum profunda inclinatione capitis, se cooperit et surgit.[10]) Idem facit, si sacerdoti Sanctissimum per ecclesiam portanti obviam fit.[11])

6. Si transit ante altare, in quo fit elevatio vel communio, utroque genu flectat, ut supra dictum est, nec surgat, nisi postquam calix super corporale repositus est. In communione vero non debet exspectari quousque illa sit finita, ut habetur in decreto Sac. Rit. Congreg. de die 5. Julii 1698.[12])

---

[9]) Hic addit *Martinucci* l. 1. c. 18. n. 21.: „Manum oblique bursæ imponens, ne quid e calice decidat."

[10]) Apud Gardellini in una Urbis n. 1086. modus præscribitur, quomodo sacerdos se gerere debeat, dum is ad altare pergens Missam celebraturus, vel expleta Missa ab eo recedens, transit ante expositum Sacramentum. Responsio nempe S. R. C. fuit: „Servandas esse Rubricas Missalis Romani, quæ videntur innuere, quod post factam adorationem genibus flexis, detecto capite, surgens caput operiat." Die 24. Julii 1638. in una Urbis. Idem Gardellini in suo egregio Commentario ad Instructionem Clementis XI. de observandis in expositione Ssmi in Oratione XL Horarum §. VII. n. 7. adjicit: „sed non (esse) in genuflexione immorandum", et citat Gavant., Quarti, Cavalieri et Tetamum.

Idem Auctor in eodem Commentario §. VII. n. 10. scribit: „Licet jubeat *Instructio* sacerdotem, facta genuflexione et adoratione, dum surgit, caput operire debere, quod etiam firmat *Decretum* supra relatum, apud benemultos tamen usus invaluit, illud non operiendi, nisi, dum extra sunt adspectum altaris, in quo expositum est Sacramentum. Mos iste estne retinendus vel potius censura notandus? Eumdem utpote contrarium legi, quæ non sine rationabili causa mandat capiti imponi, facta genuflexione, birretum, communiter reprobant Rubricistæ. Audiendus *Meratus*, qui, regulæ inhærens, deponendum birretum monet a sacerdote non prius, „„sed postquam genuflexerat; facta autem profunda capitis inclinatione, antequam surgat, iterum imponendum, eumdemque absque alia reverentia suum debere prosequi incessum" cum birreto in capite."" "Quapropter non laudandi sed potius redarguendi sunt illi, qui ad majorem reverentiam, ut ipsi dicunt, capite aperto abeunt, donec sint extra conspectum altaris, tum quia operantur contra Rubricam et Decreta, tum quia incurrunt periculum, ut aliquid de calice decidat."

[11]) Gardellini loco modo cit. n. 13. et 14. quæstionem movet, quomodo se gerere debeat sacerdos ad altare pergens, vel ab illo recedens, si per ecclesiam obviam ei fiat deferens Sacramentum, vel in ostensorio patens, vel latens in pyxide? Et respondet: genuflectendum esse utroque genu, sive immorandum sit, sive non.

[12]) Decretum hic citatum a Gardellini sub num. 3477. ad 19. in una Collen. ita refertur: „An sacerdos Missam celebraturus transiens

7. Si transit ante altare, in quo facta est consecratio, unum genu flectat, caput detegat et profunde inclinatus adoret, se cooperiat et surgat. Potest etiam probabiliter genuflectere capite non detecto, quia sacramentum reconditum super altari considerari potest sicut absconditum in tabernaculo. Et sic practicatur Romæ, ut Meratus testatur.[13])

8. Si transit ante Altare majus, in quo est Sacramentum, unum genu flectit, quin birretum tollat: si vero crux tantum ibi posita est, profundam inclinationem faciat: quod idem faciet, si ibi insignis reliquia Sancti, cujus festum celebratur, vel qui magno honore habetur, exposita est.[14]) Quodsi Reliquiæ in eodem altari,

---

ante altare, ubi fit populi communio, debeat permanere genuflexus, et quousque terminetur communio?" Et S. R. C. respondit: Ad 19. „Negative."

[13]) Sententia hæc posterior S. Doctoris, juxta quam sacerdos unum tantum genu flectit, et statim, quin caput detegat, iterum surgit, omnino tenenda est propter praxim Romanam, quæ hodie adhuc viget et ubique sequenda est; nam praxis Urbis est optima Rubricarum interpres.

[14]) Hic notanda sunt quædam decreta S. Rit. Cong. Circa reliquiam S. Crucis in una Varsavien. die 7. Maji 1746. ad 12. n. 4181. dubium sequens propositum est: „Transeuntes ante expositam Reliquiam SSmæ Crucis, utrum debeant genu usque ad terram flectere, vel etiam an sufficiat semigenuflexio, uti solet fieri coram episcopo? Et utrum eadem genuflexio facienda est ante prædictam Reliquiam SSmæ Crucis, quæ, licet non sit exposita, asservatur tamen occlusa in aliquo altari, aut etiam quando exposita est, sed non apparet ex eo, quod pars hæc, quæ respicit populum, habet figuram Christi crucifixi?" S. R. C. rescribendum censuit: „Si loco principe, Reliquia SSmæ Crucis super altare fuerit exposita, *tunc transeuntes ante illam unico genu usque ad terram flexo venerare debent*, diversimode vero, sola capitis inclinatione, si præfata Reliquia recondita erit in custodia."

In una Lucionen. de die 23. Maji 1835. n. 4743. ad 1. quæritur: „An cæremoniæ in Missa coram sacræ Crucis ligno palam exposito differant ab iis, quæ in Missa coram SSmo Sacramento adhibentur?" Resp. „Affirmative, et solum est genuflectendum in accessu et recessu, et quoties transit ante medium Altaris, seu a latere ad latus, ut in incensatione." Conf. dec. 20. Martii 1869. in una Montis Regalis ad 9. n. 5430., ubi porro dicitur: „Lignum sanctæ Crucis thure adoletur triplici quidem ductu a sacerdote non genuflexo, sed stante, etiam

ubi Ss. Sacramentum asservatur, expositæ sunt, sufficit unum genu flectere, quin birretum tollatur.

9. Si sacerdos per chorum transit, quando dicitur *Gloria Patri* vel alius versiculus, ad quem caput inclinandum est, sistat et reverenter se inclinet.[15]) Si clerus ibi adest, ipsum capite cooperto, ad unam et alteram partem versus, salutet.[16])

10. Si sacerdoti a celebratione redeunti obviam venit, ipsi a dextera locum cedat et capite cooperto reverentiam exhibeat, quin tamen moram interponat procedendo.

11. Si ante aliquem Cardinalem, vel Archiepiscopum Provinciæ, vel Episcopum Diœcesis, vel Legatum apostolicum, Regem vel Magnatem transit, pariter capite cooperto inclinationem *mediocrem* faciat.[17])

---

feria VI. in Parasceve juxta decretum S. R. C. 23. Septembris 1837. in Mutinen. ad 14."

Circa cultum reliquiæ pretiosissimi Sanguinis exhibendum, a S. R. C. die 22. Sept. 1827. in una Veronen. n. 4634. declaratum est: Reliquiæ pretiosissimi Sanguinis eandem venerationem exhibendam esse sicuti sacro ligno Crucis: prohibetur vero decreto de die 12. Mart. 1836. in una Trident. n. 4777. ad 1. et 5., tales Reliquias exponere super tabernaculum, in quo asservatur SSmum Sacramentum.

[15]) Eamdem regulam habent *Meratus* p. II. tit. 2. n. 8. et *Pavone La guida liturgica* tom. II. n. 377. Sed quia Rubrica de hoc casu nihil habet, concludendum videtur, sacerdotem ad altare procedere posse, quin ad *Gloria Patri* aliquam reverentiam faciat.

[16]) Variis decretis prohibitum est, ne Missa celebretur in altari majori, dum in choro cantantur horæ canonicæ; nec in altaribus, quæ sunt in conspectu chori, si commode fieri potest. Vide ap. Gardell. n. 588. die 2. Martii 1620. et n. 5224. die 14. Maji 1856. ad 11. Alio decreto die 5. Martii 1667. in Senen. n. 2397. declaratum est, in casu, quo divinum officium recitantes altare conspiciunt, in quo elevatio fit: „Non esse genuflectendum, ne sacra, quibus assistunt, per actum privatum interrumpantur, sed ad evitandum scandalum, quod in populo et adstantibus causari posset ob non genuflexionem, esse omittendam pulsationem campanulæ in elevatione SSmi in dictis Missis privatis."

[17]) S. Alphonsus hic requirit inclinationem *mediocrem;* alii auctores autem, uti *Gavantus* p. 2. tit. 3. r. 2. lit. m., *Meratus* p. 2. tit. 2. n. 8., *Cavalieri* t. 5. c. 7. n. 29., dicunt, sacerdotem debere se inclinare capite cooperto plus minusque, prout eorum (Prælatorum etc.) dignitas postulat; recentiores econtra, *Baldeschi* p. 1. art. 2. n. 23.,

12. Advertendum, quod sacerdos, si calicem non portat, manibus ante pectus junctis incedere debet: et tunc omnes istas reverentias capite detecto facere debet.

13. Cum sacerdos ad altare pervenerit, ante primum gradum in plano subsistit, caput detegit et birretum ministro [18]) porrigit. Si adhuc pileolo coopertus esset,

---

Martinucci l. c. n. 22., *De Herdt* tom. I. n. 200, requirunt inclinationem capitis tantum.

Apud Gardellini in una Theanen. n. 3638. sequens habetur dubium: „An juxta solitum ex urbanitate post finem Missæ sacerdotes in ecclesiis Petræ Vairanæ, ipsum (Marchionem) et alios de familia, tamquam Dom. loci possint salutare, quamvis ab episcopo in synodo diœcesana salutatio prædicta fuerit prohibita?“ Et S. R. C. die 9. Dec. 1792. respondit: „Non videri prohibitam post actum Missæ.“ (Quod valet post actum, valet etiam ante actum Missæ.)

[18]) In Missa privata unus tantum Minister adhiberi debet, sive simplex sacerdos, sive prælatus episcopo inferior et usu Pontificalium gaudens eam celebret, uti ex pluribus S. R. C. decretis elucet: n. 699. Castra Durantis die 7. Aug. 1627; n. 2003. Decr. gen. 27. Sept. 1659; n. 4545. die 27. April. 1818. ad 6. etc. Hoc tamen solum de Missis stricte privatis intelligendum esse, declaravit S. R. C. die 12. Sept. 1857. in una Molin. ad 7. n. 5251: „Servanda esse quidem decreta“ (duos ministros in Missa prohibentia), „quoad Missas stricte privatas, sed quoad Missas parochiales, vel similes diebus solemnioribus, et quoad Missas quæ celebrantur loco solemnis atque cantatæ, occasione realis atque usitatæ celebritatis et solemnitatis tolerari posse duos ministros Missæ inservientes, servatis ordinationibus S. Congr. in una Tuden. diei 7. Sept. 1816. ad Dub. XI. et XII.“ (Præfatæ ordinationes sunt: minister Missale non aperiat, neque, si fuerit sacerdos vel diaconus sive subdiaconus, calicem præparet vel ipsum extergat post ablutionem.)

Quærit S. Alphonsus lib. 6. n. 392. Dub. 1.: „Quale peccatum sit, celebrare sine ministro?“ et respondet: „Certum est apud omnes, esse mortale ex cap. *Proposuit 6. de filiis presb.*, ubi dicitur: *Non enim solus presbyter missarum solemnia . . . . potest sine ministri suffragio celebrare.* Verum communiter dicunt Doctores licitum esse celebrare sine ministro urgente necessitate ministrandi viaticum; ita Lugo cum Suarez, Laym. . . . Et idem concedunt Cont. Touru., Lugo et Diana cum aliis ab ipsis citatis, ut populus audiat missam de præcepto. . . . Probabiliter autem dicunt (præter Lugo, Tambur., Henr. et Hurt. ap. Busemb.) Cont. Tourn. et Salm. cum Dic., quod incœpta Missa, maxime si sit facta oblatio, permittitur celebranti pergere sine ministro, si iste abscesserit et de brevi non revertatur. Probabiliter etiam dicunt Salm., quod celebrans non faciat scrupulum, si minister male

hunc etiam tollere debet, nisi ipsi dispensatione apostolica permissum esset, illo in Missa uti: quo in casu illum portare potest usque ad Canonem, et non nisi post Communionem illum reassumere licet. Et notandum, neminem, etsi Episcopus esset, sine indulto apostolico pileolo in Missa uti posse, ut constat ex pluribus decretis apud Gavantum (part. II. tit. 2. n. 2. lit. f.) et ex decreto approbato per Urbanum VIII. quod habetur in principio Missalis. [19])

---

pronuntiet, nec facile corrigat errores, ne turbet seipsum vel circumstantes vel ordinem Missæ, quamvis moneat Croix cum Gobat, quod celebrans suppleat omissa a ministro."

Quodsi sacerdotibus missionariis inter infideles aut hæreticos facultas celebrandi sine ministro conceditur, semper gravis necessitas supponitur, idque regulariter etiam exprimitur, sicut in facultatibus episcopis Germaniæ ad quinquennium concedi solitis.

Rubrica de defectibus p. III. tit. 10. n. 1. prohibet, ne mulier ad altare inserviat. Quocirca in una Veronen. die 27. Augusti 1836. ad 10. n. 4782. dubium propositum est: „Potestne sacerdos, omnibus sibi prius commode dispositis, quæ ad sacrificium occurrere possunt, ne mulieres inserviant altari, uti ministerio mulieris tantum pro responsis?" Et S. R. C. respondit: „Affirmative, urgente necessitate." Cf. Benedictum XIV. de sacrif. Miss. lib. 1. c. 11. n. 1. et S. Alphonsum theol. mor. l. 6. n. 392. Dub. 2.

[19]) S. Alphonsus theol. mor. l. 6. n. 397. quærit: „An sit licitum, celebrare capite cooperto?" Et respondit: „Certum est, hoc non licere ex c. *Nullus de consecr. dist. 1.*, ubi dicitur: *Nullus episcopus, presbyter aut diaconus præsumat, velato capite altari Dei assistere.* Accedit præceptum Urbani VIII. in Missali Romano appositum, in quo præscribitur: *Nemo audeat uti pileolo in celebratione Missæ sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, non obstante quacumque contraria consuetudine.*" Dicit Benedictus XIV. instit. 34. n. 14., sub Alexandro VIII. per particularem Congregationem fuisse declaratum, prohibitione pileoli comprehendi etiam *comas fictitias*, quibus pariter caput obtegitur; unde nemini absque privilegio apostolico licet, comis fictitiis in sacrificio Missæ caput tegere. Indulsit tamen idem Benedictus XIV., cum adhuc archiepiscopus Bononiensis erat, ut sacerdotes circulo quodam ex capillis confecto ad caput uterentur, ne tempora, dum sacrum faciunt, frigore perstringerentur; capitis vero partem, ubi clericalis corona designatur, nudam esse relinquendam voluit, addiditque „modo circuli modesti sint et necessitati soli accommodentur". Conf. alteram instit. 96., ubi idem Pontifex longe tractat de differentia inter comam fictitiam (parrucam) et circulum (cerchietti, girelli.); et S. Alphons. l. c.

14. Facit profundam inclinationem, si ibi non est Sacramentum:[20]) nam si asservatur, genuflectit, ut supra notatum est, absque alia capitis reverentia in infimo gradu juxta communem praxim.[21]) Deinde per medium altare adscendit, semper adscensum dextero pede incipiens. Cum ad medium altare pervenerit, calicem ad latus Evangelii ponit,[22]) sinistra manu bursam accipit, dextera vero corporale extrahit et in medio altari ponit. Deinde manu sinistra, quæ jam bursam tenet, eam ad cornu Evangelii et ita collocat inter candelas, ut apertura versus cornu Epistolæ prospiciat et cera candelarum super eam non defluat. Deinde corporale supra petram sacram, quæ est in medio altaris, ambabus manibus ita extendit, ut ejus extremitas usque ad partem anteriorem altaris pertingat et spatio unius tantum digiti ab

---

[20]) S. R. C. die 8. April. 1808. in una Compostell. ad 5. n. 4507. declaravit: „Tam in ingressu sacerdotis ad altare, quam ante principium Missæ, reverentia sacerdotis debet esse *profunda capitis et corporis inclinatio* juxta Rubricam."

[21]) Rubrica Missalis p. II. tit. 2. n. 2. dicit tantum: „Si autem in eo (altari) sit tabernaculum Ss. Sacramenti, genuflectens debitam facit reverentiam." „Et talis genuflexio", addit *Meratus* p. II. tit. 2. n. 11., „facienda est unico genu tantum in plano capellæ, juxta Cæremoniale Episcoporum lib. 1. c. 15. §. 5." Ibi de accedente episcopo dicitur: „genuflectet prius in plano solo absque pulvino". Hæc regula Cæremonialis generaliter hic applicatur, quamvis haud parva differentia est inter accessum episcopi et accessum sacerdotis: sacerdos enim calicem manibus portat, episcopus vero sine calice accedit. Sed missam facimus quæstionem: habemus circa hanc rem decretum S. R. C. die 12. Nov. 1831. in una Marsor. ad 51. n. 4669., ubi quæritur: „Quando celebrans genuflectit ante altare SSmi Sacramenti tam expositi quam in tabernaculo reconditi, debetne genuflectere in plano presbyterii, an in infimo gradu altaris?" Et S. R. C. respondit: „Serventur Rubricæ, sed in accessu et recessu in plano est genuflectendum: in infimo autem gradu altaris, quoties genuflectere occurrat."

[22]) Quidam, postquam calicem ad latus Evangelii posuerunt, manibus junctis caput cruci inclinant; sed non recte, quia nec Rubricæ nec Auctores, si excipis paucos, talem inclinationem commemorant. *De Herdt* tom. I. n. 202. in nota fatetur, hanc capitis inclinationem in Rubricis non præscribi, fieri tamen laudabiliter, ut dictum sit n. 125. ad 18., ubi auctoritatem S. Alphonsi pro sua sententia afferre videtur; sed errat, nam S. Doctor hic nullam inclinationem præscribit.

ea distet, ne fimbriæ corporalis vestibus sacerdotis adhæreant et calicem hinc inde moveant.[23]) Si in corporali crux acu facta invenitur, hæc in parte anteriore collocetur, ut sacerdos osculando altare hanc simul osculari possit.

15. Quo facto ambabus manibus calicem super corporale ponit. Accipiens enim manu sinistra pedem calicis ad nodum et dextera extremitatem veli attollens, calicem circiter medium palmum in altum elevatum a cornu Evangelii versus medium transfert, ibique ventum extremitatibus veli admovens, ne sub pedem calicis veniant, calicem, ex omni parte velo coopertum, intra, id est magis versus posteriorem (non anteriorem) partem, ita collocat, ut osculanti altare non sit impedimento: quod multo magis necessarium est post Communionem, quia tunc bursa est superposita: et semper linea recta in medio altaris supra petram sacram positus sit. Notandum, corporale sine dispensatione apostolica non posse portari extra bursam super velo. Videantur Gavantus p. 2. n. l. lit. o. et Meratus p. 2. tit. 2. n. 12.[24])

16. Si plures particulæ pro populi communione consecrandæ sunt, quam super patena teneri possunt, (nam si paucæ sunt, supra patenam ponuntur sub hostia) ponantur super corporale ante calicem versus cornu Evangelii, ita tamen, ut non sint extra petram sacram; vel etiam ponantur in pyxide vel alio calice:[25]) et quidem

---

[23]) *Baldeschi* p. I. art. 3. n. 27. multum commendat, corporale ita extendere, ut illa apertura ultima sit, quæ versus celebrantem vel partem anteriorem altaris prospicit: et eadem pars primo complicetur, ne umquam periculum sit perdendi fragmenta, quæ forte ex inadvertentia remanserunt.

Bauldry p. 3. tit. 2. n. 3. not. 3. et *Hagerer* tit. 2. n. 2. in fine dicunt, errorem esse contra Rubricam corporale non statim explicare, sed hoc differre usque ad oblationem. Idem dicendum, si quis tantum anteriorem corporalis plicaturam non explicat, sed usque ad offertorium clausam habet, quia Rubrica talem usum non memorat.

[24]) Conferatur supra adnotatio 13. ad cap. 1. n. 4.

[25]) De hac re S. R. C. sequens dubium propositum est: „Juxta Rubricas Missalis p. II. tit. 5. n. 3. hostiæ pro communione populi

retro post calicem, et si calix est, operiatur palla, si vero pyxis proprio cooperculo.

17. Collocato calice cruci simplicem reverentiam exhibet:[26]) quod semper faciat, quando a medio altari discedit vel in medium redit[27]), nisi forte paulo ante vel statim post accessum a Rubrica disponatur, ut altare osculetur vel alia inclinatio fiat, uti cum dicitur Credo.

---

conservandæ ponuntur vel super corporale, vel in alio calice seu vase: quæritur, an per illud vas intelligere liceat aliam patenam, in qua ponerentur hostiæ consecratæ? Insuper an hostiæ consecrandæ poni possint in alio corporali plicato in parte corporalis superposito, quod tempore oblationis et consecrationis explicetur, ut discooperiantur hostiæ?" Et S. R. C. respondit: „Si multæ sunt particulæ consecrandæ, satius est eas ponere in pyxide: si paucæ, poni possunt in alia patena, numquam vero in alio corporali complicato." Die 12. Aug. 1854. in Lucion. ad 19. (Anal. Jur. Pont. II. pag. 2192.)

[26]) Rubrica Missalis hic non præscribit inclinationem; dicit enim simpliciter: „Collocato calice in altari, accedit ad cornu Epistolæ." Consentit *Carpo Carem. Episc.* p. II. n. 27., qui decretum S. R. C. 12. Nov. 1831. in una Marsor. (vide infra adnot. 27.) citans scribit: „Collocato calice super corporale, junctis manibus ante pectus, *quin se cruci inclinet.*" Idem contendit *Martinucci* l. 1. c. 18. n. 27.

[27]) Apud Gardellini n. 4669. habetur sequens dubium: „Aliqui Rubricistæ volunt, quotiescumque nomen *Jesu* nominatur in Missa, vel dicitur *Gloria Patri,* vel acceditur ad medium altaris, vel ab ipso receditur, caput cruci esse inclinandum: alii sentiunt hujusmodi inclinationes tunc tantum faciendas, quum a Rubrica præscribuntur. Quæritur, quando hujusmodi inclinatio sit facienda?" Et S. R. C. respondendum censuit: „Serventur Rubricæ." Die 12. Novembr. 1831. in una Marsor. ad 28.

Responso: *Serventur Rubricæ,* quod in decisionibus S. R. C. sæpius occurrit, eadem S. Congregatio dicere vult: Rubricam stricte esse observandam, uti verba Missalis sonent, quin aliquid addatur, dematur, mutetur aut explanetur. Missale enim exacte indicat, quæ Rubricæ et quando sint observandæ. Quod S. Pius V. in Bulla *Quo primum* die 12. Julii 1570., in initio Missalis contenta, declarat dicens, se Missale recognitum et castigatum imprimi et impressum edi mandasse „ut sacerdotes intelligant, *quibus ritibus* uti, *quos ritus quasve cæremonias* in Missarum celebratione retinere posthac debeant." Porro ordinat S. Papa, „huic Missali nostro . . . nihil unquam addendum, detrahendum aut immutandum esse sub indignationis nostræ pœna"; imo expresse mandat, tantum iis cæremoniis uti, quas Missale præscribit: „In virtute sanctæ obedientiæ præcipientes, ut . . . Missam juxta ritum, modum ac normam, quæ per Missale hoc a nobis nunc

Facta vero hac reverentia statim junctis manibus, pollicem dexterum in forma crucis super sinistrum tenens,

traditur, decantent et legant; neque in Missæ celebratione *alias cæremonias* vel preces, quam quæ hoc Missali continentur, *addere* vel recitare præsumant." Per decisionem ergo: *Serventur Rubricæ*, S. R. C., quæ sola Rubricas authentice interpretari potest (Conf. Sixti V. Const. 74. *Immensa bonitas* d. d. 22. Jan. 1587.), jussum S. Pii V. *quasi renovat*, et *denuo inculcat*, ne quis limites ordinationum Missalis transgrediatur, nec aliquid addat, nec detrahat, nec immutet, utque ita Rubricæ a Summo Pontifice in Missali præscriptæ pure et integre serventur. Quid enim fieret, si quisque pro libitu et ad suum arbitrium cæremonias non præscriptas adjungere, præscriptas autem demere vel mutare posset? Nonne omnia susque deque verterentur?

Si quis autem dicat, per verba *Serventur Rubricæ*, S. Congregationem a quæstione dirimenda abstinuisse, et obligationem alicujus Rubricæ observandæ non imposuisse, responderi debet: Distinguendum; si in dubio proposito quæreretur, **quomodo** *Rubrica* jam in Missali, sed non clare, contenta *observanda esset*, et ad id S. R. C. responderet: *Serventur Rubricæ*: concedimus; si vero ad quæstionem, **an** *hæc vel illa Rubrica*, sive in Missali contenta sive non, *observari debeat*, S. R. C. eisdem verbis respondet: negamus. Nam in priori casu supradicta verba utique nihil decernerent; sed quando et quoties S. R. C. talem decisionem in lucem edidit? Si enim revera dubium propositum solvere non vult, semper respondet: *Dilata* vel *consuluntur auctores* etc. In altero autem casu sunt verba: *Serventur Rubricæ* formale mandatum; nam aut Rubrica in Missali est præscripta aut non; si præscripta, sequenda est; si non præscripta, omittenda, quia ad Ecclesiæ præcepta nihil addendum est.

In supradicto ergo casu quoad primam partem quæstionis per Rubricas ipsas vel specialia decreta provisum est; quoad alteram partem autem dicimus, *inclinationes*, quando sacerdos a medio altaris discedit vel in medium redit, **esse omittendas;** nam Rubrica *tantum bis* reverentiam præscribit: a) priusquam sacerdos descendit ad Missam incipiendam, „facta primum cruci reverentia" dicit Rubrica p. II. tit. 2. n. 4. et b) si transit ante medium altaris, ipsemet portans Missale. „caput cruci inclinat" Rubr. tit. 6. n. 1. Et ita practicatur Romæ, uti *Martinucci* demonstrat in *Manuali Cærem.* lib. 1. c. 18. et praxis Romana est optima interpres Rubricarum; item docent *Bonamicus* p. 2. n. 1., *Quarti* post partem 2. tit. 13. dub. 4. in comp. §. 2.; porro *Baldeschi* p. I. qui nullam aliam inclinationem præter duas a Rubrica præscriptas memorat, *Carpo Cærem. Episc.* p. II. art. 2., qui decretum supra positum pro hac sententia citat, et *Laboranti Direttorio Sacro* lib. 1. n. 153., ubi scribit: „Cum Rubrica omnes alias (præter duas allatas) inclinationes prætermittat, eas nos quoque prætermittere debemus, si ad regulas per Ecclesiam præscriptas nil addere volumus."

ad cornu Epistolæ transit. Aperto Missali [28]) et in-

Fortasse quidam hic ojicit: „Sicut celebrans exposito Ss. Sacramento genuflectit, quandocumque accedit vel recedit a medio altaris, vel transit ante medium, sic alias ei in iisdem casibus caput est inclinandum.“ Respondemus: Celebratio coram SSmo ex antiquissima Ecclesiæ disciplina non est licita, et Cærem. Episc. lib. 1. cap. 12. n. 9. atque plura S. R. C. decreta (conf. n. 2508., 2542. ad 6., 4811., 5241. ad 4., 5336. ad 2. et 3.) hunc usum prohibent. Si tamen aliquibus in locis ex consuetudine hæc celebratio fiat, tantum toleratur; est ergo *a regula exceptio, quæ non facit regulam.* Porro si inclinatio facienda esset in accessu et recessu a medio altaris, quia coram SSmo genuflectitur, etiam inclinandum esset *ante* et *post Dominus robiscum, Munda cor, Orate fratres* etc., in quibus casibus etiam genuflectendum est coram SSmo; quod affirmare ridiculum est et quisque reprobat. Nam prototypo plures et majores reverentiæ sunt faciendæ quam imagini.

Si autem S. Alphonsus docet, inclinationem semper faciendam esse in accessu vel recessu a medio altaris, in hoc Gavantum et Meratum sequitur, imo eo tempore id videtur fuisse consuetudo, quæ ab ipso S. Doctore „laudabilis“ nominatur. Ex quo tempore autem supradictum decretum S. R. C. publicatum est, sententiæ singulorum auctorum non sunt sequendæ, quia cæremoniam addunt, quæ in Missali non est contenta et a textu Rubricæ desciscit. — Ad meliorem intelligentiam semper addemus, quando a Missali inclinatio non requiritur.

[28]) Videant rectores ecclesiarum, ut bona Missalia habeant. Ut Missale bonum dici possit, requiritur præter bonam chartam et correctam impressionem: 1) adprobatio Ordinarii, quæ attestari debet, editionem comparatam fuisse cum editione Romana et eidem conformem esse; 2) ne sit antiquata sed ex recentioribus editionibus. In antiquioribus enim editionibus plurima festa recenter instituta vel ex aliqua parte reformata desiderantur. Habetur apud Gardellini n. 5309. decretum de die 27. Sept. 1860., in quo de laboribus particularis Congregationis, quam Pius IX. instituerat, ut examinaret, an in nova Missalis editione præsertim in Rubricis aliquid sit immutandum, addendum vel resecandum, per longum refertur.

In aliquibus Missalibus festa Beatorum, quibusdam locis concessa, vel Sanctorum, qui tantum ex privilegio a Regularibus vel aliquibus diœcesibus celebrantur, in corpore Missalis habentur: quod minime respondet Missali Romano; et multa decreta prohibent, ne Missæ concessæ certis personis, nempe presbyteris sæcularibus vel regularibus ab aliis sacerdotibus, etiam Cardinalibus, dicantur, nisi id particulari privilegio concedatur. Vide Gardellini n. 2002. decr. gen. die 27. Sept. 1659. ad 6.; n. 2363. decr. S. R. C. ad Miss. pertin. die 13. Febr. 1666. ad 4. et 5.; n. 4526. in una Tuden. die 7. Sept. 1816. ad 17.

Quærunt auctores, an liceat aliquando celebrare sine Missali? Respondet S. Alphons. lib. 6. n. 390.: „*Prima* sententia negat, . . . etiamsi

venta Missa[29]) inspectisque iterum signaculis, sacerdos manibus ante pectus junctis in medium altaris revertitur, mediocrem[30]) (non profundam) juxta communio-

aliquis firmiter sciat memoriter, quæ dicenda sunt. Ratio, quia in re tam gravi vitandum est omne errandi periculum, quod recitando memoriter semper timeri potest. Idque videtur confirmari ex eo, quod S. C. Conc.... licentiam impertiendo alicui sacerdoti cæcutienti celebrandi in festo duplici Missam votivam de B. M. V. et die feriali Missam pro defunctis, hanc solet clausulam apponere: *Quod non sit omnino cœcus et memoriter non recitet. Secunda* sententia vero communissima . . . probabiliter dicit, posse quandoque sacerdotem celebrare sine Missali, si hoc facile non posset habere, et ob præteritam experientiam abesset morale periculum errandi."

Hac occasione quærimus, quid judicandum sit de iis, qui totum Canonem Missæ fere semper memoriter recitare soleant? Sine dubio in re tam gravissima saltem interdum periculo lethaliter peccandi se exponunt. Nam per improvisum strepitum aut tumultum, per animi dissipationem, per ministri socordiam et similia subito ita perturbari possunt, ut non sciant, quæ verba nunc dicenda sint, et ideo facile omittere possint, quorum omissio a S. Alphonso inter mortalia peccata enumeratur in libro 6. n. 405., ubi agitur de peccatis in Canone committendis. Porro ipsa Rubrica saltem indirecte requirit, ut Canon ex libro legatur. Si enim jubet, aliquas orationes oculis ad Sacramentum intentis dici, simulque has orationes memoriter recitari vult, ideoque postulat, ut reliquæ orationes ex libro dicantur. Et Rituale Romanum tit. 1. cap. 1. n. 11. *de Sacrament. administrat.* causam affert, quia „*non memoriæ, quæ plerumque labitur, facile confidere*" debemus. Si tamen quidam Auctores requirunt, ut totus Canon ex libro legatur et non memoriter recitetur; id non ita rigide intelligi debet, ut aliqua pauca ejusdem verba, maxime quæ cum gestibus conjuncta sunt, non possint memoriter recitari, dummodo probe sciantur, aut ex præcedenti obtutu bene recenterque fuerint memoriæ tradita. Conf. *Cavalieri* tom. 5. cap. 16. n. 41. et *Trimarch.* ap. Nigrum in addit. ad Ruiz p. 3. §. 7. n. 1.

[29]) In una Tuden. n. 4526. quæritur: „An in Missis privatis permitti possit ministro aperire Missale et invenire Missam?" Et S. R. C. die 7. Sept. 1816. ad 11. respondit: „Negative, et serventur Rubricæ."

Missale autem minister cussino seu legili ita imponat, ut apertura ejus ad cornu Evangelii respiciat, uti monent *Baldeschi* p. 1. art. 11. n. 123. et *Martinucci* lib. 1. c. 11. n. 7.

[30]) Rubrica l. c. simpliciter dicit: „facta primum cruci reverentia". Qualis reverentia facienda sit, Auctores non conveniunt. Aliqui putant, profundam capitis esse faciendam, *Meratus* p. 2. tit. 2. n. 18. autem profundam (corporis) postulat, sed statim addit: „nonnulli per usum contrarium satis receptum præsertim Romæ non censent indecens, si quis faciat mediocrem (corporis) tantum inclinationem". Et hæc me-

rem sententiam cruci reverentiam facit, quin tamen oculos ad eam elevet vel alicui orationi recitandæ ante descensum ab altari immoretur.[31])

18. Postquam celebrans cruci[32]) reverentiam exhi-

---

diocris hodiedum Romæ est in usu, ut docet *Martinucci* lib. 1. c. 18. n. 28. Merito ergo S. Alphonsus hic et cap. XVIII. de defect. Miss. n. 7. mediocrem inclinationem præscribit, quia praxis Romana in dubiis semper sequenda est.

[31]) Nonnulli in medio altaris immorantur, ut intentionem faciant vel renovent, vel aliquam orationem recitent, antequam descendunt in planum pro inchoanda Missa; „sed hoc est expresse contra Rubricam", ait *Meratus* p. II. tit. 2. n. 18.

[32]) Parva crux cum imagine crucifixi posita super tabernaculum ligneum, in quo inclusum asservatur Ss. Sacramentum in altari, non est sufficiens in Missa, sed apponi debet alia crux in medio candelabrorum. S. R. C. die 16. Junii 1663. in una Rossan. ad 1. n. 2231. Cæremon. Episc. lib. 1. c. 12. n. 11. enim habet: „In medio candelabrorum collocabitur crux . . . prælta, ita ut pes crucis adæquet altitudinem vicinorum candelabrorum, et crux ipsa tota candelabris supereminеat, cum imagine crucifixi versa ad anteriorem altaris faciem."

Si vero in altari adest magna statua Ss. Crucifixi, hæc est sufficiens, et non indiget alia cruce, quæ apponatur, dum celebratur Missa. S. R. C. decr. supra cit. ad 2.

Abusus collocandi parvam crucem vix visibilem vel supra tabernaculum vel supra aliquam minorem tabulam sitam in medio altaris, loco crucis collocandæ inter candelabra, ut Rubrica præscribit, reprobandus est, et ubi invaluit, Ordinarius loci provideat juris et facti remediis; quodsi ob aliquam causam accidentaliter removenda sit crux sita inter candelabra, alia tempore sacrificii apte apponatur inferius, sed visibilis tam celebranti quam populo. S. R. C. die 17. Sept. 1822. in una Dub. ad 8. n. 4590.

In una Aquen. die 2. Sept. 1741. ad 5. n. 4119. dubium proponitur: „Cum Ss. Sacramentum expositum est, debet in altari collocari crux, etiam post tempus sacrificii?" Et S. R. C. respondit: „Etsi decretum hujus S. C. de anno 1707. præcipiat, quod in altari, ubi est publice expositum Ss. Sacramentum, tempore sacrificii crux de more collocetur; non est tamen in viridi observantia, et Patriarchales ecclesiæ Urbis oppositum servant; supervacaneum enim adjudicant imaginis exhibitionem, ubi prototypus adoratur. Et hac de causa Instructio pro Oratione XL Horarum Clementis XI., Benedicti XIII. et Clementis XII. Summorum Pontificum jussu edita, sub silentio præterit: an locanda removendave sit hujusmodi crux, linquens quemlibet in sua praxi." — Vide Constitutionem apostolicam „Accepimus" Benedicti XIV. de die 16. Julii 1746., ubi de cruce in Missa adhibenda doctus Pontifex diffuse agit.

buit, recedit versus cornu Evangelii, ne cruci vel tabernaculo tergum vertat, et facie ad cornu Epistolæ versa, oculis demissis et manibus ante pectus junctis, sub infimum gradum altaris descendit: et quanto plures gradus altaris sunt, tanto plus versus partem Evangelii recedat, ut in linea obliqua descendens cum ultimo passu in medio altaris ante infimum gradum consistat. Si vero altare ultra tres gradus haberet, sacerdos super tertio gradu sistere potest, vel super eo, qui magis commodus est. Si autem unus tantum gradus est, tunc in plano sistat, ab illo aliquantulum discedens.[33]) Advertat etiam sacerdos, ne ab altari descendat, nisi postquam candelæ[34]) accensæ fuerint.

Cruces altarium non sunt benedicendæ de præcepto, ideoque simplex sacerdos potest eas benedicere private. S. R. C. die 12. Julii 1704. in una Urbis ad 1. et 2. n. 3697.

[33]) In una Granaten. n. 2223. ad 4. quæritur: „Si altare non habeat planitiem, sed novem vel decem gradus, vel si habeat planitiem nimis latam; an sacerdos celebraturus Missam pro illa incipienda descendere debeat ad ultimum gradum vel a primo tantum; et an etiam descendere debeat planitiem vel sufficiat, quod se ab altari sejungat duobus vel tribus passibus?“ Et S. R. C. die 16. Junii 1663. respondit: „Deberet apponi bradella, quæ dividat altare a planitie, et satis esset descendere ipsam bradellam.“

[34]) Rubrica p. I. tit. 20. requirit, ut in altari locentur „candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc et inde in utroque ejus latere“. Rubrica ergo *saltem duo* candelabra requirit, „quia (addit *Gavantus* in Rubr. supra cit. lit. x.) in solemnioribus Missis regulariter sex in recta linea debent adhiberi: quod conjicitur ex trina hinc inde altaris incensatione, prout (ait Rubrica p. 2. tit. 4. n. 4.) distribuuntur candelabra: quatuor etiam in minus solemnibus adhiberi solent pro dignitate Missarum; sed et plura quam sex poni possunt, ex tit. 4. p. 2. n. 5“. Quod confirmavit etiam S. R. C. die 6. Nov. 1858. in Northanton. ad 3. n. 5257., ubi dicit, esse licitum, quando propter inopiam cantorum Missa principalis, quæ est etiam conventualis vel parochialis, cantari non possit, plus quam duas candelas accendi, saltem in festis solemnioribus.

Cæremoniale Episcop. lib. I. c. 12. n. 11. ordinat: „Ipsa candelabra non sint omnino inter se æqualia, sed paulatim quasi per gradus ab utroque altaris latere surgentia, ita ut ex eis altiora sint immediate hinc inde a lateribus crucis posita.“ Ab hac vero Cæremonialis præscriptione observanda excusat, si ex longa consuetudine in tota

CAPUT III.

De initio Missæ.

Postquam sacerdos ante ultimum gradum descendit, facie se ad altare vertit et in medio manibus ante pectus junctis, ita tamen, ut planetam non tangat, sistit. Quod ut commodius facere possit, cubitus vicinius ad pectus quam ad latera teneat; digiti vero sint juncti et extensi, ita ut unus digitus alterum sibi correspondentem tangat, v. g. index dexteræ tangat indicem sinistræ; et sic fiat in reliquis. Deinde pollice

---

diœcesi usus obtinet, quod candelabra sint omnino inter se æqualia. S. R. C. die 21. Julii 1855. in una Briocen. ad 9. n. 5221.

Tolerari non potest, ut tempore Missæ et Officiorum candelabra altaris, ne pulvere sordescant, aliquo drappo vel tela permaneant vestita, imo ut et ipsa crux eodem modo involvatur, posita alia cruce minori pro cruce altaris pretiosiore sic obtecta. S. R. C. 12. Sept. 1857. in Molin. ad 11. n. 5251.

Pluribus decretis S. R. C. (apud Gardell. n. 699.; n. 915.; n. 1958.; n. 1995.; n. 2003. ad 21.; n. 4797. etc.) declaratum est, canonicos et dignitates, vicarios generales, etiamsi forent Protonotarii apostolici, abbates aliosque usu pontificalium gaudentes, qui sunt episcopo inferiores, non posse prætendere, ut in ipsorum Missis quatuor lumina accendantur: „Sacrum operantes (sic habetur in decreto die 27. April. 1818. ad 6.. n. 4545.) a simplicibus sacerdotibus minime differunt."

Candelæ *ex cera* esse debent; *nec* possunt adhiberi candelæ *ex sevo*. In decreto in una Carolinopolit. die 10. Dec. 1857. n. 5255. dicitur: „Abusus adhibendi candelas ex sevo eliminetur." Sic etiam decreto in una Massilien. die 16. Sept. 1843. n. 4975. prohibentur candelæ, quæ dicuntur *stearinæ*: quia in istis non servatur significatio mystica. Attamen propter gravissimas difficultates procurandi sibi cereos in remotissimis regionibus Poli artici et Oceaniæ, S. R. C. aliquoties permisit, ut Missa dici posset cum lumine ex oleo vel ex adipe piscium (vulgo *Spermaceto*) confecto. Vide decreta die 7. Sept. 1850. Mission. in Oceania n. 5150. et die 6. Febr. 1858. ad 2. Mission. Poli artici n. 5260.

In Analect. Jur. Pont. tom. II. pag. 2201. invenitur etiam sequens dubium: „An acolythus aut alius accendens cereos ante Missam, aut ante aliam sacram functionem, incipere debeat a cereis, qui sunt a parte Epistolæ, ut volunt plurimi auctores, vel prout aliis placet, ab iis, qui sunt in parte Evangelii?" Et S. R. C. respondit: „A cornu Evangelii, quippe nobiliori parte." Die 12. Aug. 1854. in Lucion. ad 77.

dextero in forma crucis super sinistro posito, ita ut inter digitos nullum spatium relinquatur, (quod semper faciendum est, quando manus jungantur, præterquam post consecrationem, ubi pollices et indices jungendi et extremitates digitorum magis in faciem celebrantis quam versus altare tenendæ sunt) cruci altaris profundam reverentiam exhibet, vel genuflectit, si ibi tabernaculum est.[1]) Flectendo autem genu demittere debet juxta talum alterius pedis: stando vero pedes ab invicem non distent, sed maneant conjuncti.

2. Deinde erectus faciat signum crucis, et sinistram infra pectus tenens dextera se signet a fronte ad pectus et ab humero sinistro ad dexterum clara voce dicens: *In nomine Patris* etc., et dicendo *Amen* manus jungat.

3. Notandum, quod crux formanda est cum tribus digitis dexteræ manus extensæ: omnes vero digiti sint uniti nec pollex ab indice sejungatur: et quando sacerdos se ipsum signat, palmam manus versus faciem suam vertat: quod si librum signat, palma versus librum prospiciat.[2]) Insuper si una tantum manu crucem efformat, alteram manum, quæ non occupatur, numquam in aërem extendat, sed teneat aut super pectus, aut super altare, aut super librum: super pectus, quando se ipsum signat, vel assistentes vel aliam rem prope altare, e. g. incensum, benedicit: super librum, quando librum signat: super altare autem eam ponat, quando signum crucis facit in aliquam rem supra vel prope altare positam e. g. cinerem, candelas, palmas vel subdiaconum post Epistolam etc. Ponat illam etiam super

---

[1]) Huic genuflexioni non est addenda alia inclinatio, dicit *Meratus* p. II. tit. 2. n. 1., *Gardellini* Instr. Clement. §. 30. n. 26. Idem notat *Martinucci* l. c. n. 30. „Celebrans quum genuflectet, nullam faciet reverentiam.“

[2]) Rubrica Missalis p. II. tit. 3. n. 5. adhuc apponit: „Si vero alios vel rem aliam benedicit, parvum digitum vertit ei cui benedicit, ac benedicendo totam manum dextram extendit, omnibus illius digitis pariter junctis et extensis, quod in omni benedictione observatur.“

altare, quando folia Missalis vertit vel, stando ad altare, aliam actionem una tantum manu facit.

4. Si, antequam sacerdos Missam incipiat, in aliquo altari vicino Sanctissimum elevatur, dum calicem accommodat vel Missam quærit, actionem suam prosequatur: deinde descendat in planum et in ultimo gradu genuflectat. Si vero signum crucis jam fecerit, non advertat amplius, quid in aliis altaribus fiat, id est nec genuflectat nec se inclinet.

5. Bene advertat celebrans, ne ea, quæ alta voce pronuntianda sunt, nimis festinanter proferat, ut ipse intelligere possit, quæ dicit: nec nimis morose, ne circumstantes tædio afficiat: neque voce nimis elata, ne perturbet alios sacerdotes, qui in eadem ecclesia celebrant vel audiendis confessionibus intendunt;[3]) sed voce gravi, æquali, clara et distincta, ita ut ii, qui non multum distant ab altari, ipsum intelligere possint et moveantur ad devotionem. Quæ vero voce submissa dicenda sunt, *ita pronuntiet, ut* celebrans *ipsemet se audiat et a circumstantibus non audiatur,* ut dicit Rubrica. Obligatio variandæ vocis peccatum saltem veniale inducit contra quosdam paucos, qui falso opinantur, tales Rubricas non esse præceptivas, cum tamen, sicut jam supra innuimus, omnes Rubricæ infra Missam observandæ præceptivæ sint et sub culpa etiam gravi obligent, si materia gravis est.[4])

---

[3]) „Neque tam submissa (voce), ut a circumstantibus audiri non possit," adjicit Rubrica p. I. tit. 16. n. 2. — Conf. theol. mor. S. Alph. lib. 6. n. 413.

[4]) In theol. mor. lib. 6. n. 414. S. Alphonsus contra Tamburini probat, eum peccare, qui ita submisse pronuntiet verba, ut ne seipsum quidem audire possit: negat tamen (contra Croix, Gavantum, Suarez et alios), hoc esse mortale. Deinde subdit: „Bene vero dicit Quarti p. 1. tit. 16. dub. 2., non excusari a mortali, qui sic proferret verba consecrationis. Ratio, quia, cum opposita sententia Palai et aliorum sit etiam probabilis, exponeretur sacramentum periculo nullitatis, quod certe illicitum est ex propositione 1. damnata ab Innocentio XI." Sequentibus numeris 415. et 416. S. Doctor probat, esse veniale recitare submisse, quæ a Rubrica alta voce recitanda præcipiuntur, vel

6. Dicit Antiphonam *Introibo ad Altare Dei* et Psalmum *Judica* voce intelligibili usque ad orationem *Aufer* etc. Et interea sacerdos oculis mentis finem proponat, ad quem omnes reliquæ actiones dirigendæ sunt, oblationem scilicet sacrificii, quo nulla res dignior, nec sanctior inveniri potest. Psalmus *Judica* in Missa defunctorum et a Dominica Passionis inclusive usque ad Sabbatum Sanctum exclusive omittitur. In festis vero Sanctorum, quæ infra hebdomadam Passionis cadunt, iste Psalmus dicendus est: et etiam in Missis votivis, quæ in eadem hebdomada celebrantur, etiamsi de Passione vel de Cruce dicantur.

7. Ad *Gloria Patri* fit capitis inclinatio simplex, quæ, ut supra notatum est, minimarum maxima dicitur: quod semper observandum est, quando talis versiculus dicitur. Repetita Antiphona *Introibo* signo crucis se signat, dicens *Adjutorium nostrum in nomine Domini,* quæ verba ita distribuat, ut, quando dicit *Adjutorium,* manu frontem, quando dicit *nostrum,* pectus, quando *in nomine,* humerum sinistrum, et quando *Domini,* humerum dexterum tangat.

8. Quando dicit *Confiteor,* manus (ut supra C. II. 17. dictum est) junctas tenet, et profunde se inclinat, ita ut manibus genua tangere possit; et sic inclinatus manet, donec dictum sit *Misereatur tui* etc.; tunc respondet *Amen,* et se erigit. Non licet dicendo *Confiteor* addere nomen alterius sancti, nec etiam Patroni,[5])

---

alta recitare, quæ submisse dicenda sunt. Quodsi vero quis verba consecrationis vel canonis in magna parte ita alte proferret, ut ad 40 passus audiri possent, etiam mortaliter peccaret; esset enim grave scandalum, sapiens revera aliquem contemptum verborum et ritus. Sed quis (addit) nisi mente captus hoc facturus est?

[5]) Exstant diversa decreta S. R. C., quibus cavetur, ne dicendo *Confiteor* addatur nomen alterius Sancti præter eos, qui leguntur in ordine Missæ. Sic in decreto n. 2362. Notanda ad Missal. Fratr. Min. die 13. Febr. 1666. ad 5. dicitur: „In Missa dicendum est *Confiteor* pure et simpliciter, prout habetur in Missali Romano, absque additione alterius Sancti, etiam Patroni, qui in sola Oratione *A cunctis* et Postcommunione *Mundet* addendus est, in quibus est locus vacans

nec, quando dicitur *vobis fratres*, et *vos fratres*, se vertere ad ministrum.[6]) Sed in Missa solemni, cum celebrans dicit *vobis fratres* et *vos fratres*, parum se vertere debet versus ministros; et dicendo *Misereatur* idem observet, juxta Gavantum Rub. 12.[7])

9. Cum dicit: *Mea culpa* etc. ter omnibus digitis dexteræ unitis[8]) (quamvis Meratus non reprobet, si quis palma aperta se percutiat; sed sententia communis vult, ut digiti sint uniti) se percutiat, sinistram infra pectus tenens. Hic advertendum est, pectus percutiendum non esse cum magna vehementia. Dicto *mea maxima culpa* statim manus conjungat.

10. Postquam minister *Confiteor* finierit, celebrans prosequitur dicens *Misereatur vestri* etc., et cum dicit *Indulgentiam* cruce se signat, verba ita distribuens, ut ad verbum *Indulgentiam* frontem, ad *absolutionem* pectus, ad *remissionem* humerum sinistrum, ad *peccatorum nostrorum* humerum dexterum tangat, et dicendo *tribuat* etc. manus conjungat.

11. Post hæc celebrans, manibus ante pectus junctis, mediocriter se inclinat[9]) et dicit: *Deus tu con-*

---

pro eo sub signo *N.*; non autem sic in *Confiteor*, ideo in illo nulla debet fieri additio.“ Conf. n. 3696. in una Valent. die 12. Junii 1704. Aliquando tamen S. R. C. ex speciali gratia alicui religiosæ familiæ concessit, ut nomen Fundatoris addi possit. Vide decreta n. 3898. et 4549. ad 2. — Si sacerdos celebrat sine ministro, non debet bis dicere *Confiteor*. S. R. C. die 4. Sept. 1875. in una Erien. ad 1. n. 5627.

[6]) Rubrica Missal. p. II. tit. 2. n. 9. sonat: „Cum minister, et qui intersunt (etiamsi ibi fuerit Summus Pontifex) respondent *Confiteor*, dicunt *tibi Pater* et *te Pater*, aliquantulum conversi ad celebrantem.“ Ergo juxta Rubricam in Missa, quæ celebratur ab episcopo, ministris non licet dicere: *tibi* vel *te Reverendissime Pater*, uti passim usus videtur esse.

[7]) Confer *Meratum* p. II. tit. 3. n. 26. cum Cærem. Episcop. lib. 2. cap. 8. §. 31.

[8]) „Dextera aperta et extensa, digitisque simul conjunctis, sine strepitu nec nimis studiose“ (ter pectus percutiet), ait Martinucci lib. 1. cap. 18. n. 31.

[9]) Rubrica tam in ritu celebrandi Missam tit. 3. n. 10. quam in ordine Missæ præscribit inclinationem mediocrem ad *Deus tu con-*

versus etc. Attendatur, ne hi versiculi nimis festinanter dicantur, uti aliqui sacerdotes et ministri facere solent: non enim convenit, ut unus incipiat antequam alter finierit. Et si minister verba nesciat, celebrans suppleat.[10]) Non se erigat nisi dicto *Oremus*, sed dicens *Oremus* manus aperiat et iterum conjungat. Deinde erectus secreto dicit *Aufer* et adscendit altare, elevans primo pedem dexterum, et ita lente adscendat, ut, cum in medium altare pervenerit, dicta oratio finita sit.

CAPUT IV.

De Introitu, Kyrie et Gloria.

Cum sacerdos in medium altaris pervenerit, mediocriter[1]) se inclinat, et manus junctas super illud ponit, ita ut digiti parvi frontem altaris tangant, reliqui vero super eo positi sint, pollice dextero super sinistrum in forma crucis posito: quod semper observandum est, quoties præscribitur, ut manus junctæ super altare ponantur, etiam post consecrationem: tunc vero pollices ab indicibus non disjunguntur. Advertendum, ne digiti parvi, qui partem anteriorem mensæ al-

---

versus, dicens: „*Inclinatus* manibus junctis prosequitur". Confer adnot. 5. cap. II.

[10]) Hic notare velimus, quo zelo S. Carolus Borromæus institerit, ut in omni parochia sit clericus in doctrina christiana bene instructus, morigeratus, habitu etiam clericali vestitus, et expensis parochi sive communitatis sustentatus. Tum in conciliis provincialibus, tum particularibus decretis parochos monuit, ut tales pueros bene instruant in ministeriis ecclesiasticis, maxime ut sciant Missis et aliis divinis officiis bene inservire, cum omni reverentia et devotione. Voluit, ut in locis, ubi non sunt publici magistri, a sacerdotibus doceantur principia grammaticæ et præparentur ad statum ecclesiasticum: et omni sexto saltem mense relationem habere voluit de eorum progressibus in virtute et scientia: et qui magis commendabantur, libenter in suum seminarium recepit, etsi pauperrimi essent. Vide Acta Mediol. p. IV. istruz. ai Vicarii foranei et alias.

[1]) Etiam Rubrica p. II. tit. 4. n. 1. et ord. Missæ requirit hic inclinationem *mediocrem*: „*Inclinatus* . . . dicit".

taris tangunt, ab aliis digitis distent. Sic positus dicat *Oramus te Domine* etc. Cum dicit *Quorum Reliquiæ hic sunt*, manus ex utraque parte aliquantulum extra corporale usque ad pulsum extendit, et caput recta linea demittens altare in medio, non vero ad latus osculatur: et sic faciat semper, quando altare osculandum est: sed post consecrationem manus super corporale ponuntur. Ut facilius osculari possit, spatio unius pedis retrocedat oportet: quod etiam observandum est, quando inclinatio mediocris vel profunda facienda aut genuflectendum est. Attendatur, ut altare vere osculetur: quidam enim ad evitandum incommodum, quod sentiunt, caput usque ad altare demittendo aërem osculantur, non vero altare: quod est magnus defectus.

2. Osculato altari sacerdos absque alia inclinatione versus crucem manibus junctis passu naturali ad cornu Epistolæ accedit, dicere prosequens *et omnium Sanctorum* etc., uti patet ex Rubrica, quæ dicit: *Osculato altari accedit ad cornu ejus sinistrum.* Cum ad locum pervenerit, ubi Missale est, se ad illud vertit, et corpore ac capite erectus incipit *Introitum* (non vero adhuc incedens) voce alta, signo crucis se signat, et manibus junctis eodem altæ vocis tono prosequitur.

3. Ad *Gloria Patri* simplicem, sed maximam versus crucem inclinationem facit, sed non oculos elevat: et sic manet usquē ad *Sicut erat.* Faciens hanc inclinationem etiam corpus paulum vertere debet juxta praxim communius receptam et naturæ magis convenientem. Cum Introitum repetit, non se signat. *Gloria Patri* in Introitu omittitur tantum in Missis defunctorum et a Dominica Passionis usque ad Pascha, dicitur tamen in Missis Sanctorum et Votivis; et tempore paschali duo *Alleluja* adduntur.

4. Dicto Introitu manibus junctis et passu naturali incedens, et ideo latus dexterum ad altare vertens ad illius medium accedit, ubi voce alta alternatim cum

ministro[2]) ter dicit *Kyrie eleison*, ter *Christe eleison*, et iterum ter *Kyrie eleison*. Advertat tamen, ne incipiat, nisi cum in medium pervenerit et cruci inclinationem simplicem maximam[3]), oculis tamen non elevatis, fecerit. Quod semper observandum est, quoties ad medium altare accedit vel ab eo discedit nisi paulo ante discessum vel paulo post accessum in Missali reverentia præscribitur, e. g. si altare osculandum vel post Evangelium *Credo* dicendum est, quia ad verbum *Deum* præscribitur reverentia. Et sic etiam, quum in quatuor temporibus post Pentecosten *Gloria in excelsis Deo* separatim (sine *Kyrie*) dicendum est, quia ad verbum *Deo* inclinatio præscribitur.

5. Dicto ultimo *Kyrie* adhuc erectus in medio altaris stans dicit *Gloria*, manus ad latitudinem corporis extendens et usque ad humeros elevans, ita ut digitorum extremitates super nares non pertingant:[4]) cum dicit *in excelsis* ipsas ante pectus jungit,[5]) ad verbum

[2]) Rubrica l. c. n. 2. monet: „Si minister, vel qui intersunt, celebranti non respondeant, ipse solus novies dicat."

[3]) S. Doctor hic vult inclinationem simplicem maximam versus crucem; sed cum Rubrica hanc inclinationem non præscribit, omittenda est juxta decisionem S. R. C. die 12. Nov. 1831. in una Marsor. ad 28. n. 4669. Rubrica enim simpliciter sonat: (Introitu) „repetito junctis manibus ante pectus, accedit ad medium altaris, ubi stans versus illud similiter manibus junctis, dicit eadem voce *Kyrie eleison*". Recte ergo *Martinucci* lib. 1. c. 18. n. 39. scribit: „Post Introitum redibit ad medium altare, ac *nullam cruci faciens reverentiam*, junctis semper manibus recitabit *Kyrie eleison* simul cum ministro."

[4]) Rubrica l. c. n. 3. dicit: „elevansque usque ad humeros (quod in omni manuum elevatione observatur)", et Cærem. Episcop. lib. II. cap. 8. n. 38. „elevatisque manibus ad altitudinem humerorum".

[5]) Juxta Rubricam Missalis manus iterum jungendæ sunt, cum profertur verbum *Deo*. Dicit enim Rubrica l. c. n. 3.: „Dicto ultimo *Kyrie eleison*, sacerdos stans in medio altaris et manus extendens elevansque usque ad humeros . . . voce prædicta incipit, si dicendum est, *Gloria in excelsis Deo*. Cum dicit *Deo* jungens manus, caput cruci inclinat: quo erecto stans junctis manibus ante pectus, prosequitur usque ad finem." Cui Rubricæ adhæret *Meratus*, qui p. II. tit. 4. n. 10. scribit: „Dum sacerdos profert vocem illam *Deo* duo præstat: alterum est jungere manus ante pectus de more; alterum vero est inclinare caput"; item communis sententia Rubricistarum.

autem *Deo* caput inclinat, quin tamen oculos elevet. Vult Meratus, ut hæc inclinatio sit simplex minima, sed mihi videtur simplex maxima requiri, sicut ad *Gratias agimus*, cum hæc inclinatio fiat ad verbum *Deo:* tanto magis, quia Meratus ipse dicit, a sacerdote die Sabbati infra Octavam Pentecostes, cum ad medium altare ad dicendum *Gloria* et *Credo* pervenerit, non esse faciendam inclinationem, quia statim ad verbum *Deo*, quod dicitur in *Gloria* et *Credo*, inclinandum est: et ipse vult, ut hæc inclinatio sit simplex maxima.

6. Notandum, non recte agere eos qui manus apertas demittunt et super altare ponunt; quia immediate manus sunt disjungendæ et, quin demittantur, ita tenendæ, ut una palma alteram respiciat, et altitudinem vel latitudinem humerorum non excedant.

7. Dicto *Gloria in excelsis Deo* hymnum prosequitur, servando eandem suam positionem, et manus unitas ante pectus tenendo usque ad finem: sed cum dicit *Adoramus te*, *Gratias agimus tibi*, et *Jesu Christe, Suscipe deprecationem nostram*, et iterum *Jesu Christe*, inclinationem simplicem maximam facit. In fine, cum dicit *Cum sancto Spiritu* etc., se cruce signat, verba ita distribuens, ut ad verbum *Cum sancto* dexteram in fronte: ad vocem *Spiritu*, ipsam infra pectus ponat: cum dicit *in gloria*, eam conducat ad humerum sinistrum, cum dicit *Dei Patris*, illam transferat ad humerum dexterum: et cum dicit *Amen*, manus conjungat. Tonnellius vero et alii, quibus Meratus assentire videtur, dicunt, manuum conjunctionem posse omitti, quia statim sunt disjungendæ, nec talis conjunctio a Rubrica præscribitur. Et idem valet finito *Credo*, ad *Benedictus qui venit* etc., post *Sanctus* et ad *Omni benedictione cœlesti*, quia statim ad Memento mortuorum manus disjungendæ sunt.[6])

[6]) S. Alphonsus hic unam et alteram opinionem admittere videtur. Certum est, quod Rubrica non præscribit, ut manus in casibus

8. *Gloria* semper dicitur, quando in Officio *Te Deum* dictum est: omittitur vero in Missis defunctorum et votivis, exceptis Missis de Beata Virgine in Sabbato[7]) et Ss. Angelorum, vel quæ solemniter celebrantur pro re gravi, et si expresse aliter in Missali præscribitur, sicut Feria V. et Sabbato hebdomadis majoris, in quibus *Gloria* dicitur, quamvis in Officio *Te Deum* dictum non sit, quia istis diebus Officium non concordat cum Missa.

CAPUT V.

De Orationibus.

Finito *Gloria*, vel, si omittitur, post *Kyrie*, celebrans manibus (non solum digitis) ex una et altera parte altaris usque ad pulsos exclusive extra corporale extensis, ut supra (cap. IV. 1.) dictum est, osculatur altare, tunc iterum manibus ante pectus junctis, et oculis ad terram demissis, sed non clausis, ita ut tres circiter pedes extra pradellam videre possit, se ex latere

supra relatis conjungantur; imo videtur clare innuere contrarium, dicens l. c.: „Cum dicit in fine *Cum sancto Spiritu*, seipsum a fronte ad pectus signat, **interim absolvens** *in gloria Dei Patris. Amen.*“ Nota: *interim absolvens;* verba ergo: *in gloria Dei Patris. Amen.* dicenda sunt inter signum Crucis. Quod confirmatur decisione S. R. C. die 12. Nov. 1831. in una Marsor. ad 30. n. 4669. Cum enim dubium proponeretur: „Aliqui Rubricarum expositores dicunt, post signum crucis, quod fit in fine *Gloria in excelsis*, *Credo* et *Sanctus*, manus esse jungendas, etiamsi nihil hujusmodi præscribat Rubrica: rectene?“ S. R. C. respondit: „Serventur Rubricæ.“ (nihil sc. præscribentes.)

[7]) „Et infra aliquam octavam B. M. V. celebratis“, addimus. Nam S. R. C. ad quæstionem in una Ratisbon. die 15. April. 1880. Dub. III.: „An qui diebus infra aliquam octavam B. Mariæ Virg. excepto Sabbato, recitat officium de aliquo Sancto ritu semiduplici eo die occurrente, et Missam votivam de B. Maria V. celebrare vult, teneatur celebrare Missam votivam infra hanc octavam cum *Gloria?*“ sic rescribere rata est: „Affirmative juxta decreta in Angelopolitana diei 13. Junii 1671 ad 2.; in una Ordinis Canonicorum Regularium Lateranens diei 2. Dec. 1684. ad 7.; et in Cracovien. diei 22. Aug. 1744. ad 3.“

Idem valet pro Missis votivis Sanctorum, quæ infra eorum octavas celebrantur. uti ex decr. in Angelopolit. 13. Junii 1671. ad 2. erui potest.

Epistolæ ad populum vertit, et in medio sistens ibi manus extendit, ita ut palma unius manus alteram respiciat, easque jungit: omnes digiti sint uniti et recti, manus vero non extendantur extra latitudinem humerorum, et statim voce intelligibili dicit *Dominus vobiscum,* sed caput non inclinat vel altari innititur: quod in omnibus similibus casibus observandum est.

2. Advertendum, quod perspicilla, si quis illis utitur, dimittenda et super altare extra corporale ponenda sunt, antequam celebrans ad populum se vertat.[1]) Si celebratur in aliquo altari, cujus facies versus populum prospicit, sacerdos numquam se vertit, sed osculato altari populum cum dictis verbis salutat vel benedicit.

3. Postquam minister responderit: *Et cum spiritu tuo,* sacerdos eadem via passu naturali et gravi ad Missale redit, et quum eo advenerit, manus extendit, iterumque jungit ac parum ad crucem versus, oculis non elevatis, eidem inclinationem simplicem maximam facit, interim voce intelligibili dicens *Oremus,* et deinde eodem tono vocis intelligibilis Orationem prosequitur, stans erectus et manibus ita extensis, ut una palma respiciat alteram et digitorum extremitates pertingant sed non

---

[1]) Perspicilla sæculo elapso naribus tantum insidebant, nec tam decenter, sicut hodie, firmabantur. Facilius quidem poterant levari, sed etiam faciliter decidebant. Manibus etiam tenebantur, uti patet ex *Merati* p. II. tit. 8. n. 20., ubi scribit: „Notare quidem nos debemus, quod, qui utuntur perspicillis, ipsa non adhibeant, si possunt, a consecratione usque ad peractam communionem: quod si iis necessario uti debent, *capiant ea inter indicem et medios digitos,* et numquam super corporale ea deponant.“ Idem dicit *Bauldry* p. 3. tit. 4. not. 2. et *Hippolitus a Portu* tit. 8. r. 5. n. 5. Cum hodie conspicilla modo penitus diverso et magis convenienti adhibeantur, difficiliusque deponi et iterum firmari possint, non videtur amplius necessarium, illa ad quamcumque actionem infra Missam deponere, quum insuper juxta Rubricas generales tit. XX. „super altare nihil omnino ponatur, quod ad Missæ sacrificium vel ipsius altaris ornamentum non pertineat.“ Sic revera practicatum videmus ab optimis quoque sacerdotibus. Si quis autem utatur perspicillis, quæ antiquis similia sunt et germanice *Zwiecker*, gallice *Pince-nez* vocantur, ea deponere debet, quandocumque ad populum se vertit.

superent altitudinem humerorum, nec latitudinem corporis; digiti vero sint erecti et sibi cohærentes: quod semper faciendum est, quando manus ante pectus extensæ tenendæ sunt. Notandum, manum sinistram super Missale[2]) ponendam esse, si dextera folium vertitur.

4. Ad conclusionem *Per Dominum nostrum* et *Per eumdem Dominum* manus statim junguntur:[3]) si conclusio fit cum *Qui tecum* vel cum *Qui vivis* junguntur ad *in unitate.* Si oratio dirigitur ad Deum Patrem, concluditur *Per Dominum.* Si in medio Orationis[4]) nomen Jesu profertur, concluditur *Per eumdem:* si nomen Jesu in fine nominatur, concluditur cum *Qui tecum:* si Oratio dirigitur ad Jesum Christum, concluditur *Qui vivis:* si nominatur Spiritus sanctus vel si Oratio ad ipsum dirigitur, in conclusione dicendum est *in unitate ejusdem Spiritus sancti.*[5]) In prioribus igitur duabus conclusionibus celebrans dicens *Jesum* se ad crucem vertit cum maxima inclinatione, et sic inclinatus usque ad finem Orationis manet.[6]) Et si plures

[2]) Vel *altare,* ut supra cap. III. n. 3. ad finem dictum est.

[3]) „Easque tenet usque ad finem" addit Rubrica l. c. tit. 5. n. 1.

[4]) Vel: „Si in principio Orationis fiat mentio Filii", ut Rubrica gener. tit. 9. n. 17. dicit.

[5]) Si scilicet propriam conclusionem habet. Cum enim die 15. Sept. 1736. in una Tolet. ad 6. n. 4055. quæreretur: „Si secunda Oratio de Spiritu sancto, aut de eo fit mentio, tertia sive ultima debet concludi *ejusdem Spiritus sancti Deus,* necne"? S. R. C. respondit: „Negative".

[6]) S. Doctor hic sequitur sententiam Merati, qui p. II. tit. 5. n. 10. ipse eam vocat communem. Quum vero nec Rubrica Missalis p. II. tit. 5. n. 2. et tit. 7. n. 7., nec Cæremoniale Episcop. lib. 1. c. 19. n. 3. de tali inclinationis continuatione usque ad finem Orationis quid habet, sed tantum præscribit, ut ad proferendum nomen Jesu caput sit inclinandum versus crucem, recentiores auctores hanc sententiam recte non admittunt. Sic scribit *Baldeschi* p. 1. art. 5. n. 43: „Ad Jesum Christum inclinabit caput versus crucem, posteaque subito elevabit caput, sed manibus junctis ante pectus usque ad finem". *De Herdt* tom. I. n. 213.: „Dicens Jesum Christum, faciem aliquantulum vertens ad crucem altaris, caput ei profunde inclinat; facie autem ad Missale reversa, conclusionem absolvit, manus usque ad finem junctas

Orationes dicendæ sunt, non quærat alteram Orationem, antequam primam concluserit, sicut Rubrica contra Tonnellium clare præscribit dicens: „*Easque junctas tenet usque ad finem.*“

5. In conclusionibus *Qui tecum* et *Qui vivis* manus ad vocem *in unitate* junguntur, sed caput non inclinatur nec ad crucem convertitur. Si in Oratione nomen *Jesu* dicitur, facienda est inclinatio maxima versus crucem: ad nomen B. Virginis fit inclinatio media versus librum: ad nomen Sancti fit minima etiam versus librum, et quando profertur nomen illius Sancti, cujus fit commemoratio.[7]) Voce *commemoratio* non intelligitur ea, quæ fit in oratione *A cunctis*, quia in ea tantum ad nomen Mariæ caput inclinatur. Intelligitur sub commemoratione, quum dicitur Missa de aliquo Sancto, etiam votiva, vel infra Octavam illius Sancti, cujus fit commemoratio.[8])

6. Ad nomen Sancti, cujus fit commemoratio, caput inclinandum est, quocumque loco nominetur, sive in Oratione, sive in Epistola, sive in Evangelio sive in

tenens.“ *Martinucci* l. c. n. 43: „Dicens *Per Dominum nostrum* . . . junget manus, et ad verba *Jesum Christum* inclinabit caput crucem versus, junctisque manibus orationis conclusionem continuabit.“ Et alii eodem modo docent.

[7]) „Item in Oratione pro Papa, quando nominatur, semper caput inclinat, non tamen versus crucem“, addit Rubrica p. II. tit. 5. n. 2. Similiter ad nomen Episcopi caput inclinandum est versus librum, quando ejus collecta dicitur. S. R. C. die 13. Mart. 1700. in una Arichipæ ad 3. n. 3551. — Præterea S. R. C. declaravit die 7. Sept. 1816. in una Tuden. ad 40. n. 4526.: Congruit, ut fert praxis universalis, præsertim Urbis, quod fiat inclinatio capitis, cum pronuntiatur nomen Ss. Trinitatis, sicut fit, cum profertur nomen Jesu. — Hæc inclinatio habet locum, quando vel simul expresse nominantur tres Personæ: ut in *Deo Patri sit gloria*, vel quum dicitur expresse Sancta Trinitas in fine Hymnorum, uti S. R. C. declaravit die 12. Augusti 1854. in una Lucionen. ad 65. qu. 1. (Anal. Jur. Pont. II. pag. 2199.)

[8]) Fusius explicat *Meratus* l. c. n. 11., quid sub *commemoratione* intelligendum sit. „Nomine commemorationis, ait, veniunt illi Sancti, de quibus recolitur specialis memoria in Oratione, vel quia de illis recurrit in illa die festum, aut simplex, aut semiduplex, aut duplex, aut dies infra Octavam, aut de illo Sancto dicitur Missa.“

Canone.[9]) Excipitur tamen titulus Epistolæ et Evangelii, sicut e. gr. *Lectio Epistolæ B. Pauli Apostoli; Sequentia S. Evangelii secundum Joannem.* In his enim locis caput non inclinatur, etiamsi de iisdem sanctis Apostolis commemoratio fiat in officio.[10])

7. Quotcumque Orationes dicantur, in prima tantum et ultima fit conclusio, et invitatio *Oremus* dicitur solum in prima et secunda oratione.[11])

---

[9]) Quando immediate sequuntur plura nomina Sanctorum, satis est, caput tantum semel inclinare, ita tamen ut inclinatio duret a primo nomine usque ad ultimum; sic enim etiam Rubricæ satisfieri videtur, quia nomina proferuntur inclinato capite. Quod autem non habet locum, quando nomina diversam inclinationem requirunt, uti v. gr. in festo S. Joseph in principio Evangelii: „Cum esset desponsata mater *Jesu Maria Joseph*“, ad quæ verba triplex inclinatio facienda est, nempe minimarum maxima, media et minima.

[10]) In una Mechlinien. n. 4985. dubium proponitur: „Legitur in Missa festi Assumptionis B. M. V. *optimam partem elegit sibi Maria quæ non auferetur ab ea in æternum.* Quæritur, an hæc verba intelligantur de Beatissima Virgine, an de Maria, de qua in Evangelio hujus diei, et consequenter, an caput sit inclinandum ad prolationem nominis Mariæ necne?“ Et S. R. C. die 7. Sept. 1844. ad 11. respondit: „Inclinationem capitis non esse faciendam.“

Notandum hic 1°, inclinationem tantum esse faciendam, quando Sancti nominantur nominibus propriis, sub quibus ab ecclesia coluntur, uti est Petrus, Paulus, non autem *Simon Barjona, Saulus;* item ad nomen Maria minimarum media inclinatio tunc fit, quando profertur de ipsa Beatissima Virgine, non autem si proprio nomini alicujus Sancti vel Sanctæ nomen Maria additur v. gr. Alphonsus Maria, Maria Magdalena.

2° In Orationibus locum omnino non habent patria et cognomina Sanctorum. S. R. C. die 23. Julii 1736. ad 2. in Einsidlen. n. 4044. Excipiuntur tamen Orationes S. Joannis Chrysostomi et Petri Chrysologi, in quibus non sunt expungenda nomina *Chrysostomi* et *Chrysologi*, quæ adjectiva potius sunt, et vel facundiam, vel vim et efficaciam divini sermonis recensitis Sanctis quasi supernaturali inditam virtute designant. S. R. C. die 5. Mart. 1825. decr. gen. n. 4610. Item in Oratione S. Petri Cœlestini addi potest *Cœlestinum*, cum non sit cognomen, sed alterum ipsius nomen. S. R. C. 7. Decembr. 1844. in Mechlinien. ad 9. n. 4985.

[11]) Conclusio semper talis est, qualem Oratio, cui adnectitur, requirit, nulla habita ratione præcedentium Orationum. Cum in una Ord. S. August. Eremit. die 23. Maji 1835. n. 4747. hæc dubia proposita essent: „1. Quando in Missa vel Officio dicuntur plures Orationes sub unica

8. In Quatuor Temporibus aliisque diebus, in quibus sunt plures Orationes cum Prophetiis, sacerdos dicto *Kyrie* in medio altaris, et facta prius inclinatione maxima versus crucem,[12]) redit ad cornu Epistolæ, ibique juxta solitum dicit *Oremus*. Deinde dicit *Flectamus genua*,[13]) et manibus super altari innixus unum tantum genu flectit: et statim, postquam minister responderit *Levate*, surgit et Orationem dicit. Cum legit Prophetias, manus vel super altare vel super Missale tenet.

9. Quod numerum Orationum attinet, sciendum est, quod, si officium duplex est, Orationes omnes dici debent, quæ in officio præscribuntur, nec licet Orationem addere vel demere.[14]) Notandum, quod, si festum duplex

---

conclusione, et in prima Oratione vel secunda, non autem in ultima nominatur Spiritus sanctus, quæritur, an in conclusione dici debet: *in unitate ejusdem Spiritus sancti?* 2. An idem dicendum *Per eumdem Dominum nostrum*, quoties Filius non in ultima Oratione, sed in aliqua ex præcedentibus tantum fuerit nominatus?" S. R. C. respondit: „Negative ad utrumque."

[12]) Cum Rubrica Missalis l. c. n. 4. nihil habet de inclinatione, ista omittenda est; sonat enim: „Dicto *Kyrie eleison* in medio altaris revertitur ad cornu Epistolæ."

[13]) In una Neapolitana die 18. Febr. 1843. n. 4962. quæritur: „Quando Missa celebratur in altari, in quo publicæ fidelium venerationi est expositum Ss. Eucharistiæ Sacramentum, et in Missa ipsa dicendum occurrit *Flectamus genua*, genuflexio isthæc fieri debeat erga Ss. Sacramentum, an vero more solito ante Missale, ut a Rubrica præscribitur?" Et S. R. C. respondendum censuit: „Juxta votum Magistri Cæremoniarum, nimirum in casu nihil innovandum, ac servandas Rubricas generales de Oratione n. IV."

[14]) Recte S. Alphonsus hic non permittit, ut in Missa aliæ Orationes præter assignatas a Rubrica addantur; nam sacerdos, ut *Piscara Castaldus* Prax. Cærem. lib. II. sect. 8. cap. 3. n. 7. scribit, „devotioni pariter ac currentibus necessitatibus ipso sacrificio, quod offertur, nec non interiori actu mentis in ipso *Memento* abunde satisfacere poterit; acceptior enim erit devotio celebrantis, si obedientiam præstando, juxta statutos ritus suum exsequatur munus, ac facilius, quod intendit, propitiatorio atque impetratorio sacrificio consequetur; et ideo summo studio omnia ac singula, quæ in Rubricis habentur, ne ipsis quidem minutioribus parcendo . . . observare oportet."

Item S. R. C. die 12. Aug. 1854. Lucionen. ad 30. (Anal. Jur. Pontif. II. p. 2193.) non permisit, ut alia Oratio ex devotione ad præscriptas adjungeretur; conf. decr. n. 5146. die 7. Septembr. 1850. in una

secundæ classis occurrit, quod non habet commemorationem simplicis in primis Vesperis, sed in Laudibus tantum, tunc non fit in Missa solemni commemoratio simplicis, sed tantum in Missis privatis.[15]) Iis vero diebus, quibus plures Orationes in officio per Rubricam prohibentur, in Missa quoque omnes commemorationes omittuntur, sicut in Dominica Palmarum et in Vigilia Pentecostes etc.

10. Ceterum declaravit S. R. C. die 2. Decembris 1684., non esse præceptum Rubricæ, ut in semiduplicibus, simplicibus et feriis semper Orationes numero impares sumantur.[16]) Volunt tamen Doctores, juxta

---

Asturicens. ad 3. Ut liceat Missæ dici, Missas privatas votivas et tertiam orationem ad libitum excludentis, orationem addere ex devotione vel peculiari necessitate, ex. gr. pro infirmis vel agonizantibus, indultum S. Sedis plane requiritur. S. R. C. 23. Sept. 1837. in Meliten. n. 4818. et 11. April. 1840. in Florentin. n. 4881. Cum autem communis necessitas alicujus ordinis regularis urgeat, sufficit licentia ab episcopo impetrata. S. R. C. 27. Mart. 1779. Ord. Minor. ad 16. n. 4393.

[15]) Rubrica Missalis p. I. tit. 7. n. 1. sic habet: „De festo simplici fit commemoratio in Missa, quando de eo in Officio facta est commemoratio in primis Vesperis. Quando autem de eo fit commemoratio tantum ad Laudes, in Missa solemni non fit commemoratio de eo, sed in Missis tantum privatis.“ Circa hanc Rubricam in una Compostell. n. 4507. propositum est dubium: „Utrum in duplicibus II. classis locum habeat Oratio Sancti simplicis, cujus ad Laudes fit commemoratio, in omnibus Missis cantatis cum sacris Ministris vel sine ipsis, aut omittenda solummodo sit in solemni Missa conventuali?“ Et S. R. C. die 8. April. 1808. ad 4. respondit: „In Missa *quocumque modo cantata* de festo duplici II. classis omittitur commemoratio simplicis, quæ juxta Rubricam fit in Missis privatis tantum.“ Conf. decr. n. 4526. die 7. Sept. 1816. in Tuden. ad 10. — Ad dubium vero: „An commemoratio Sancti simplicis occurrentis in duplici II. classis omitti debeat in Missa conventuali *sine cantu*, sed *lecta* a communitate religiosa?“ S. R. C. die 27. Mart. 1779. Ord. Minor. Obs. Reform. S. Franc. ad 18. n. 4393. respondit: „Affirmative.“

[16]) Decretum S. R. C. die 2. Dec. 1684. a S. Alphonso hic allegatum, apud Gardellini n. 3073. ad 9. sic refertur: „An in Missa de semiduplici, simplici vel votiva necessario dicendæ sint Collectæ impares, puta tres, quinque aut septem: an vero completo ternario numero commemorationum omitti possit quinta vel septima ex. gr. prima de Missa, secunda de simplici, tertia *A cunctis*, quarta imperata *Deus refugium* etc., vel potius omittenda Oratio *A cunctis* et ponenda so-

Rubricas saltem tres Orationes sumendas esse, et in Missis ferialibus vel votivis vel simplicibus quinque tantum vel ad summum septem permitti:[17]) in Dominicis vero et semiduplicibus dicendas esse quatuor inclusa collecta a Superiore præscripta[18]) nec opus esse, ut quinta addatur: *cum in Missa de semiduplici non sint necessario dicendæ collectæ impares, id est tres, quinque vel septem* juxta citatum Decretum 2. Dec. 1684. Quodsi a Superiore[19]) aliqua Collecta præscribitur, [tunc vel loco tertiæ *ad libitum* sumitur, vel uti commemoratio duplici, semiduplici vel dominicæ additur: sic S. R. C. die 28. Augusti 1627. declaravit.[20])] Hæc Collecta regula-

---

lum Oratio *Deus refugium* pro tertia: an vero addenda sit quinta ad libitum celebrantis?" Et S. R. C. respondit et declaravit: „Negative, sed post tertiam Orationem et imperatas posse, non tamen teneri superaddere plures."

[17]) Hæc opinio fundatur in Rubrica Missalis p. I. tit. 9. n. 12., ubi habetur: „In festis simplicibus et feriis per annum, nisi aliter in propriis locis habetur, dicuntur tres, ut in semiduplicibus, aut quinque: possunt etiam dici septem ad libitum." Hic notat *Meratus* p. I. tit. 9. n. 11.: „In semiduplicibus non potest augeri numerus Orationum ad libitum celebrantis; quinque tamen, aut septem, ait *Turrinus* p. 2. s. 2. c. 2. possunt dici in simplicibus et feriis; non quatuor aut sex, nisi ubi numerum talem exigerent commemorationes. Non est igitur præscriptum a Rubricis, quod *semper* in semiduplicibus, simplicibus et feriis Orationes, quæ dicuntur in Missa, debeant esse impares numero: et hoc declaratum est a S. R. C. 2. Dec. 1684." (supra relato.)

[18]) Rubrica Missalis p. I. tit. 9. n. 11. dicit: „In Dominicis dicuntur tres, ut in Ordinario assignantur, quibusdam exceptis, ut suis locis etiam notatur." His accedunt Orationes a Superiore præscriptæ, sive una sive plures.

[19]) Nomine Superioris intelligitur Ordinarius tantum loci, non vero Superior religiosæ familiæ, uti patet ex decreto S. R. C. die 27. Mart. 1779. Ord. Min. Observ. Reform. ad 16. n. 4393. Cum enim dubium proponeretur: „An prælati regulares etiam locales possint ordinare Collectam dicendam in Missa a subditis suis, tam pro necessitatibus ordinis quam pro necessitate communi?" S. R. C. respondit: „Non licere sine licentia episcopi."

[20]) Verba textus: „*tunc vel loco . . . declaravit*" per parenthesim ponimus, quia a textu S. Doctoris recedendum, et legendum est: Quodsi a Superiore aliqua Collecta præscribitur, „illa sumenda est post eas, quæ jam a Rubrica ordinantur, nec loco tertiæ ad libitum". Decretum enim hic citatum in collectione Gardellinïana non invenitur,

riter in festis primæ et secundæ classis omittitur: et quidem in insignioribus Romæ ecclesiis etiam in Missis privatis omittitur: nam omittendam esse in Missis solemnibus certum est, sicut etiam commemoratio simplicis, quamvis alias de præcepto sit, omittitur.[21]) Notandum,

---

forsitan quia per posteriorem declarationem diei 17. Augusti 1709. in Bergom. ad 3. n. 3814. abrogata est. Cum enim quæreretur: „An iis temporibus, quando 3. Oratio in Missis est ad libitum, ac ex jussu Summi Pontificis vel Episcopi, in Missis debet apponi aliqua specialis Oratio pro publica indigentia, videlicet contra Turcas, seu ad petendam serenitatem, aut pluviam etc. hæc Oratio præscripta a Summo Pontifice vel ab Episcopo necessario ponenda sit in Missis tertio loco, et prætermittenda, quæ ad libitum; seu potius celebrans possit recitare tertiam Orationem ad libitum, seu devotionis, et quarto loco, quæ est præscripta de mandato Pontificis vel Episcopi?“ S. R. C. censuit respondendum: „In casu proposito ad primam partem negative, ad secundam affirmative per modum præcepti et obligationis.“

[21]) Circa Collectam ab Ordinario præscriptam plura habentur decreta S. R. C. apud Gardellini, ex quibus sequentia adnotamus:

In una Tuden. die 7. Sept. 1816. ad 22. et 23. n. 4526. quæritur: 22. „Utrum Oratio præcepta a Superiore necessitatis publicæ tempore locum habeat in diebus primæ et secundæ classis?“ — 23. „An prædicta Oratio dici debeat sub distincta conclusione?“ Et S. R. C. respondit: „Ad 22. et 23. Si Oratio præcepta sit pro re gravi, dicenda erit in duplicibus primæ classis sub unica conclusione; si non sit pro re gravi, omittenda in duplicibus primæ classis; in duplicibus vero secundæ classis arbitrio sacerdotis.“ Confer n. 5183. die 16. April. 1853. in Ord. Min. Observ. ad 15. et n. 5443. die 3. Julii 1869. Urb. et Orb. ad 8.

Iterum propositum est dubium in una Assisien. n. 4560.: „An in duplicibus primæ et secundæ classis recitanda sit Collecta a Majoribus imperata?“ Et S. R. C. die 15. Maji 1819. ad 2. respondit: „Negative in duplicibus primæ classis, ut alias responsum fuit. Quoad vero duplicia secundæ classis poterit ad libitum celebrantis legi vel omitti Collecta imperata in Missis privatis tantum; in conventuali et solemni omittenda.“ (Nota: *in conventuali*, et quidem etiamsi sit lecta; nam ista, sicut ex Rubricarum præscripto respuit commemorationem esti simplicis, ita nec admittere debet Orationem imperatam.)

Iterum in una Cotronen. die 20. Apr. 1822. ad 2. n. 4586. quæsitum est: „An in Dominicis Adventus et Quadragesimæ omittenda sit Collecta a Superioribus imperata?“ Et S. R. C. respondit: „Negative, exceptis Dominica Palmarum et Dominica IV. Adventus in hujus occursu cum Vigilia Nativitatis D. N. J. C., in quibus omittenda est collecta imperata.“ Uti Vigilia Nativitatis Orationem imperatam excludit, ita etiam Vigilia Pentecostes, quia tantum unicam Orationem

Orationes *ad libitum* non ita esse intelligendas, ut celebrans juxta proprium ingenium quamcumque Oratio-

---

in Missa admittit. Porro recte notat *De Herdt* prax. Liturg. tom. I. n. 72., omittendam esse pariter Orationem præscriptam feria V. in Cœna Domini et Sabbato Sancto et in votivis solemnibus, quia celebrantur sub ritu duplici primæ classis.

In decreto generali de die 3. April. 1821. n. 4578. sequentia dubia leguntur: „1. An in ecclesia regularium aliisque ecclesiis exemptis recitandæ sint Collectæ ab Ordinario loci præscriptæ? 2. An liceat clero earumdem ecclesiarum ab iis recitandis cessare pro libitu, antequam Ordinarius id jusserit?“ Et S. R. C. respondit: „Ad 1. Affirmative. Ad 2. Negative.“

In una demum Namurcen. n. 4746. quæsitum est: „Si præscripta sit Oratio pro Ecclesia vel pro Papa, semper dicenda sit utraque, ita ut non possit satisfieri Rubricæ et præcepto Superioris per solam Orationem pro Papa?“ Et S. R. C. die 23. Maji 1835. Dub. I. ad 2. respondit: „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.“

Collecta imperata poni debet post Orationes a Rubricis præscriptas, sed ante votivas, a celebrante in Missis votivis et diebus simplicibus et ferialibus adjunctas. Si plures imperentur, *non* ordine *temporis*, quo præscribuntur, sed juxta ordinem *dignitatis* dicendæ sunt.

Si vero Oratio præscripta eadem sit atque una a Rubricis ordinata, tunc imperata omittitur, nisi alia congruens in promptu est. De hoc puncto ad dubium: „Concurrente Secreta et Postcommunione S. Irenæi Ep. et Mart. cum Secreta et Postcommunione e Missa ad petendam pacem desumpta ex præcepto Ordinarii, cum eædem sint, excepto nomine Sancti, quid faciendum?“ S. R. C. declaravit: „In casu omittendam esse Collectam pro Pace.“ Die 29. Febr. 1868. in una Dubii n. 5388.

Iterum propositum est dubium in una Olomucen. die 5. Martii 1870. ad 1. n. 5445: „In Archidiœcesi Olomucensi ex mandato Archiepiscopi quotidie in singulis Missis solemnibus et privatis, quæ ex Rubricarum dispositione Collectas admittunt, dici debet Oratio pro Papa. Cum autem die anniversaria electionis et consecrationis Archiepiscopi ex pluribus S. R. C. decretis in universa diœcesi recitanda sit in omnibus Missis Oratio pro episcopo, et cum hæc eadem sit cum illa, quæ pro Papa dicitur, quæritur, quid prædicta die sit agendum?“ Et S. R. C. rescribendum censuit: „Ea die omittatur collecta.“

Quando autem anniversarium consecrationis Episcopi ea ipsa die occurrit, qua agi debet de anniversario electionis vel consecrationis Summi Romani Pontificis agendum est de anniversario consecrationis Episcopi sequenti die. S. R. C. die 20. Decembr. 1864. in una Dubii n. 5344.

Hæc commemoratio in anniversario electionis et consecrationis Episcopi ab omnibus sacerdotibus sæcularibus et regularibus facienda

nem dicere possit, sed ex iis tantum, quæ in Missali sunt, unam sibi eligere potest, ut patet ex Rubrica tit. 7. n. 5.[22])

---

est in omnibus Missis, exceptis de *Requiem*, præterquam in Dominica Palmarum, triduo sacro majoris Hebdomadæ, Vigiliis Nativitatis et Pentecostes, et festis primæ classis, in quibus omittitur; in festis 2. classis autem dicitur sub una conclusione, nisi alia Oratio sub distincta conclusione recitanda est, cui tunc adnectitur. S. R. C. 12. Sept. 1840. in Mechlin. ad 3. n. 4911; 14. Augusti 1858. in Granat. ad 3—5. n. 5274.

Carpo in Comp. Biblioth. liturg. p. I. art. 13. n. 94. scribit: „Quodsi Collecta sit quidem eadem ac Oratio præscripta a Rubricis, sed ad diversum objectum seu motivum spectet, tum vero illa mutabitur in aliam congruentem, si suppetat, secus est prætereunda.“ Quæ sententia confirmari videtur declaratione S. R. C. die 23. Maji 1835. in Namurcen. n. 4746. ad Dub. 1. qu. 1., ubi quæsitum est: „An alia Oratio addenda sit loco imperatæ, quando hæc reperitur in Missa dici ex. gr. in Dominica XXII. post Pentecosten, si imperata sit: *Deus refugium?*“ Et S. R. C. rescripsit: „Ad 1. quæst. 1. In casu collecta erit sequens: *Ne despicias* num. 13. posita.“

Denique notamus particularem Collectam de eligendo episcopo: quæ „continuari debet usque ad diem electionis, qui est dies Consistorii secreti“, uti S. R. C. 19. Decembr. 1829. in una Florent. ad 3. n. 4651. declaravit.

[22]) Verbum *ad libitum* porro minime significat, sacerdotem pro lubitu Orationem sumere vel omittere posse: dicit tantum, liberum ipsi esse, unam vel aliam Orationem ex Missali eligere, sicut ipsi magis placuerit.

Apud Gardellini n. 4119. in una Aquen. sequens habetur dubium: „Quoties in Missa tertia Oratio est ad libitum, potestne dici de Sanctis, quorum Missa est in Missali, vel de Ss. Sacramento, aut de Patrono?“ Et S. R. C. die 2. Sept. 1741. ad 6. respondit: „Tertia Oratio dicenda ad libitum sacerdotis potest esse vel de Sancto, vel de Ssmo Sacramento, vel de Patrono, de Passione, de Cruce etc.“

Aliud dubium n. 5358. allegatur: „I. An quando in Missa tertia Collecta est ad libitum, hæc Collecta dici possit de aliqua Dominica ex. gr. prima vel secunda post Pentecosten; prima Adventus, vel de aliqua Feria, vel de Beato?“ Et S. R. C. rescribendum censuit die 4. Mart. 1866. in Dubior. ad 1.: „Negative in omnibus.“

Quando *secundo* loco dicenda est Oratio *A cunctis*, pro *tertia* Oratione ad libitum poni potest Oratio *Ecclesiæ tuæ*, licet circa finem in verbis cum prima pene concordet, uti S. R. C. die 29. Mart. 1851. in Adrien. ad 2. declaravit. (Vid. Gardell. n. 5152.) Idem valet, si Oratio *Ecclesiæ tuæ* uti imperata addatur in Missa, in qua ex Rubrica Oratio *A cunctis* dicenda est.

11. Advertendum: I. Non convenire, ut celebrans in præsentia prælati vel cleri in choro congregati in Missa solemni Orationem *Pro se ipso sacerdote* dicat, sed illam sumat, quæ Superiori vel Congregationi convenit vel aliam, quæ magis ipsi placuerit. II. Numquam omittantur commemorationes Dominicarum, Adventus, Quadragesimæ, Vigiliarum et Quatuor Temporum. III. Commemoratio Quatuor Temporum debet esse prima post Introitum, quæ concordat cum Officio. IV. Si aliqua Octava cadat in Dominicam privilegiatam,[23]) tantum commemoratio Octavæ sumitur, tertia Oratione omissa.

12. In Missis votivis secunda Oratio semper erit Oratio officii, tertia vero ea, quæ secundo loco dicenda erat. Quæ tertio loco dicenda erat omitti potest, nisi sit aliqua commemoratio particularis facta in officio.

13. In Missa Sancti qui est titularis Altaris, de quo non fit officium, sed tantum Missa votiva die ejusdem Sancti, secunda Oratio erit de officio diei, tertia ea, quæ convenit cum officio et tertio loco sumenda esset. In hac Missa, quæ consideratur sicut mixta ex votiva et festiva (votiva, quia non convenit cum officio, festiva, quia est festum Sancti) dicitur Gloria.[24]) De Missis vero votivis solemnibus vide Rubricam.

14. In Missis votivis B. Mariæ V. secunda[25]) commemoratio est de Spiritu sancto etiam tempore Adventus, Passionis et Paschatis. In Missis Apostolorum loco Orationis *A cunctis* dicitur *Concede* de B. Virgine, ne commemoratio S. Petri et Pauli repetatur. In Missa votiva Patroni in Oratione *A cunctis* nomen Patroni omittitur vel dicitur alius Sanctus juxta devotionem.[26])

---

[23]) Vel communem, si officium fit de Dominica. Rubr. Miss. p. I. tit. 9. n. 10.

[24]) Eamdem prorsus sententiam tenet *Pavone* l. c. tom. II. n. 193. cum auctoritate Gavanti, Quarti, Merati, Cavalieri, quia (dicunt) hæc Missa non est simpliciter votiva, sed habet aliqualem festivitatem.

[25]) Nempe *tertia Oratio.*

[26]) Quoad Orationem *A cunctis* breviter sequentia notanda sunt.

15. Quod ordinem Orationum attinet, quæ de Dominica est Orationem infra Octavam præcedit: hæc vero

---

Ex litteris Apostolicis die 7. Julii 1871. in Oratione *A cunctis* addendum est nomen S. Joseph, Sponsi B. M. V., et quidem juxta decisionem S. R. C. die 22. April. 1871 in una Ratisbon. Dub. III. ad 1. et 2. n. 5484. semper post invocationem B. M. V. et ante quoscumque alios sanctos Patronos, exceptis Angelis et S. Joanne Bapt. per hæc verba: *cum beato Joseph.* Idem valet in Postcommunione.

Juxta decretum in una Santanderien. die 26. Januar. 1793. ad 15. n. 4448. ad litteram *N.* in Oratione *A cunctis* nominandus est in qualibet ecclesia patronus seu titularis proprius ejusdem ecclesiæ; si autem jam nominatus est, nova ejus nominatio omittenda est S. R. C. 12. Nov. 1831. in una Marsor. ad 31. n. 4669.

Si Titularis ecclesiæ est Ss. Trinitas, Spiritus sanctus, sancta Crux etc., prætereundum quoque est nomen Patroni ad litteram *N* nec alius Sanctus istius loco est nominandus. S. R. C. 16. April. 1853. Ord. Min. Observ. ad 19. n. 5183.; sed juxta decisionem S. R. C. die 15. Febr. 1873. S. Germani n. 5532. potest, si celebretur in ecclesia dedicata alicui mysterio, vel in sacello vel oratorio privato nominari patronus loci, si consuetudo adsit faciendi ejus commemorationem in officio, secus omittenda sunt verba *ac beato.*

In Oratoriis privatis vel publicis, quæ non habent Sanctum titularem seu patronum, nominandus est patronus civitatis vel loci intra cujus limites sita sunt oratoria. S. R. C. 12. Sept. 1840. Brugen. ad 2. n. 4897. Vide decr. n. 5532. immediate præcedens.

Si Missa celebretur de Sancto, qui in Oratione *A cunctis* nominandus esset, tunc in hac Oratione, si esset dicenda, omittitur nomen illius Sancti, vel dicitur Oratio *Concede* prima inter diversas. S. R. C. die 15. Maji 1819. in Assisien. ad 3. n. 4560.

In una Ruremunden. die 1. Jun. 1876. ad dub. III. n. 5664. decisum est, si in Missis votivis in honorem S. Joseph celebrandis, tempore quo Oratio *A cunctis* tertio loco dicenda esset, isti non substituendam Orationem *Concede*, sed recitandam esse Orationem *A cunctis* omisso nomine S. Joseph.

Si plures sunt patroni æque principales, omnes sunt nominandi; secus tantum principalior (S. R. C. 28. Sept. 1865. Neapolitan. ad 2.; hoc decretum in extenso invenitur ap. Carpo Biblioth. p. 3. n. 93. in nota: in collect. Gardell. non exstat) et quidem, si plures sunt patroni, servetur ordo, qui in Litaniis majoribus præscribitur. S. R. C. 11. Maji 1743. in una Senen. ad 4. n. 4143.

Utrum autem a regularibus in Oratione *A cunctis* nominari potest patronus sui Ordinis ultra titularem ecclesiæ? „*Gayetus* lib. 3. cap. 29. quæst. 7. improbat illos qui, omisso titulari ecclesiæ, solum nominant patronum sui ordinis; non improbat tamen illos regulares, qui omittunt nominare dictum sui ordinis patronum. Verum non negat, quin possint uterque nominari, nempe et titularis ecclesiæ et patronus or-

feriam majorem[27]) vel vigiliam: hæc iterum simplicem, simplex vero communes, quæ secundo loco venirent, et nunc ad tertium locum remittuntur: communes autem eas præcedunt, quæ ex devotione dicuntur. Orationes votivæ de Ss. Trinitate, de Spiritu sancto, de Ss. Sacramento, de Cruce præcedunt Orationes de B. Virgine, Ss. Angelis et S. Joanne Baptista:[28]) omnes Orationes de Sanctis Apostolis antecedunt. Dicendum est igitur:[29]) *Cum beato Michaële Archangelo,* vel *cum beato Joanne Baptista*[30]) *atque beatis Apostolis tuis Petro et Paulo et omnibus Sanctis.* Si commemoratio defunctorum facienda est, semper penultimo loco ponitur.[31])

---

dinis." Ita *Meratus* p. I. tit. 9. n. 3. Ad hunc locum Merati notat *Martinucci* Manual. Decret. S. R. C. cap. 1. n. 43.: „Quod confirmatum fuit a S. R. C. 17. Junii 1843. in un. Ord. excalceat. Ss. Trinitatis ad 3." (n. 4964. qu. 1.) In hac decisione nempe responsum est a S. R. C.: „Permitti posse (sc. ut Ss. fundatores addantur), dummodo non omittatur titularis ecclesiæ nomen." Ex quibus patet, ubi apud religiosos est consuetudo, fundatorem seu patronum Ordinis in Oratione *A cunctis* ultra titularem ecclesiæ exprimendi, eam servari posse.

[27]) Feriæ majores sunt feriæ Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum et feria secunda Rogationum; feria tertia et quarta Rogationum autem sunt minores, et si in Missa cum commemoratione simplicis occurrant, anteponenda est commemoratio simplicis tali feriæ. Cf. *Merat.* tom. I. p. IV. tit. 11. n. 15, *Guyetum* lib. 4. c. 3. q. 2.

[28]) *Et S. Joseph* juxta breve apost. 7. Jul. 1871.

[29]) Scilicet: in Oratione *A cunctis.*

[30]) vel *cum beato Joseph, beatis Apostolis tuis Petro et Paulo* juxta cit. litt. apost.

[31]) In Missa privata de semiduplici, vel simplici vel votiva vel de die infra octavam dici potest collecta pro particulari defuncto, puta *Inclina* vel *Deus qui nos patrem* etc. et quidem penultimo loco, nec ob id omittenda est ulla ex collectis pro tempore assignatis, puta *A cunctis* vel *Ecclesiæ* S. R. C. 2. Dec. 1684. Ord. Canon. Regul. Lateran. ad 6. n. 3073. et 23. Maji 1835. Namurcen. ad 1. qu. 4. n. 4746.

Hic juverit adjicere sequens decretum: In una Valentinen. quæsitum est: „Dub. I. A Rubricis Missalis tit. 7. n. 6. absque ulla prorsus exceptione statuitur, commemorationem pro defunctis in Missis vivorum ponendam esse penultimo loco. Porro in diversis auctoribus diversa leguntur, nec omnino desunt, qui decreto 23. Maji 1835. in una Namurcen. innixi affirmant, prædictam commemorationem tam in Missa conventuali quam in Missis privatis, a suo loco penultimo inter

16. Si duæ Orationes in eadem Missa similes sunt, ea, quæ ultimo loco dicenda est, commutetur et ejus loco alia ex communi sumatur.[32]) Si Oratio Dominicæ XXII. post Pentecosten[33]) vel 40 Martyrum feria V. post diem Cinerum mutanda est, sumatur Oratio Dominicæ vel feriæ sequentis.

collectas de præcepto amoveri non posse, etiamsi occurrat collecta imperata ab episcopo, aut aliunde ex præcepto adjungenda, ita ut eo in casu commemoratio pro defunctis locum ante penultimum jugiter obtineat, non obstante Rubrica Missalis superius allata. Quæritur itaque: 1° Utrum commemoratio pro defunctis diebus a Rubrica præscriptis, in Missa conventuali et in Missis privatis secundo loco manere debeat, si addatur quarto loco collecta imperata? Et 2° utrum occurrentibus commemorationibus in Missa præfata, collecta saltem ante penultimum locum obtineat, cum additur Oratio imperata?"

„Dub. II. Circa legem paritatis vel imparitatis Orationum in Missa festorum simplicium admittitur communiter, juxta decr. 2. Dec. 1684. in una Ord. Can. Regul. Lateran. celebrantem non teneri ad imparem Orationum numerum, cum additur collecta pro defuncto. Quæritur etiam utrum in Missis de Requie privatis, si occurrat collecta imperata pro defuncto, hæc addi queat tertio loco ante quartam Orationem *Fidelium*, absque obligatione ob legem imparitatis?" Et S. R. C. die 12. Dec. 1879. respondendum censuit: „Ad I. Inter collectas a Rubricis præscriptas collectam pro defunctis semper penultimum locum obtinere et post easdem dicendam esse Orationem aut Orationes, a superiore imperatam, aut imperatas. Ad II. Affirmative." (Acta S. Sed. tom. 12. pag. 642. seq.)

[32]) Scilicet illa varianda, quæ ordine posterior est, seu quæ dicenda erit pro commemoratione. S. R. C. 7. Sept. 1816. in una Tuden. ad 31. n. 4526.; 14. Aug. 1858. in Nothingamen. n. 5266. et 23. Maji 1873. in una S. Hippolyti n. 5547. Si autem festum S. Barnabæ transferatur ad diem 23. Junii, sumenda est Secreta hujus festi ex Missa S. Mathiæ Apost. die 24. Febr. mutato nomine; est enim eadem ac Secreta Vigiliæ S. Joannis. S. R. C. 12. Aug. 1854. in Lucion. ad 29. (Anal. Jur. Pont. tom. II. pag. 2193.)

In concurrentia duarum Ss. Virginum vel Viduarum, quæ Secretam et Postcommunionem præcise similem habent, sumi potest pro variatione Secreta et Postcommunio ex Missa *Loquebar* de Communi Virg. et Mart. omissis verbis *Martyris* vel *Virginis et Martyris* respective. S. R. C. die 12. Sept. 1846. in una Congreg. Ss. Cord. Jesu et Mariæ ad 1. n. 4909.

[33]) Vide decr. 23. Maji 1835. in Namurc. ad 1. in hoc capite sub adnotat. 21. in fine citatum. — Aliquando festum S. Martini incidit in Dominica XXII. post Pentecosten; tunc si Oratio *Deus refugium* ab

CAPUT VI.

Ab Epistola usque ad Offertorium.

Absolutis Orationibus sacerdos manus super Missale vel super altare ita ponet, ut ipsarum palmæ Missale tangant, vel alio modo magis commodo, dummodo nulla manus in aëre suspensa maneat: sic manibus dispositis clara voce dicet Epistolam, in cujus fine tonum deprimendo et inflectendo ministro eam esse finitam significat, ut respondeat: *Deo gratias.* Quod idem faciat in fine Evangelii. In eodem tono vocis dicet Graduale, Versiculum vel Tractum vel Sequentiam. Si, dum dicit Epistolam vel aliquem Versiculum subsequentem, genuflectendum est, hoc faciat uno tantum genu, tenens manus innixas super altare, sed caput non demittat.[1]) Si in Epistola nomen Jesu pronuntiandum est, se paulum ad crucem vertat et debitam inclinationem faciat. Si nomen Mariæ vel Sancti, cujus festum agitur, profertur, mediam inclinationem faciat ad nomen B. Virginis, minimam ad nomen Sancti, sed versus Missale: et hoc valet pro omni casu occurrente, quo dicta nomina pronuntianda sunt, uti jam (supra c. V. n. 5.) notatum est. Dicto Graduali per totum annum dicuntur duo *Alleluja,* deinde Versiculus, et post hunc aliud *Alleluja.*[2]) Tempore paschali loco Gradualis dicuntur duo Versiculi et

---

ordinario imperata est, tres eædem Secretæ habentur; tunc duæ posteriores mutandæ sunt, nempe Secreta Dominicæ est sumenda ex Dominica XXIII. sequenti, et imperatæ ex n. 13. *Suscipe Domine.*

Nota tamen, illam tantum Orationem mutari, quæ eadem est, non autem Secretam et Postcommunionem, ac vicissim.

[1]) Nota, quod scribit *Martinucci* Manual. Cærem. lib. 1. cap. 1. n. 7.: „Si in peragenda genuflexione simplici occurreret nominandum Ss. Jesu nomen, aut Mariæ, aut aliud verbum, ad cujus pronuntiationem præscriberetur inclinatio capitis, omitti in genuflexione inclinatio ista debet; siquidem majus obsequium, quod est genuflexio, includit minus, quod est capitis demissio."

[2]) „Quando (autem) dicitur *Sequentia,* (id Alleluja) non dicitur post ultimum Versum, sed post Sequentiam." Rubr. Miss. p. I. tit. 10. n. 3.

quatuor *Alleluja*, juxta ordinem Sabbato Sancto notatum.[3])

2. Finitis Graduali iisque, quæ illud sequuntur, sacerdos statim, Missale apertum relinquens, manibus ante pectus junctis in medium altaris procedit: et quum eo pervenerit, oculos versus crucem elevat,[4]) statimque demittit, et profunde inclinatus, non manibus altari innititur, sed eas inter se et altare tenet et voce submissa dicit: *Munda cor meum*[5]) etc. *Jube Domine benedicere: Dominus sit in corde meo* etc. Si minister tam parvulus esset, ut sacerdotem ipsum Missale ad locum suum transferre oporteret, transiens cruci inclinationem faciat,[6]) et Missali in loco suo posito in medium redeat ad dicendum: *Munda cor meum* etc. ut supra.

3. Deinde manibus adhuc ante pectus junctis procedit ad cornu Evangelii, ibique Missale ita locat, ut non a facie, sed ex angulo altaris prospiciat:[7]) tunc

---

[3]) A Septuagesima usque ad Sabbatum Sanctum non dicitur *Alleluja*, sed ejus loco dicitur Tractus. Rubr. l. c. n. 4. et 5.

[4]) In una Adjacen. die 22. Julii 1848. ad 3. n. 5121. quæsitum est: „Denegatur ab aliquibus ecclesiasticis obligatio crucem adspiciendi, dum a Rubrica sacerdoti celebranti injungitur in Missa oculorum elevatio. Quid dicendum de hujusmodi opinione?“ Et S. R. C. rescripsit: „Juxta Rubricas in elevatione oculorum crucem esse adspiciendam.“ Quid autem faciendum, si crux in altari tam alte, vel tam demisse posita sit, ut crux in elevatione oculorum videri non possit? Ad hanc quæstionem respondet *Martinucci* Man. Cær. lib. 1. cap. 18. n. 64. in nota: „Si crux altaris nimis in alto vel nimis in imo posita esset, ita ut oculi attolli nequirent, sacerdos intuebitur versus cœlum cum positione convenienti, juxta expressionem Rubricæ „intentis ad Deum oculis.“

[5]) Nota, *Munda cor* non esse incipiendum, nisi postquam sacerdos fuerit profunde inclinatus; nam Rubrica p. II. tit. 6. n. 2. dicit: „*Junctis* manibus ante pectus, *levatis*que ad Deum oculis et statim *demissis, tum profunde inclinatus*, dicit secreto: *Munda cor*.“

[6]) Hic a Rubrica Missal. l. c. n. 1. expresse inclinatio præscribitur, dicendo: „dum transit ante medium altaris, caput cruci inclinat.“

[7]) In Rubrica l. c. dicitur: „Missale sic locat, ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu altaris, et non ad parietem sive ad partem ejus contra se directam.“ *Merati* p. II. tit. 6. n. 3. scribit: „Missale sic

manibus ante pectus junctis, non tamen illis vel brachiis altari innixus, facie ad Missale versa, erectis capite et corpore, voce intelligibili dicet: *Dominus vobiscum.* Jam manus disjungit, et sinistra super librum posita pulpa pollicis manus dexteræ, non ungue, Missale super principio Evangelii signo crucis signat. Cum vero hoc signum crucis facit, totam manum dexteram extendat, palmam versus librum vertat, et omnes quatuor digiti sibi cohæreant. Interea manum sinistram super Missale ponat,[8]) deinde eam infra pectus ponat, et eadem pulpa pollicis dexteri alias tres cruces parvas efformet in fronte, in ore et in pectore, manum dexteram cum aliis digitis extensis et palmam ad se versam tenens. Signa crucis sic ad singulas voces distribuantur: ex. gr. Dicendo *Sequentia* vel *Initium* signabit librum, ad vocem: *sancti Evangelii* frontem: os signans nihil dicet, quia debet esse clausum: dicendo *secundum Joannem* etc. pectus signabit.

4. Postquam minister responderit: *Gloria tibi Domine,* sacerdos manus ante pectus jungit et voce clara Evangelium legit, caput ad nomen Jesu vel Mariæ alteriusve Sancti versus Missale inclinans, versus quod pariter genuflectit, quando genuflectendum est.

5. Dicto Evangelio sacerdos utraque manu Missale parumper elevat, se aliquantulum inclinat, et principium textus Evangelii osculatur voce submissa dicens: *Per Evangelica dicta* etc.

6. Osculato Missali celebrans illud cum cussino aut legili ambabus manibus prope corporale collocat, ita ut a medio altaris commode legere possit. Deinde manibus ante pectus junctis in medium altaris procedit, et

---

collocet, ut pars superior libri cornu posterius altaris respiciat contra se directum, et sacerdoti in obliquo situ Evangelium legenti sit magis accommodata."

[8]) In una Tuden. 7. Sept. 1816. ad 25. n. 4526. quæritur: „An manus sinistra poni debeat super Missale ad Evangelium, cum dextera fit signum crucis super ipsum?" Et S. R. C. respondit: „Affirmative."

quum eo pervenerit, illud osculatur, nisi *Credo* dicendum est: quod si vero *Credo* dicitur, stans erectus statim manus extendit, elevat et conjungit, ac voce clara et distincta, sicut in *Gloria,* incipit *Credo.*

7. Ad vocem *Credo* manus extendit et elevat: ad vocem *in unum* ipsas jungit: ad vocem *Deum* caput inclinat: et nec oculi nec caput elevantur. Prosequitur sicut ad *Gloria.* Ad vocem *Jesum Christum* inclinationem simplicem maximam facit. Cum dicit: *Et incarnatus est,* quæ verba lente proferre convenit, ut omnia recte fiant, dexterum genu flectere incipit, eamque genuflexionem ad vocem *et homo factus est,* terminat, ita ut ad hæc ultima verba genu supra pradellam jam habeat; non tamen (contra opinionem paucorum) caput inclinet.[9]) Ante genuflexionem manus super altare extendit et spatio unius pedis retrocedit, tum ne genu sinistro pallium sive antipendium tangat, tum ne pedem dexterum extra pradellam ponere cogatur, quod numquam faciendum est, nisi forsitan pradella tam angusta sit, ut alio modo fieri nequeat. Ad vocem *adoratur* facienda est inclinatio simplex maxima versus crucem: ad vocem vero *Et vitam venturi sæculi* cruce se signat, sicut in fine *Gloria,* verba ita distribuens, ut, cum dicit *Et vitam,* frontem et pectus tangat, cum dicit *venturi* humerum sinistrum, et cum pronuntiat *sæculi,* humerum dexterum tangat. Proferat autem hæc verba lente, ut omnia

---

[9]) Viden, quomodo accuratissime S. Alphonsus praxim Romanam afferat? *Martinucci* l. c. n. 56. enim scribit: „Ad *Et incarnatus . . . . factus est* manibus in altari extra corporale extensis, genuflexionem dextero tantum genu conficiet, quam lente quidem peraget, *non tamen ut genu in suppedaneo sistat.*“

In una Hispalen. n. 4549. ad 10. dubium propositum est: „An sacerdos genuflectere debeat utroque genu in Missis privatis ad verba *Et incarnatus est?*“ Et S. R. C. die 22. Aug. 1818. Resolut. dub respondit: „Genuflectendum esse unico genu.“

Hic breviter adnotamus decretum S. R. C. die 13. Junii 1671. in Angelopolitan. ad 4. n. 2542. quo præscribitur: Si accidat, ut sacerdos pergat ad celebrandum vel post Missam redeat ad sacrisfiam, dum a Choro cantatur *Et incarnatus est,* non tenetur genuflectere.

recte faciat. Ad vocem *Amen* manus jungere potest: sed si non jungit, non est defectus, quia non præscribitur a Rubrica. Tonnellius l. 1. t. 4. n. 2.[10])

8. *Credo* dicitur post Evangelium omnibus Dominicis,[11]) etiamsi officium fiat de Sancto, in cujus Missa, si in alium diem caderet, non diceretur. Præterea in omnibus festis Domini et B. Virginis Mariæ, Ss. Apostolorum et Evangelistarum, in festis Ss. Angelorum, uti S. Michaëlis, S. Gabrielis, S. Raphaëlis et Ss. Angelorum Custodum.[12]) In omnibus festis Doctorum, quæ ritu duplici celebrantur,[13]) in Dedicatione ecclesiæ, item in Consecratione ecclesiæ vel altaris, et in Octavis, sed non altaris, quia de Consecratione altaris non habetur Octava.

9. Dedicatio ecclesiæ cathedralis celebratur cum ritu primæ classis, tum in civitate, tum in diœcesi: sed octava in civitate tantum celebratur. Regulares celebrare debent sub ritu secundæ classis sine octava, ut præscribitur decreto S. R. C. de die 11. Februarii 1702.[14]) In

---

[10]) Rubrica l. c. n. 3. sonat: „Cum dicit: *Et vitam venturi sæculi Amen.* producit sibi manu dextera signum Crucis a fronte ad pectus," ex qua patet, manus non esse jungendas, uti etiam S. R. C. 12. Nov. 1831. in una Marsor. ad 30. declaravit. Vide adnotat. 6. cap. IV.

[11]) Non autem in Dominica anticipata nec in Missa Rogationum, si festum S. Marci in Dominicam cadat, nec in Missa votiva, quæ a sacerdote cæcutiente ex privilegio in Dominica celebratur.

[12]) In utroque festo S. Joseph, Sponsi B. M. V., similiter *Credo* dicendum est, uti S. R. C. die 22. April. 1871. in una Ratisbon. ad 1. n. 4584. declaravit: „Dicendum est Symbolum tum in festo natali S. Joseph, tum in alio ipsius Patrocinii, etiam in casu translationis extra Dominicam."

[13]) Hodiedum omnes Doctores sub ritu duplici celebrantur. Ad Rubricam Missalis tit. XI. De Symbolo additi sunt: S. Hilarius juxta dec. 29. Mart. 1851., S. Alphonsus Maria de Liguorio juxta litt. apost. Pii P. IX. 7. Julii 1871. et S. Franciscus Salesius juxta dec. 17. Nov. 1877. — S. M. Magdalena habet *Credo* ex Rubrica Missalis l. c., quia juxta Innocentium III. apud Gavantum, in resurrectione Domini fuit Apostolorum Apostola.

[14]) Hoc decretum legitur apud Gardellini n. 3617. in una Tarvisin. ad 2., ubi dicitur: „Tenentur (Moniales) recitare officium Dedicationis ecclesiæ sub ritu duplici II. classis sine octava." Nota tamen, regu-

festis titularibus ecclesiæ, id est Patroni loci vel Titularis, dicitur *Gloria* et *Credo.* Dictum est *ecclesiæ,* nam in festis titularibus alicujus capellæ vel altaris in Missis privatis non dicitur *Credo,* sed solum in solemnibus cantatis. In festo titulari Cathedralis *Credo* tantum dicitur, sed non habetur octava. Dicitur etiam *Credo* in omnibus octavis et festis Sanctorum, quæ infra octavam occurrunt, in ecclesiis (non extra illas), quæ habent aliquam insignem Reliquiam, uti *caput, brachium, crus, vel aliam partem corporis, in qua Sanctus martyrium pertulit: modo sit integra et non parva et legitime ab Ordinario approbata.*[15]) Dicitur etiam *Credo* die creationis et coronationis Papæ et in anniversario; sicut etiam die electionis et consecrationis Episcopi:[16]) et in festis principalibus Ordinum religiosorum et infra octavas, sed in propriis tantum Ecclesiis.[17]) Dici-

---

lares ad Dedicationem ecclesiæ cathedralis celebrandam tunc tantum teneri, si in civitate ipsa, aliisque locis ad aliquam civitatis parochiam pertinentibus morentur. Quod patet ex decreto generali die 1. Aprilis 1662. n. 2159., ubi S. R. C. declaravit: „Regulares in ipsa civitate degentes in posterum teneri ad celebrandum festum Dedicationis ecclesiæ cathedralis cum officio duplicis II. classis, non tamen cum octava."

[15]) Verba subsignata desumpta sunt ex decreto generali S. R. C. die 13. Jan. 1631. n. 892., ubi adhuc notatur: „Non potuisse, nec posse locorum ordinarios tam sæculares quam regulares addere Calendariis, etiam propriis, Sanctorum officia, nisi ea dumtaxat, quæ Breviarii Romani Rubricis vel S. R. C. seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur: neque propria auctoritate quovis prætextu mutare ritum, qui habetur in Calendario Romano seu Rubricis Breviarii, in altiorem ritum, neque extendere concessa officia de loco ad locum."

In festo Sacrarum Reliquiarum, quæ in ecclesiis asservantur, in solis ecclesiis diœceseos Missa celebranda est cum *Credo,* in quibus asservantur Reliquiæ insignes, in aliis vero sine *Credo.* S. R. C. die 11. Martii 1871. in una Cadurcensi n. 5473.

[16]) Hoc tamen intelligendum de Missa solemni anniversarii, non autem de Missis, in quibus tantum commemoratio dicti anniversarii fit. S. R. C. die 12. Sept. 1840. in Mechlin. ad 1. n. 4911.

[17]) Dicitur *Credo:* „In festis principalibus Ordinum et per eorum octavas, in ecclesiis tantum illius Ordinis." Rubr. l. c. — S. R. C. tamen die 18 Dec. 1779. in Ord. Min. S. Franc. ad 7. n. 4395. declaravit, regulares in casu symbolum addere posse, etiam quando celebrant in aliena ecclesia. Hoc tantum valet pro festis principalibus fundatorum

tur quoque in Missis solemnibus votivis *pro re gravi.*[18]) In aliis festis Sanctorum non dicitur *Credo* nisi in ecclesiis, quarum sunt Titulares aut Patroni.

CAPUT VII.

Ab Offertorio usque ad Canonem.

Dicto *Credo,* vel, si non sit dicendum, finito Evangelio, celebrans altare in medio osculatur et se ad populum vertit ad dicendum *Dominus vobiscum* modo supra notato. Deinde manus jungit et per eamdem viam in medium altaris redit, ubi manus extendens et usque ad humeros elevans,[1]) iterumque ante pectus conjungens et caput versus crucem inclinans dicit *Oremus.* Tum manibus ante pectus junctis dicit Offertorium, et tempore paschali addit unum *Alleluja.* Aliqui Offertorium submissa voce recitant, sed hoc videtur contra Rubricam, utpote quæ exprimat, quando quid voce submissa pronuntiandum sit.

2. Finito Offertorio calicem discooperit: apprehendens enim utraque manu veli extremitates ex parte anteriore, illud elevat, et versus posteriorem partem removet, et in eamdem partem posteriorem extra Corpo-

---

seu institutorum Ordinum, non autem aliorum Sanctorum Ordinis, etiamsi celebrentur sub ritu duplici 2. classis cum Octava. S. R. C. 12. Martii 1836. Dub. ad 3. n. 4772. et 22. Julii 1848. Dubior. ad 3. n. 5125. Novissime vero permissum est Benedictinis, ut usum retinere possent addendi Symbolum in festis Sanctorum Ordinis v. g. S. Mauri, S. Scholasticæ, S. Placidi et S. Gertrudis ratione ritus secundæ classis. S. R. C. die 17. Julii 1876. Sanctimon. Ord. S. Bened. Congr. Cassin. ad 5. n. 5672.

[18]) Rubrica Missalis l. c. dicit: „Item dicit *Credo* in Missis votivis, quæ solemniter pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa celebrantur, etiamsi dicantur in paramentis violaceis in Dominica."

[1]) S. Alphonsus hic sequitur *Meratum* p. II. tit. 7. n. 1., qui extensionem et simul elevationem manuum usque ad humeros vult; alii econtra negant, manus esse elevandas, quia Rubrica Missalis, quæ semper exacte indicat, quando manus sint elevandæ, talem elevationem non præscribit; dicit enim solummodo tit. 7. n. 1.: „extendens et jungens manus, caputque inclinans, dicit Oremus".

rale retrahit. Quod si minister non est clericus cotta indutus, illud ipse ita plicat,[2]) ut fimbriæ veli extra non prospiciant, ne, quum deinde pallam super illud deponit, hujus extremitates fimbriis veli adhæreant. Quod sic plicatum prope corporale ad cornu Epistolæ collocabit: numquam vero illud super corporali plicabit.

3. Velo plicato sacerdos sinistram super altare extra corporale ponit, dextera calicem ad nodum accipit eumque ad partem Epistolæ collocat, in ea circa distantia, quantum brachium extendere possit, ut cum pallam levat, eam commode super velum plicatum deponere possit. Deinde celebrans, stans adhuc in medio altaris, pallam de patena sumit eamque super velum ita deponit, ut ex una parte extremitas prostet, quo facilius accipi possit.

4. Notandum, in secunda et tertia Missa Nativitatis Domini, cum in calice sint reliquiæ Sanguinis, apponendam esse pallam super tobalea Altaris, in qua calix collocari possit: et potest apponi ipsa palla calicis, antequam dictus calix removeatur a corporali: aut etiam manu sinistra teneri potest.[3]) Et in his duabus Missis

---

[2]) Romæ velum semper a ministro Missæ plicatur, etiamsi non sit clericus. Conf. etiam *Martinucci* Man. Cærem. lib. 1. cap. 11. n. 13.

Ad quæsitum: „An in Missa privata, quando minister non est superpelliceo indutus, deceat eum, lecto Offertorio a celebrante, ad altare adscendere, accipere et plicare velum calicis, vel hic ritus reservari debeat ministris superpelliceo indutis, vel etiam celebrans ipse debeat plicare velum et super altare ponere?“ S. R. C. respondit: „Servandam consuetudinem.“ Die 12. Aug. 1854. in Lucionen. ad 69. (Anal. Jur. Pont. tom. II. pag. 2200.)

[3]) Hic secundus modus a S. Doctore indicatus Romæ practicatur, ubi usus apponendi pallam super tobalea plane nescitur. Audiamus *Meratum* p. IV. tit. 3. n. 9.: „Caveat sacerdos in Missa privata (secunda vel tertia), ne purificatorio extergat calicem, sed eum *intra corporale relinquens*, *leviter elevet*, ac proinde vinum eidem caute imponat, ne guttæ aliquæ ad labia ipsius calicis resiliant, quem deinde, nullatenus ab intus abstersum, more solito offert.“ Hæc sententia Merati probatur in instructione, quæ in Appendice Ritualis Romani nuper editi exhibetur pro sacerdote duas vel tres Missas in eadem ecclesia celebrante. — *Martinucci* lib. 1. cap. 20. n. 6. scribit: „Quod ad secundam et tertiam Missam spectat, lecto versu Offertorii, calicem deteget, removebit paululum de medio, relinquens ipsum a dex-

advertat sacerdos, ne calicem purificatorio purificet, cum vinum et aquam infundit.

5. Manu dextera inter pollicem, indicem et medium accipit patenam cum hostia, eamque usque ad pectus elevatam ambabus manibus, id est pollicibus et indicibus circum patenam dispositis, sustinet: aliis digitis extensis et infra patenam unitis ipsam sustentat. Eodem tempore oculos ad crucem elevat, statimque demittit, et voce submissa dicit: *Suscipe, sancte Pater* etc. Dicit Rubrica: *elevatis oculis et statim demissis:* sed illud *statim* moraliter intelligendum est, ita quidem, ut conveniat, dicendo: *Suscipe, sancte Pater, omnipotens æterne Deus,* oculos versus crucem elevare, eosque dicendo *hanc immaculatam Hostiam* etc. demittere.

6. Quando sacerdos plures particulas pro communione fidelium consecrare debet, ponantur, si paucæ sunt, quinque videlicet vel sex, super patenam sub hostia: et facta oblatione super corporale ex parte Evangelii collocentur, semper tamen super petram sacram in aliqua distantia a magna hostia. Si sunt multæ parti-

---

tris suis et hostiæ oblationem faciet. Veniet postea in cornu Epistolæ, et calicem detectum sinistra accipiet, vinum et aquam infundet, ut præscribitur, non vero deponet eum in altari, sed elevatum sinistra sustinebit."

Hic notare velimus, multis decretis esse prohibitum, ne in nocte Nativitatis Domini successive Missæ privatæ celebrentur vel Communio dispensetur. Sic in una Pisauren. die 20. Apr. 1641. n. 1319. quæritur: „An liceat in nocte Nativitatis Domini post cantatam primam Missam alias duas immediate celebrare et communicare fideles?" Et S. R. C. respondit: „Nullo modo licere, sed omnino prohibendum." Idem decretum pluribus aliis recentioribus confirmatum est. Vide ap. Gardell. decr. n. 1360.; n. 1391.; n. 2806.; n. 2969. et alia. Decreto n. 3105. in una Senen. die 23. Mart. 1686. ad 1. declaratum est, hac lege omnes, etiam regulares, ligari, nisi habeant privilegium in contrarium.

„Sacerdos, qui (in Nativitate Domini) unam tantum Missam celebrat, legat Missam, quæ respondeat circiter horæ juxta Rubricas peculiares ejusdem diei." S. R. C. 19. Junii 1875. in una Ord. Carthus. n. 5609. Sacerdos potest pro suo lubito in die Nativitatis Domini duas tantum Missas celebrare. S. R. C. 19. Junii 1875. in una Lucerina n. 5610.

culæ, ponantur in pyxide vel super corporale, ut dictum est:[4]) et si in pyxide afferuntur, hæc ponatur retro post calicem, et sacerdos, antequam accipiat patenam calicis, illam discooperiat, non tamen pyxidem a loco moveat, et in Offertorio intentionem suam etiam ad illam dirigat.[5])

7. Absoluto *Suscipe* faciat cum patena crucem unius palmi super corporale, ipsam patenam medium circa palmum supra corporale elevatam tenens. Deinde [in medio ipsius corporalis ex parte anteriore patenæ hostiam demittat], [6]) et patenam statim aliquantulum subtus corporale ex parte Epistolæ ponat eamque, postquam calicem purificaverit, purificatorio tegat. Dictum est *aliquantulum*, id est minus quam mediam partem, ita ut tempore suo facile eam extrahere possit. Si pyxis vel calix cum particulis adhibetur, pyxis proprio oper-

[4]) Conferatur adnotatio 25. cap. II.

[5]) Quando hostia major pro ostensorio consecranda est, ponitur in patena, et post oblationem super corporale lateraliter ante calicem, a sinistra scil. celebrantis e regione alterius hostiæ majoris, juxta communem usum. Cf. *Meratum* p. 2. tit. 14.; *Gardellini* Instr. Clement. §. 19. n. 2.; *Bauldry* p. 4. cap. 9. a. 2. n. 5.; *Martinucci* lib. 1. cap. 14. n. 271. Modus a quibusdam auctoribus allegatus, hostiam majorem oblatione facta ponendi inter calicem et hostiam sacrificii, practicabilis non esse videtur, quia periculum semper adest, ne hæc altera hostia cum inferiore parte patenæ tangatur, quando ista hostiæ sacrificii submittitur. — Si autem hostia in ostensorio ponenda in lunula difficile aptari possit, consecrari potest in ipsa lunula, supradicto loco super corporale posita.

[6]) Rubrica Missalis p. II. tit. 7. n. 3. sic habet: „Deponit Hostiam circa medium *anterioris partis corporalis* ante se, et patenam ad manum dexteram aliquantulum subtus corporale.“ Cum S. Alphonsus textum Rubricæ reddere intenderet, loco *ex parte anteriore patenæ* cum Rubrica legendum erit *anterioris partis corporalis*. — *Martinucci* lib. 1. c. 18. n. 60. monet, ne sacerdos hostiam versus seipsum super patenam effluere faciat ob periculum hostiam ab altari in terram dejiciendi, scribens: „Eamdem patenam flectet versus corporale ex ea parte, quæ spectat ad crucem altaris, ac solerter efficiet, ut hostia effluat super partem anteriorem corporalis, nempe fere ad primam ejus plicaturam.“ Et *Baldeschi* p. 1. art. 7. n. 55. docet: „Tunc flectit patenam versus superficiem altaris, ut hostia super medium anterioris partis corporalis solerter effluat.“

culo, remoto velamine, cooperiatur: calix vero patena vel palla tegatur.

8. Notandum, culpam venialem esse, hostias, quæ post Offertorium afferuntur, absque causa consecrare: si vero aliqua causa adest, v. gr. si alias persona, quæ communicare debet, communione privaretur, vel multum tempus exspectare deberet, vel si persona nobilis vel valde conspicua esset (quibus juxta Suarez et alios communionem etiam per partem hostiæ magnæ dare licet), tunc licite consecrantur, mentaliter oblatione suppleta: imo probabiliter hoc adhuc jam incepto Canone licet; vide Cardinalem Lambertini de Sacrif. Miss. l. 3. c. 18. n. 5. et Quarti, Possevinum, Gobat et alios.[7])

9. Facta deinde inclinatione versus crucem[8]) sacerdos manibus junctis ad cornu Epistolæ vadit; et manu sinistra calicem ad nodum accipiens, primo illum manu dextera purificat:[9]) deinde sinistra extremitatem purificatorii ad nodum calicis tenebit,[10]) alteram vero

---

[7]) „Si offerantur hostiæ parvæ, scribit S. Doctor, *Exam. Ordin. cap. 3. art. 3. §. 2.*, paulo post oblationem, licite consecrantur, mentaliter oblatione suppleta, Gavant., Tanner, Possev., Aversa etc. Idque probabiliter fieri potest etiam post canonem incœptum, ut ajunt Gobat, Quarti, Burghaber, Possev., Diana et Card. Lambertini (de Sacrif. Miss. lib. 3. cap. 18. n. 5.), saltem si aliter plures communione carerent; aut etiam (censeo) si communicaturus non posset exspectare, vel si persona gravis aut nobilis communionem petat, dum propter hujusmodi causas permittunt S. Antonin., Silvest., Bon., Sa, Barb., March., Possev., Gobat, Dicast. etc. dari posse etiam partem hostiæ magnæ, vel dividi hostias minores in plures particulas.“ (Vide Theol. moral. lib. 6. n. 217. v. IV.)

[8]) Rubrica Missalis p. II. tit. 7. n. 4. nihil habet de inclinatione versus crucem. Conf. adnot. 27. cap. II.

[9]) In una Tuden. n. 4526. dubium propositum est: „An in Missis privatis permitti possit ministro, si fuerit sacerdos vel diaconus sive subdiaconus, ut præparet calicem et ipsum extergat in fine post ablutiones, sicut in Missa solemni?“ Et S. R. C. die 7. Sept. 1816. ad 12. respondit: „Negative, et serventur Rubricæ.“

[10]) In eodem decreto modo citato n. 4526. ad 29. ad quæstionem: „An purificatorium poni debeat super pedem calicis, dum præparatur, vel potius super patenam?“ responsum est a S. R. C.: „Relinqui posse sacerdotis arbitrio.“

partem versus ampullas [11]) extendet, ne, si guttula aliqua deciderit, tobalea maculetur. Deinde tenens calicem parum pendentem vinum [12]) in quantitate convenienti, id est quantum uno haustu sumi potest, ex parte inclinata calici immittit. Vino immisso et ampulla ministro [13]) restituta, calicem eodem modo tenens, aquam benedicit, faciens signum crucis super ampullam aquæ (quæ benedictio in Missa defunctorum omittitur) et eodem tempore dicit: *Deus, qui humanæ substantiæ* etc., [14]) et parum aquæ [15]) naturalis calici immittens, prosequitur: *da nobis per hujus aquæ et vini mysterium* etc. Tunc ampullam ministro restituit, ca-

---

[11]) In una Jacobi de Chile n. 5367. dubia sequentia proponuntur: „I. An uti liceat in Missæ sacrificio ampullis aureis vel argenteis? Et quatenus negative: II. An consuetudo, quæ invaluit, prorsus improbanda sit in casu?“ S. R. C. die 28. Aprilis 1866. respondendum censuit: „Tolerandam esse consuetudinem.“

[12]) De *vino* tamquam materia sacrificii eucharistici vide S. Alphons. theol. mor. lib. 6. n. 206. et seq.

[13]) Minister tam porrigens quam recipiens ampullas osculetur, non autem manum celebrantis juxta Rubricam Missal. p. II. tit. 7. n. 4.

[14]) Oratio *Deus, qui humanæ substantiæ* incipienda est a sacerdote eodem momento, quo benedicit aquam; *non* vero prius aqua benedicatur nihil dicendo, atque tunc demum facto signo crucis illa oratio incipiatur. S. R. C. 12. Aug. 1854. in Lucion. ad 25. (Anal. Jur. Pont. tom. II. p. 2193.)

[15]) Ad præcavendum periculum, ne nimium aquæ vino admisceatur in Offertorio, in aliquibus ecclesiis septentrionalibus parvum *cochlear* adhibetur. Circa talem usum in una Baltimoren. die 6. Febr. 1858. ad 4. n. 5256. sequens dubium S. R. C. propositum est: „Dub. IV: Quum quæsitum esset, an parvi cochlearis pro aqua in calicem infundenda usus esset licitus, S. R. C. respondit anno 1850. die 7. Sept. „servandam esse Rubricam“. Quæritur, utrum hæc verba intelligenda sint eo sensu, ut usus cochlearis in prædicto casu omnino prohibeatur? Causa dubitandi est, quia Rubrica dum præcipit, ut paululum aquæ infundatur in calicem, minime modum infundendi decernit.“ S. R. C. respondendum censuit: „Negative, seu usum parvi cochlearis non esse prohibitum.“ — Notat *Meratus* p. III. tit. 4. Rubr. 2. n. 6., monachos Carthusienses et ecclesias fere omnes in Germania optime uti parvo cochleari, ut tutius immittant parvam aquæ quantitatem in calicem.

licem erigit, purificatorium, quod inter digitos sinistræ ad nodum hæret, accipit, et juste indici adaptat, et calicem in ea parte, ubi vinum et aquam immisit, purificat. Si vero vinum stillando in fundum calicis infudit, tunc ipsum circum purificare oportet,[16]) usque eo, ubi vinum pertingit, et interea cum pausa verba, quæ post *divinitatis* sequuntur, profert, ut, cum dicit *Jesus Christus*, purificatio sit finita. Deinde calicem eadem sinistra prope corporale collocat,[17]) ut commode eum accipere possit. Cum dicit *Jesus Christus*, manus conjungere potest, et facit inclinationem versus crucem; prosequitur recitare reliqua verba, et interim in medium altaris pergere potest, et purificatorium super eam partem patenæ, quæ corporali non tegitur, ita deponit, ut ejus extremitates altare respiciant.[18]) Volunt aliqui, ut purificatorium deponatur manu sinistra; sed si deponitur, cum celebrans in medium procedit, deponi potest dextera: si vero deponit, antequam in medium pergat, commodior erit sinistra. Alii volunt, ut *Jesus Christus* in medio pronuntietur, ut ibi inclinationem faciat: quilibet faciat, uti magis ipsi commodum erit.

[16]) In una Tuden. n. 1526. quæsitum est: „An sacerdos debeat extergere purificatorio guttas vini adhærentes lateribus cuppæ calicis, quæ aliquando resiliunt dum præparatur ipsemet calix?“ Et S. R. C. respondit die 7. Sept. 1816. ad 28.: „Praxim extergendi calicem purificatorio magis congruere, et summopere laudabilem esse.“

Notare volumus, in secunda et tertia Missa Nativitatis Domini guttas non esse extergendas purificatorio; sed si forte quæ guttæ interioribus calicis lateribus adhæserint, cum leviter agitandum esse, ut istæ guttæ cum vino misceantur.

[17]) Etiam *Martinucci* lib. 1. cap. 18. n. 63. vult, calicem sinistra prope corporale collocari, dicens: „Sinistra admovebit calicem versus corporale, et purificatorium interea componens, veniet ad medium altaris.“

[18]) Conveniunt Rubricistæ, ut purificatorii extremitates respiciant altare, non vero celebrantem. Conf. *Meratum* p. II. tit. 7. n. 11., *Parone* La guida liturgica tom. II. n. 378., *De Herdt* tom. I. n. 228. etc.

10. Cum in medium altaris pervenerit, facta solita inclinatione versus crucem,[19]) sinistram super altare ponet, dextera vero calicem ad nodum accipiet, ita quidem, ut pollicem teneat in parte anteriore, alios vero digitos in parte posteriore. Tunc pedem calicis subtus extremitatibus digitorum longiorum manus sinistræ sustinebit: et sic in linea recta super locum, ubi postea deponendus erit, sublevatum tenens, et attendens, ne summitas calicis oculos excedat nec infra mentum veniat,[20]) orationem dicet: *Offerimus tibi Domine* etc., oculis per totam orationem ad crucem elevatis[21]) et cubitis magis versus pectus reclinatis.

11. Absoluta hac oratione (et non ante, sicut multi male faciunt) cum eodem calice recto crucem super corporale facit, ipsum utraque manu in eadem positione tenens, qua facta est oblatio. Crucem faciat, calice tribus aut quatuor digitis elevato a corporali, et non faciat per puncta, sed per lineas æquales unius circiter palmi: et poterit incipere ab extremitate corporalis usque ad hostiam, sed super hostiam calix non moveatur. Calicem retro post hostiam, in distantia alterius circiter hostiæ, sed supra petram sacram depositum, cooperit palla, manu sinistra super altare demissa, sicut semper faciendum erit, quando calix tegendus vel detegendus sit. Aliqui manum super pedem calicis ponunt, ne eum subvertant: sed his respondetur, cæremonias cum tranquillitate, non vero cum acceleratione peragendas esse, et tunc rationem timendi abesse.

12. Deinde manus junctas super altare ita ponet, ut digiti parvi extensi et aliis uniti (ut supra cap. IV. 1.

---

[19]) Hic Rubrica l. c. n. 5. similiter nullam capitis inclinationem præscribit, dicens: „Finita Oratione prædicta, accipit manu dextera calicem discoopertum; et stans ante medium altaris, ipsum ambabus manibus elevatum tenens.“

[20]) „Ita tamen“, scribit *Meratus* l. c. n. 13., „ut calicis cuppa non excedat oculos, neque sit infra os, seu infra mentum celebrantis, ad differentiam calicis consecrati, ut optime hoc loco notat Gavantus“.

[21]) Conferatur adnotatio 4. cap. VI.

dictum est) frontem ipsius altaris tangant, et mediocriter inclinatus secreto dicet: *In spiritu humilitatis* etc. Tum erectus oculos versus crucem elevat, et eodem tempore manus extendit et usque ad humeros in altum porrigit,[22]) statim oculos demittit, et manus ante pectus conjungens (sicut fit cum dicitur *Oremus* ante orationes) dicit: *Veni sanctificator* etc.,[23]) et cum dicit: *Bene-* † *dic,* signum crucis communiter super calicem et hostiam facit, sinistra super altare posita.[24])

13. Notandum 1., quod, cum dicitur: *Veni sanctificator* etc. ad vocem *Deus* non inclinatur caput, ut Meratus cum multis aliis docet, quia immediate post, cum a medio altaris discceditur, inclinatio facienda est: et, sicut Sarnelli scribit, hæc inclinatio convenienter fit

[22]) Rubrica p. II. tit. 7. n. 5. nihil habet de elevatione manuum, simpliciter dicens: „Postea erectus, elevans oculos, manusque expandens et statim jungens ante pectus"; sed in ordine Missæ hæc elevatio suppletur, ubi dicitur: „Erectus expandit manus, *easque in altum porrectas* jungens etc."; manus ergo sunt elevandæ. Nam S. R. C. in una Bergomen. die 21. Martii 1744. ad 5. n. 4153. ad quæstionem: „Cum in Missali ultra primam in principio detur et altera Rubrica in ordine et Canone Missæ et inter has videatur aliqua discrepantia præcipue in inclinationibus et manuum junctionibus, quæritur: quænam sequenda?" respondit: „Pari forma sequendas esse tum Rubricas generales, tum particulares Missalis Romani ad cæremonias in inclinationibus et manuum junctione rite peragendas."

[23]) Ex textu S. Alphonsi patet, verba: *Veni sanctificator* etc. infra actiones, non autem post eas dicenda esse; in quo concordat cum Rubrica Missalis l. c., quæ idem per tempus præsens indicat: „elevans oculos, manus expandens et statim jungens ante pectus . . . dicit". Hanc Rubricam clarius explicans scribit *Martinucci* l. c. n. 67.: „Erigens se manus disjunget, easque et oculos sublimes attollet, statimque et manus iterum jungens et oculos demittens, dicens **interea:** *Veni sanctificator.*"

[24]) *Carpo* Cærem. Episcop. p. 2. n. 10. scribit: „Ad singulas crucis lineas, quæ signo fiunt aut contactu, verba diligenter sunt distribuenda. Hinc syllabæ aut verba, quæ crucem in Missali depictam præcedunt, sunt pronuntiandæ dum prior linea recta efformatur: quæ autem sequuntur, dum linea transversa efficitur." Conf. cap. XVII. n. 19. ad 3., ubi S. Alphonsus inter defectus enumerat: „Cruces non dividere, ubi verba signum † habent."

ad: *Tuo sancto nomini præparatum.*[25]) Notandum 2., quod sacerdos, ut crucem super oblata bene formet, lineam rectam versus se ducere debet, sed lineam non deflectat super hostiam, et faciat eo modo, ut extremitas digiti parvi incipiat a medio calice et finiat extra hostiam: deinde lineam transversalem manu pariter extensa ducet, (non tamen digitis incurvatis, sicut præscripsit S. R. C. die 4. Augusti 1663.) in eodem situ, scilicet ante pallam inter calicem et hostiam,[26]): et in his crucibus, sicut in ceteris, non excedat mensuram pallæ. Quod si crux super calicem tantum facienda est, formetur ab una extremitate pallæ ad alteram. Notandum 3., quod semper, quotiescumque aliquid benedicendum est, manus conjungendæ sunt, uti patet ex Rubrica

---

[25]) Rubrica l. c. autem nullam inclinationem commemorat, solummodo præscribens: „Tum junctis ante pectus manibus, accedit ad cornu Epistolæ." *Martinucci* hanc Rubricam melius declarans, dicit: „Benedictis igitur oblatis . . . junctis manibus et *sine ulla reverentia* ad crucem, vadet in cornu Epistolæ." Vide decr. 12. Nov. 1831. in una Marsor. ad 28. n. 4669. et quod diximus in adnot. 27. cap. II.

[26]) Decretum hic citatum in collectione Gardelliniana sub num. 2241. in una Dalmat. ad 4. affertur, ubi quæritur: „An cruces, quæ fiunt super oblata a sacerdote, debeant fieri manu transversa, an vero manu recta in transversa parte crucis?" Et S. R. C. rescripsit: „Manu recta." *Baldeschi* ad p. I. cap. 1. art. 7. n. 61. in nota hic latine reddita sic habet: „Quotiescumque cruces super oblata formandæ sunt, regulariter manus ante pectus jungantur, et cum crux formatur, manus sit semper recta, digiti vero sint uniti juxta decretum S. R. C. die 24. Junii 1683. Notandum etiam, quod, si cruces sunt communes super hostiam et calicem, linea recta incipietur a media palla, et quin manus deprimatur, ducetur super hostiam, et linea transversa fiet inter calicem et hostiam extra pallam, sed in eadem altitudine primæ lineæ. Pariter advertendum est, quod cruces formandæ sunt largæ et longæ cum congrua correspondente extensione."

Subjungimus adhuc decretum a Baldeschi modo allegatum. Dubitatum fuit: „Utrum celebrans alios vel rem aliquam v. g. Oblata benedicens, debeat manum semper extensam tenere, aut manum inflectere. Rubrica enim de ritu celebrandi Missam cap. 3. n. 5. unicum tantum modum benedicendi præscribit." Et S. R. C. respondit: „In benedictionibus congruentiorem juxta Rubricas et Ritum videri modum benedicendi manu recta et digitis simul unitis et extensis." n. 3025. ad 6.

ad hunc locum: nisi alia manus impedita sit, sicut in benedictione aquæ: *Deus qui humanæ* etc. et in consecratione, cum hostia benedicitur.

14. Facto signo crucis, manus iterum conjunget, versus crucem se inclinabit,[27]) et manibus junctis ad cornu Epistolæ vadit, ubi extremitates quatuor digitorum, scilicet utriusque pollicis et indicis, lavat, duos digitos dexteræ super alteros duos sinistræ tenens, ut eodem tempore, quo aqua super digitos dexteræ infunditur, laventur etiam reliqui: et interim voce submissa dicet: *Lavabo* etc. Ad: *Gloria Patri* versus crucem se inclinat[28]) et tunc statim in medium altaris redit prosequendo *Sicut erat* etc. Volunt aliqui, posse sacerdotem, si manus absterserit, antequam psalmum finierit, in medio altaris dicere *Gloria Patri* ibique inclinationem facere: sed Meratus recte contradicit, hæc enim opinio Rubricæ non conformis esse mihi videtur. *Gloria Patri* prætermittitur in Missis defunctorum et in iis, quæ dicuntur a Dominica Passionis usque ad Sabbatum Sanctum exclusive: sed in votivis Passionis et Crucis, etiam dicto tempore, *Gloria* ad eundem Psalmum præscribitur.[29])

---

[27]) Vide adnotat. 25. huj. cap.

[28]) In una Tuden. n. 4526. ad 38. quæsitum est: „Utrum fieri debeat inclinatio capitis in fine Psalmi *Lavabo*, qui dicitur in Missa, idemque fieri in Officio divino sicut præscribitur in principio Missæ?“ Et S. R. C. die 7. Sept. 1816. respondit: „Congruere, ut fert praxis universalis præsertim Urbis.“

[29]) In textu italico S. Alphonsi legitur: „ma nelle votive della passione o della croce *fuori di detto tempo* il *Gloria* al suddetto salmo vi si richiede.“ Hic per errorem verba *fuori di detto tempo* irrepsisse videntur. Nam in cap. IV. n. 3. dicit S. Doctor: Il *Gloria Patri* nell' Introito si lascia solamente nelle messe de' morti, e di passione sino a pasca: si dice pero nelle messe de' santi, o votive.“ Quæ regula valet etiam pro *Gloria Patri* in fine Psalmi *Lavabo*: unde textum supra reformavimus, ut concordet cum priori cap. IV. n. 3. et cum gravissimis Auctoribus. Gavantus p. II. tit. 3. n. 6. lit. u. dicit, aliquos recentiores Hispanos docere, *Gloria Patri* cum Psalmo *Judica* et in fine Psalmi *Lavabo* omittendum esse in Missis votivis de Cruce et Passione tempore Passionis, sed ipse contradicit; etenim „vere (inquit)

15. Tum sacerdos manibus junctis in medium altaris redit et quum eo pervenerit, absque inclinatione versus crucem oculos elevat et demittit, et manibus junctis ac super altare positis, mediocriter inclinatus voce submissa dicit: *Suscipe sancta Trinitas* etc.,[30]) deinde osculatur altare in medio, manus iterum jungit et eo modo, quem dicendo: *Dominus vobiscum* observat, ad populum se vertit, sed aliquantulum subsistit,[31]) et

---

dispar est ratio: nam hæ votivæ sunt, hoc est non concordant cum officio de tempore: tum Missa de Cruce discordat etiam in colore paramentorum a tempore Passionis". Ad quæ notat *Meratus* p. II. tit. 3. n. 15.: „Optime decidit Gavantus, quod in omnibus Missis votivis de Passione et de Cruce, etiam tempore Passionis dicitur prælaudatus Psalmus *Judica me Deus* et *Gloria Patri* in Introitu et ad Psalmum *Lavabo*, quia non sunt Missæ de tempore, sed votivæ. Idem pariter docent Bissus, Vinitor, Turrinus in directorio sacrificantium p. 2. sect. 3. c. 1., ubi ex professo agitat hanc quæstionem, et satis docte nostri Gavanti sententiam pariter propugnat. Denique in eadem sententia versatur Hagerer in append. tit. I. de Missis votivis privatis §. 3., ubi allegat decretum S. R. C. sub die 10. Febr. 1647., quod tamen non reperitur in regestis S. Congregationis. Exstat quidem aliud decretum a S. R. C. die 31. Aug. 1669. in Tornacen. (ap. Gardellini sub n. 2492.), in quo sancitur: „Missa B. M. V. sub invocatione septem Dolorum feria VI. infra hebdomadam Passionis ab iis, qui gaudent hujusmodi indulto, debet recitari cum *Gloria* ad Introitum et cum Psalmo *Judica me Deus* ad Confessionem, sed sine *Gloria in excelsis*." Ex quo liquet, quod prædicta Missa tunc dicebatur in gradu Missæ votivæ, cum prohibita fuerit recitatio hymni *Gloria in excelsis*, et nihilominus præscriptum fuit, quod non omittatur recitatio Psalmi *Judica me Deus* ad Confessionem et *Gloria Patri* ad Introitum."

[30]) In una Ratisbon. die 25. Maji 1877. ad 3. n. 5694. quæsitum est: „In ordine Missæ post *Lavabo* in Oratione: *Suscipe, S. Trinitas* plures recentiores Rubricistæ graves dicunt, loco *in honorem B. Mariæ semper Virginis* esse legendum: *in honore B. M. semper V.* Estne horum sententia sequenda et correctio hoc in loco Missalis facienda?" Et S. R. C. respondit: „Legendum: *in honorem.*"

[31]) Rubrica Missalis l. c. n. 7. dicit: „Vertit se ad populum, et versus eum extendens et jungens manus, dicit voce aliquantulum elata: *Orate fratres* et secreto prosequens: *Ut meum* etc. perficit circulum, revertens, junctis manibus ante pectus, a manu dextera ad medium altaris." Item Cærem. Episc. lib. II. cap. 8. n. 66. — Recte ergo *Martinucci* l. c. n. 72. scribit: „Complebit circulum se convertens ad altare dextrorsum et interim continuabit secreto *ut meum ac vestrum sacrificium* quin unquam versus populum subsistat." Idem docent

manus extendens et iterum jungens voce mediocri dicit: *Orate fratres:* et prosequens voce submissa: *ut meum ac vestrum* etc., ad medium altaris revertitur, non a latere Epistolæ, sed Evangelii, integrum circulum perficiens: et reversus faciet inclinationem versus crucem,[32]) ut Meratus, Bissus, Hippolytus et Tonnellius volunt. Cum minister finierit *Suscipiat Dominus,*[33]) respondebit sacerdos voce submissa: *Amen.*

16. Deinde manus in altum extendit, et parum ad Missale conversus voce submissa Orationes secretas dicit, non proferens in principio *Oremus*: et quoad conclusiones observet, quod supra cap. V. n. 4. de Orationibus dictum est.[34]) In conclusione primæ Secretæ dicet *Amen:* et si hæc sola sit, pronuntiabit eam voce submissa: sed conclusionem *Per omnia sæcula sæculorum* dicet alta voce (si plures Orationes sint, idem faciet in fine ultimæ), manus extensas super altare extra corporale tenens; et sic eas tenebit usque dum dixerit *Dominus vobiscum.* Cum vero dicit: *Sursum corda,* manus usque ad pectus elevat, ita ut palma unius palmam alterius manus respiciat; digitorum vero extremitates sint unitæ et erectæ. Cum dicit: *Gratias agamus Domino*, illas paulo altius usque ad humeros ele-

---

Laboranti. *Baldeschi* et *De Herdt*, qui tom. I. n. 235. in nota dicit: „Not. 2°: Sacerdotem post dicta hæc duo verba *Orate fratres* immediate se vertere ad altare, et non exspectare, donec facie conversa ad populum absolverit orationem *ut meum* etc. sed hanc dicere et prosequi se vertendo et stando ante altare, uti Rubricæ præscribunt per hæc verba: *Secreto prosequens, ut meum* etc. *perficit circulum.*"

[32]) Rubrica Missalis l. c. nihil habet de inclinatione.

[33]) *Meratus* p. II. tit. 7. n. 33. dicit: (Minister) „non debet statim respondere (*Suscipiat* etc.) dicto *Orate fratres*, ut plerique faciunt; sed aliquantisper exspectare, quia prius sacerdos prosequi debet: *ut meum* . . . usque ad ultima verba: *Patrem omnipotentem.*"

[34]) *Martinucci* l. c. n. 75. adhuc adjicit: „His verbis *(in unitate Spiritus sancti Deus)* moram interponens, sinistra volvet signaculum Missalis ad Præfationem positam, extensa dextra intercea altari imposita. Aperto Missali ad Præfationem signatam, extensam etiam sinistram altari imponet."

vat[35]) et statim ante pectus jungit. Cum dicit: *Deo nostro,* oculos ad crucem elevat et statim inclinatione simplici, quæ maxima esse debet, ut mihi videtur,[36]) caput inclinat. Igitur ad *Domino* manus elevat et conjungit, ad *Deo* oculos elevat, et ad *nostro* inclinationem facit.

17. Postquam minister responderit: *Dignum et justum est,* iterum manus disjungit, et illas apertas tenens sicut in Orationibus prosequitur præfationem communem vel propriam juxta temporum diversitatem, et sic manet usque ad *Sanctus.* Advertendum, quod Clemens XIII. Papa anno 1759. præcepit, ut in omnibus Dominicis, quæ non habent propriam, Præfatio de SS. Trinitate dicatur.[37]) Dubitatum fuit, utrum in Dominicis in-

[35]) Juxta Rubricam Missalis tit. 7. n. 8. ad *Gratias agamus* manus non altius elevantur, sed tantum junguntur. Dicitur enim in Rubrica: „Cum dicit *Sursum corda*, elevat manus hinc inde extensas usque ad pectus: ita ut palma unius manus respiciat alteram. Cum dicit: *Gratias agamus Domino* jungit manus." Quem textum *Martinucci* l. c. n. 76., *Carpo* p. II. n. 43. et alii fere iisdem verbis referunt; *Baldeschi* p. I. art. 7. n. 67. autem addit: „quin (manus) magis elevet," et *De Herdt* tom. I. n. 237. scribit: (manus) „non magis expandendo nec elevando, sed linea recta jungit ante pectus". *Meratus* p. II. tit. 7. n. 28., quem S. Alphonsus hic sequitur, econtra docet: „Jungit manus, sed prius elevat eas usque ad humeros: Bissus et Gervasi; aliter operemur contra Rubricæ dispositionem, quæ in qualibet manuum elevatione præfigit pro termino humerorum altitudinem."

Attamen pace hujus præclari Auctoris dicendum: 1° Rubricam loqui non ad *Gratias agamus* de elevatione manuum, sed ad *Sursum corda;* hic vero requirit tantum earum conjunctionem; ergo *non iterum* manus altius elevandæ sunt. 2° Si autem juxta Rubricam in qualibet manuum elevatione pro termino altitudo humerorum præfigenda est, hanc Rubricæ dispositionem ad *Sursum corda* assecuti sumus. Quis enim non videt, Rubricam per verba: „elevat manus hinc inde extensas usque ad pectus" nil aliud præscribere, nisi quod tit. 5. n. 1. de manuum extensione ante pectus præcipit? Nonne est hæc manuum elevatio usque ad pectus revera extensio manuum ante pectus? In manuum extensione autem digitorum summitas humerorum altitudinem distantiamque non excedat, uti Rubrica docet; ergo per manuum elevationem ad *Sursum corda* satisfit Rubricæ, et non agimus contra Rubricam.

[36]) Juxta dicta sup. cap. IV. n. 5.

[37]) Conf. decr. gen. 3. Jan. 1759. n. 4275.; et Rubricam Missalis p. I. tit. 12. n. 5.

fra Octavam, vel in Dominicis Quadragesimæ vel temporis Paschalis Præfatio de illo Sancto dicenda sit, de quo fit Octava, an de Quadragesima etc.; sed consuetudo, quæ legem facit, tum Romæ tum in aliis locis vigens, declaravit, infra Octavam dicendam esse Præfationem de Octava, et in Dominicis Quadragesimæ et Paschatis de tempore Quadragesimali vel Paschali.[38])

18. Cum sacerdos ad *Sanctus* pervenerit, mediocriter se inclinabit et manus ante pectus conjunget, non tamen illis super altare innitetur, et voce mediocri dicet *Sanctus* etc.[39]) Ad verba *Benedictus qui venit* etc. se

---

[38]) Qualis præfatio in Dominicis vel infra Octavas vel tempore Quadragesimali vel Paschali sumenda sit, patet ex diversis S. R. C. decretis, quæ plane confirmant sententiam S. Alphonsi. In una Ord. Min. de Observ. die 18. Dec. 1779. ad 19. n. 4395. quæsitum est: „An in Dominicis quadragesimalibus et paschalibus debeat recitari Præfatio de tempore respectivo vel Præfatio Trinitatis?" Et S. R. C. respondit: „In Dominicis quadragesimalibus et paschalibus debet recitari Præfatio de tempore, non vero de Ss. Trinitate."

In una Einsidlen. 23. Julii 1736. ad 31. n. 4044. ad dubium propositum declaratum est: „Tempore Passionis, quando contingat fieri officium de infra octavam, unica cantari debet Missa de feria cum commemoratione diei infra octavam et Præfatione de octava, si habetur propria." Hoc decretum agit, ut recte notat *Pavone* tom. II. n. 200., de ecclesiis, quibus ex speciali privilegio in Quadragesima octavas celebrare permissum est, et clare monstrat, Præfationem propriam octavæ præferendam esse propriæ de tempore; nam omnes dies Octavæ reputantur uti dies festi: quodsi autem aliquod festum propriam Præfationem habet, hæc omnibus aliis præferenda est. — Ad hoc spectat decretum S. R. C. 17. Sept. 1853. in una Veron. ad 5. n. 5196., quo decisum est, tam in festo S. Marci, quam in triduo Rogationum in Missa Rogationum „legendam Præfationem octavæ, si ejusdem commemoratio locum habeat in Missa".

In una Varmien. 29. Novembr. 1755. ad 2. n. 4259. declaratum est, Præfationem de octava dicendam esse in festis I. classis, quamvis in eis nulla diei infra octavam fiat commemoratio.

[39]) Hic habet Rubrica Missalis l. c. tit. 7. n. 8.: „Ministro interim parvam campanulam pulsante." Bis Rubrica Missalis præscribit, ut campanula pulsetur, hic et in elevatione tum hostiæ tum calicis. In aliquibus regionibus nimis sæpe campanula pulsatur, videlicet ad Offertorium, ad Sanctus, paulo ante consecrationem, in consecratione, ante *Pater noster* (in Gallia) et ad *Domine non sum dignus* (uti in Germania, Austria, et quasi generaliter extra Italiam). De qua re

erigat et cruce se signet, sinistram infra pectus tenens, et eodem vocis tono prosequens. Poterit autem verba ita distribuere, ut ad vocem *Benedictus* frontem, cum dicit *qui venit* pectus, ad verba *in nomine Domini* humerum sinistrum, et cum dicit *Hosanna in excelsis* humerum dexterum tangat. Volunt aliqui, ut hic sacerdos manus conjungat, alii negant, cum non sit præscriptum a Rubrica: sed mihi videntur esse conjungendæ, quia Rubrica ante *Te igitur* dicit *extendens manus;* unde supponit, manus antea conjungendas esse.[40])

---

sequens dubium S. R. C. propositum est: „In istis ecclesiis Peruvianis est communis consuetudo pulsandi campanulam a ministro in Missa non solum ad verba *Sanctus* etc. et in elevatione Sanctissimi, sed etiam ad verba *Domine non sum dignus* ante sumptionem, et quoties administratur Communio fidelibus ad prædicta verba: utrum toleranda sit ista consuetudo et sequenda in nostris ecclesiis?" Et S. R. C. die 14. Maji 1856. Ord. Min. de Observ. ad 9. n. 5224. respondit: „Tolerari posse." — In Missis, quæ celebrantur, cum Ss. Sacramentum publicæ venerationi expositum est, non pulsatur campanula: sic Clemens XI. in Instructione pro Oratione XL Horarum §. 16. præscripsit; et sic Romæ in omni expositione servatur: quæ Instructio, etsi pulcherrima, non tamen ubique obligat.

Notamus aliud decretum S. R. C. die 1. Martii 1681. Ord. Can. Regul. Lateran. ad 9. n. 2493.: „An in processionibus candelarum, palmarum et similium, quæ fiunt per ecclesias sine Ss. Sacramento, si occurrat transire ante altare, ubi occasione Missæ fiat elevatio Ss. Corporis Christi, genuflectendum sit, et an ibi morandum, donec depositus fuerit calix etc.?" Et S. R. C. respondit: „Non pulsandam campanulam, quod si pulsetur et advertatur elevatio v. g. Corporis Christi, tunc genuflectendum, utroque genu a transeuntibus ante altare, ubi Missa celebratur; et deposito Sacramento progrediendum; similiter si alii transeant in elevatione calicis."

[40]) Sicut supra (Cf. cap. IV. adnot. 6. et cap. VI. adnot. 10.) ad finem *Gloria* et *Credo* adnotavimus, S. R. C. in una Marsor. 12. Nov. 1831. ad 30. n. 4669. etiam quoad manuum conjunctionem in fine *Sanctus* declaravit: „Serventur Rubricæ", nihil scilicet præscribentes: unde patet, manus non esse conjungendas.

Attamen seclusa hac decisione S. Doctor hic non immerito requirit junctionem manuum ante actiones ad *Te igitur* præscriptas, quia in Rubrica ante Canonem Missæ expresse dicitur: „Sacerdos *extendens*, elevans et jungens manus." Extensio autem manuum juxta S. Alphonsum, uti etiam ex Rubricis generalibus p. II. tit. 4. n. 3. et tit. 5. n. 1. erui potest, conjunctionem earum supponit; manus enim

CAPUT VIII.

A Canone Missæ usque ad Consecrationem.

Post Præfationem sacerdos stans in medio altaris statim manus usque ad humeros extendit, oculos versus crucem elevat, statimque manus et oculos demittit et profunde ante altare inclinatus, manibus juxta solitum super eo positis, dicit voce submissa *Te igitur* etc. Et hic notandum, integrum Canonem dicendum esse voce submissa, exceptis iis, quæ ex Rubricæ præcepto alta voce dicenda sunt. Gavantus cum aliis vult, eodem tempore, quo prædictæ actiones fiunt, nempe cum manus extenduntur, supra citata verba: *Te igitur* dicenda esse, quia (ait) non possunt actiones fieri sine verbis. Sed in hoc Meratus contra solitum ab opinione Gavanti recedit, et cum multis aliis recte et clare demonstrat, velle Rubricam, ut Canon incipiatur, postquam manus super altare positæ fuerint, nec alio sensu posse explicari: et adducit plures actiones, ut genuflexiones, elevationem hostiæ et calicis etc., quæ fiunt absque verbis.[1])

2. Dicta voce *petimus,* osculatur altare, et deinde erectus manus jungit et dicit *uti accepta habeas et benedicas:* ac statim manu sinistra extra corporale super altare posita, dextera ter crucem super calicem et hostiam facit, dicens: *Hæc † dona, hæc † munera,*

extendi non possunt, nisi prævie jungantur. — Ut vero sacerdos tum decreto modo citato tum Rubricæ Canonis satisfacere possit, post signum crucis imponat de more dexteram altari, sinistra aperiat ad signaculum folium Canonis; et tunc jungat manus et faciat actiones ad *Te igitur* præscriptas; et ita utrumque præscriptum implebit.

[1]) Et juxta sententiam S. Alphonsi decisum est a S. R. C. die 7. Sept. 1816. in una Tuden. ad 33. n. 4526. Dubium enim propositum est: „An sacerdos dicere debeat *Te igitur* in principio Canonis, dum elevat manus et oculos, vel incipere debeat, dum est jam in profundo inclinatus?“ Et responsum est: „Servanda Rubrica de ritu servando in celebratione Missæ“ tit. 8. n. 1. et altera Canoni præfixa.“

hæc † sancta sacrificia illibata. Quomodo hæ cruces formandæ sint, capite præcedenti ad n. 13. dictum est. Deinde manibus sicut in Præfatione extensis, prosequitur voce submissa: *In primis, quæ tibi offerimus.* Ad verba *Papa nostro N.* enuntietur nomen Papæ viventis et fit inclinatio simplex minima versus Missale:[2]) et ad verba: *Antistite nostro N.* nominetur episcopus loci, in quo celebratur, absque inclinatione. Quodsi Celebrans nomen episcopi nesciat, dicat tantum *Antistite nostro*, mente episcopum istius loci intendens. Si locus est nullius diœcesis, faciat sicut sede episcopali vacante quo tempore illa verba: *Et pro Antistite nostro N.* omittenda sunt; nam Ecclesia nullius diœcesis assimilatur sedi vacanti, quia non habet episcopum, qui ipsam gubernet. Si vero Sedes Apostolica vacat, omittuntur illa verba: *Pro famulo tuo Papa nostro N.*[3])

---

[2]) In una Tuden. 23. Maji 1846. ad 6. n. 5050. quæsitum est: „An omnes sacerdotes celebrantes, dum in Canone Missæ Papam nominant, debeant caput inclinare, prout Rubrica faciendum præscribit, quum in Oratione nominetur?“ Et S. R. C. respondit: „Affirmative juxta Rubricam.“

[3]) Rubrica Missalis p. II. tit. 8. n. 2. præscribit: (non exprimitur nomen) „alterius Superioris, etiamsi celebrans sit omnino exemptus, vel sub alterius episcopi jurisdictione“. Quæ Rubrica variis S. R. C. decisionibus roboratur. Sic in decreto de die 12. Nov. 1605. in una Ulixbon. n. 283. legitur: „Nihil omnino mutandum, adimendum vel addendum per quoscumque clericos vel presbyteros sæculares, vel per fratres, monachos aut cujusvis ordinis regulares ex his, quæ in Missali ordinario tam in Rubricis, quam in nigro præscribuntur, et multo minus in Canone, S. R. C. respondit. Qui secus fecerint temeritatis notam incurrere et animadversione dignos esse censuit, et eos religiosos, qui Antistitis nomine tacito ejus loco in precibus sive in Canone suæ religionis Superiorem nominant, contra caritatem facere declaravit.“

Iterum in decreto ad Missale die 13. Febr. 1666. ad 11. n. 2363. dicitur: „In Canone nomine Antistitis non sunt nominandi Superiores regularium.“ Confer decr. n. 3208. in una Galliarum die 8. Aprilis 1690. ad 1.

In una Hispalen. die 19. Januar. 1743. n. 4135. declaratur, Episcopum in Canone Missæ nominandum, licet sacris ordinibus destitutus sit, si modo possessionem diœcesis ceperit. — Econtra nomen

3. Cum dicit *Memento* etc. manus elevat et conjungit, ita ut digitorum extremitates usque ad os perveniant;[4]) nec dimittet eas ante pectus, sed sic elevatas et conjunctas tenens capite parum inclinato paulisper stat in quiete. Pro majore mentis recollectione oculos claudere potest: sed qui illos demitteret, magis concordaret sententiæ Auctorum præ ceteris classicorum,

---

Administratoris diœcesis, etsi dignitate episcopali foret insignitus, in Canone non debet memorari. S. R. C. 22. Augusti 1722. Sarsinaten. ad 5. n. 3952.

In una Congreg. Oratorii 4. Julii 1879. Dub. 2. quæritur: „An Episcopi nomen dicendum sit in Canone Missæ et in aliis liturgicis Orationibus a die notitiæ, etiamsi non officialiter habitæ, electionis ejusdem in Consistorio, vel a die captæ possessionis ecclesiæ, cui a Summo Pontifice præpositus fuit?“ Et S. R. C. respondit: „A die captæ possessionis vel per episcopum ipsum, vel per suum procuratorem.“ (ap. Acta S. Sedis tom. XII. pag. 96.)

In fine Rubricæ Missalis supra citatæ additur: „Prædicta verba *(Et Antistite nostro N.)* omittuntur ab iis, qui Romæ celebrant. Si celebrans est Episcopus, Archiepiscopus vel Patriarcha, omissis prædictis verbis eorum loco dicit: *Et me indigno servo tuo.* Summus autem Pontifex cum celebrat, omissis verbis: *Una cum famulo tuo Papa nostro N. et Antistite nostro N.* dicit: *Una cum me indigno famulo tuo, quem gregi tuo præesse voluisti.*“

Si sacerdos in aliena diœcesi celebrat, et ignorat vel non meminit episcopi diœcesis illius nominis, debet simpliciter dicere: *et Antistite nostro,* absque ulla nominis expressione, mentaliter intelligendo episcopum sic nominare loci, in quo celebrat. *Cavalieri* tom. 5. c. 16. n. 21. *Merat.* p. 2. tit. 8. n. 5.

„In prædicto Canonis loco non est addendum nomen ullius principis sæcularis,“ scribit *Meratus* l. c. n. 6.; „ad præcavendos abusus, qui irrepere possent nominando in Canone aliquem minus dignum contra majestatem tanti sacrificii in hac parte Missæ: nisi militet aliquod privilegium apostolicum“. Tali privilegio Imperatores Romani, reges Hispaniæ et Galliæ fruebantur; hodie solus Imperator Austriæ eodem gaudere videtur.

[1]) Recte S. Alphonsus vult, digitorum extremitates *usque ad os* pervenire; non autem manus admovendæ sunt ori, ut nonnulli non satis decenter faciunt, uti *Lohner* p. VI. n. 3. scribit. Juxta Rubricam l. c. n. 3. liberum est sacerdoti manus elevare et jungere *usque ad faciem vel pectus.* Hæc elevatio et conjunctio manuum cum mora fieri debet. Ad verbum *Memento* nempe incipit sacerdos elevare manus et ad *tuarum* eas jungit. Quod patet ex particulari Rubrica Canonis, quæ præscribit, post ly *tuarum:* „Jungit manus.“

quos adducit Meratus. Et oculos sic demissos vel clausos teneat usque ad *Et omnium circumstantium.* Litteræ N. N. notatæ in Canone serviunt ad exprimenda omnia nomina eorum, pro quibus orare vult. Antiquitus utebantur tabulis, quæ habebant duas plicaturas et dicebantur *dyptica:* et in his notabantur nomina eorum, pro quibus orationes instituendæ erant. Advertendum, *Memento* melius jam ante Missam fieri, ne circumstantibus tædium oriatur.[5]) Dicto modo stans celebrans mentionem faciet omnium christianorum vivorum secundum suam piam voluntatem. Notandum cum Merato, Gavanto et Tonnellio, quod in hac oratione, cum sit privata, etiam excommunicati, hæretici et infideles commendari possunt.

4. Pro majore commoditate sacerdotis placet hic formulam illius *Memento* subjungere, quam Cardinalis Bona in suo tractatu de *Sacrificio Missæ* Cap. IV. §. 6. tit. *Directio intentionis ante Missam* habet, ubi dicit: „Et quia hoc sacrificium vim impetratoriam infinitam habet, offero illud pro meis et omnium viventium ac defunctorum necessitatibus; et primo quidem fructum, quem possum et debeo, illi principaliter applico, pro quo celebrare intendo; et si forte contingat, eum non indigere, vel non esse capacem, opto et volo hunc fructum ad N. derivari, cum applicatione indulgentiarum mihi vel tali defuncto. Secundario autem sine ejus præjudicio, pro quo offerre primario teneor vel intendo, offero pro omnibus mihi peculiariter commendatis, pro N. N. pro tali gratia obtinenda, et pro cunctis viventibus atque defunctis, pro quibus me indignum famulum tuum legatione apud te fungi voluisti,

---

[5]) Rubrica ipsa l. c. n. 3. dicit: „Potest etiam celebrans, si pro pluribus orare intendit, ne circumstantibus sit morosus, ante Missam in animo proponere sibi omnes illos tam vivos quam defunctos, pro quibus in ipsa Missa orare intendit, et hoc loco generaliter unico contextu ipsorum vivorum commemorationem agere, pro quibus ante Missam orare proposuit in Missa."

ut defunctis requiem indulgeas vivisque gratiam concedas tibi serviendi, et in amore tuo usque in finem perseverandi. Amen."

5. Idem Auctor cap. V. §. 8. dicit: „Ut omnium recordari possis, pro quibus recordari debes et orare, postquam dixisti *Memento Domine famulorum famularumque tuarum:* ut ipsæ preces vim habeant efficaciorem, multum proderit cum Christi Domini cruciatibus illas sociare, hunc fere in modum: 1. pro te ipso orabis per *sanguinem* pro nobis effusum, ut per illum expieris a peccatis, et eas virtutes obtineas, quæ tibi maxime sunt necessariæ et finalem perseverantiam. 2. Per *latus transfixum* Ecclesiam commendabis, quæ ex eo orta est. 3. Per *caput* spinis coronatum summum Pontificem, omnesque principes et antistites. 4. Per *vulnus dextere manus,* amicos, consanguineos et benefactores. 5. Per *vulnus sinistræ* omnes, qui te oderunt, vel aliqua molestia aut scandalo affecerunt. 6. Per *dexterum pedem transforatum* personas et negotia a superioribus commendata. 7. Per *sinistrum* omnes, qui sunt in peccato mortali, ut in dexteram partem transferantur. 8. Per *flagella, sputa et alapas* ethnicos, hæreticos ceterosque infideles, qui Deum contumeliis afficiunt. 9. Per *crucifixionem* religiosos omnium ordinum, ut crucem voluntariæ asperitatis libenter ferant. 10. Per *sitim* eos omnes, qui tuas preces expetunt. 11. Per *angorem,* quem in horto pati voluit, omnes, qui in aliqua calamitate, periculo, necessitate, tentatione aut molestia versantur. 12. Per *mortem et sepulturam* justos omnes, ut cum ipso sepulti semper in justitia perseverent. Speciatim vero pro illis orabis, quorum te Deus meminisse vult et tu nescis: pro his, quos Deus maxime diligit, licet eorum numerum et nomina ignores: id enim gratissimum illi est etc."

6. Finita commemoratione vivorum et facta applicatione fructus specialis sacerdos manus extendit et demittit ante pectus ac dicere prosequitur: *et omnium*

circumstantium usque ad verba *Per eumdem* etc.[6]) Cum *communicantes* dicit, ad nomen *Mariæ*[7]) simplicem *mediam* inclinationem versus librum faciet, aliamque simplicem *maximam* ad nomen *Jesu* versus Crucem: et etiam ad nomen *Sancti*, cujus festum celebratur, si in Canone nominatur, fit inclinatio *minima* versus Missale.[8])

7. Notandum, quod in Octavis, quæ propriam habent *Communicantes* et *Hanc igitur oblationem*, si forte quædam Missa votiva pro re gravi dicenda est, quæ habet propriam Præfationem, sicut si in Octava Paschatis dicenda sit Missa de Spiritu sancto vel de Beata Virgine, *Communicantes* et *Hanc igitur* sumenda sunt de Octava.[9]) Sic etiam, si in Octava Adscensionis

---

[6]) „In conclusione, quando dicit: *Per eumdem* jungit manus." Rubrica l. c. n. 4.

[7]) *Tonnellius* Sacr. Enchir. lib. II. tit. 8. r. 4. not. 1. notat: „Inclinat sacerdos caput ad nomen Mariæ, nec erigit se, sed paulatim profundius inclinat, donec nominaverit nomen Jesu."

[8]) In una Tuden. die 7. Sept. 1816. ad 34. n. 4526. propositum est dubium: „An debeat sacerdos pronuntians in Canone Missæ nomen alicujus Sancti, de quo factum est officium vel saltem commemoratio, facere inclinationem capitis?" Et S. R. C. respondere censuit: „Affirmative."

Item in una Panormitan. die 12. Apriл. 1823. ad XIII. n. 4594. quæritur: „Legitur in Rubrica generali Missalis de ritu servando in celebratione Missæ §. V. *de Oratione una.* 2.: cum nominatur . . . caput inclinat; et similiter ubicumque nominatur nomen B. M., vel Sanctorum de quibus dicitur Missa, vel fit commemoratio. Quando infra octavam Sanctorum, qui nominantur in Canone, occurrat festum primæ vel secundæ classis, de dictis Sanctis non fit commemoratio, Posita Rubrica, requiritur: An in festo Sanctorum, qui nominantur in Canone, si sint rit. semidupl. et Missa dicitur *de Requiem*, inclinandum sit caput, quando in Canone nominantur dicti Sancti?" Et S. R. C. respondit: „In Missa *de Requiem*, Negative." Hic adnotator ad collectionem Gardellinianam subjungit: „Missa defunctorum, sive ut dicitur *de Requiem*, nihil habet commune cum Officio dici; ideo si celebretur dum licet infra octavam alicujus Sancti, qui in Canone habet locum, non est a sacerdote caput inclinandum, dum ejusdem nomen in Canone occurrit."

[9]) Ita decisum est in una Granaten. die 16. Junii 1663. ad 3. n. 2223., ubi quæritur: „Si aliqua urgenti causa celebranda sit Missa votiva infra octavam, et hæc Missa habeat propriam Præfationem, an recitari debeat propria vel de infra octavam, ac etiam cum *Commu-*

celebretur festum Ss. Apostolorum Philippi et Jacobi, Præfatio erit de Apostolis et Communicantes de Ascensione, uti declaravit S. R. C. decreto de die 7. Augusti 1627.[10])

8. Cum dicit *Hanc igitur oblationem* etc., utramque manum super calicem et hostiam extendet, ita ut palmæ apertæ sint super calicem et hostiam. Faciat, ut digitorum extremitates usque ad mediam pallam perveniant, non tamen illam tangant: pollices vero in formam crucis dispositi sint, scilicet dexter super sinistrum, ut patet ex decreto S. R. C. die 4. Augusti 1663.[11]) Caveat etiam, ne cubitos in altum elevatos, sed corpori prope pectus adjacentes teneat: et sic maneat usque ad *Per Dominum* etc.; cum enim hanc conclusionem dicit, manus iterum conjungit et prosequitur: *Quam oblationem.* Dicto *quæsumus,* sacerdos manum sinistram super altare extra corporale ponit et dextera tres cruces communes super calicem ac hostiam facit, dicens: *Bene- † dictam, adscri † ptam, ra † tam* etc., eodem modo, quo cap. VII. præcedenti n. 13. dictum est. Deinde aliam crucem super hostiam faciet, dicens: *Ut nobis Cor- † pus:* quod signum faciens manum super hostiam non demittit, ut advertit Meratus, cum sufficiat, ut manum aliquantulum versus se retrahat, et sic linea transversa super hostiam cadat. Tunc aliam crucem super

---

nicantes infra ipsam octavam?" Et S. R. C. respondit: „Præfatio de Missa votiva, dum propriam habeat; *Communicantes* de die infra octavam, quia est proprium de illo tempore infra octavam."

[10]) Decretum a S. Alphonso hic citatum legitur apud Gardellini in una Urbis sub num. 707. ad 2. et est hujus tenoris: „An occurrente infra octavam Ascensionis Domini festo Ss. Philippi et Jacobi, seu Inventionis S. Crucis, quæ habent propriam Præfationem, et non admittunt commemorationem prædictæ octavæ, sit dicendum in Missa *Communicantes* de Ascensione?" Et S. R. C. censuit: „Esse dicendum."

[11]) Quod decretum habetur ap. Gardell. in una Dalmatar. n. 2241. ad 5.: „An manus sacerdotis ad *Hanc igitur oblationem* debeant ita extendi, ut palmæ sint apertæ, pollice dextero super sinistrum in modum crucis supra manus, an vero infra manus?" Et S. R. C. respondit: „Supra manus."

calicem faciet, dicens *San † guis.* Hæ duæ cruces super hostiam et calicem breviores sint oportet quam communes. Cum Rubrica monstret, crucem ad vocem *ratam* in medio hujus verbi faciendam esse, aliquod inconveniens evenire videtur, scilicet moram aliquam interponendam esse, usque dum alia crux super hostiam ad vocem *Corpus* formanda est: et inde ortæ sunt diversæ opiniones. Ego eam tantum opinionem hic refero, quæ mihi placet, et est quod facta cruce ad vocem *ra † tam* manus dextera lente se moveat versus hostiam, ut, cum crucem super hostiam formare incipit, alia verba, quæ post *ratam* sequuntur, jam sint finita. Si vero sacerdos sit lentus in pronuntiando, tunc dicit Turrinus cum aliis apud Merati,[12]) quod dexteram super altare ponere debet; nam est regula inviolabilis Rubricæ, manum numquam in aëre suspensam esse tenendam.

9. Factis quinque crucibus modo jam dicto sacerdos manus elevans et jungens ante pectus prosequitur *fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi,* et cum dicit *Jesu Christi* caput versus crucem inclinat. Ad verba: *Qui pridie quam pateretur,* absterget digitos, scilicet pollices et indices utriusque manus, in extremitate corporalis, non vero in medio, ubi hostia consecrata reponenda erit: et interea indice et pollice manus dexteræ hostiam accipiet, dicens *accepit panem* etc. Ut hostiam facilius accipere possit, juvabit indice sinistræ oram hostiæ premere; et cum dicit *in sanctas ac venerabiles manus suas,* accipiet eam etiam pollice et indice manus sinistræ, alios vero

[12]) In editione italica legitur: „Ma se il sacerdote fosse tardo di pronunzia, allora dice *Merati* con altri.“ Quod error typographicus videtur esse. *Meratus* p. II. tit. 8. n. 16. enim opinionem defendit, quæ dicit, manus post *ratam* esse conjungendas, et concludit: „eorum potius corrigendus est error, qui nulla ducti ratione vel dexteram super altare deponunt, vel sine interruptione quinque prædictas cruces efformant.“ Sententia, quæ dexteram super altare ponendam esse asserit, a *Turrino* p. 2. sect. 3. cap. 4. tenetur, et a Merato tantum citatur; ideoque supra textus est correctus.

digitos extendet et conjunget simul. Advertat celebrans, ut hostiam erectam, non vero jacentem teneat, sicut ipse corpore recto in medio altaris stabit.

10. Ad verba *et elevatis oculis in cælum*, oculos ad crucem elevat, eosque, ut Bauldry[13]) vult, elevatos tenet, usque dum omnia alia verba *ad te Deum Patrem suum omnipotentem* dixerit: tunc statim eos demittet et caput inclinans[14]) dicet *tibi gratias agens*: et super hostiam, quam, ut dictum est, inter pollices et indices aliquantulum elevatam in medio corporalis tenet, dextera crucem facit, dicens *benе* † *dixit*. Si pyxis retro post calicem adsit, eam, antequam incipiat *Qui pridie*, id est antequam digitos super corporale abstergat, ad latus calicis adtrahat et discooperiat. Postquam dixerit verba *deditque discipulis suis*[15]) sacerdos cubitis decenter super altare positis, non tamen corporale manibus tangens, pedibus unitis et æqualiter dispositis, capite[16]) et humeris mediocriter inclinatis, distincte et cum reverentia secreto absque elevatione vocis (*profert secreto*, dicit Rubrica) profert verba quasi spirando (a fiato), ita ut a circumstantibus non audiatur, dicens *Hoc est* etc. Sacerdos, cum hostiam consecrat, attendat, ne ullum motum capitis vel oris faciat, ne formam cum quadam vehementia proferat, ne hostiam ori vel os hostiæ nimis admoveat: verba autem consecra-

---

[13]) P. 3. cap. 6. De elevatione oculorum. — Idem dicit *De Herdt* tom. 1. n. 247.

[14]) Inclinatione minimarum maxima: quia, ut dicit *Merati* l. c. n. 19. plura proferuntur verba, quæ hanc inclinationem merentur.

[15]) Rubrica vero l. c. n. 5. præscribit: „Cum autem *finierit* supradicta verba (i. e. *benedixit . . . . ex hoc omnes*) cubitis super altare positis, stans capite inclinato, distincte, reverenter et secreto profert verba consecrationis."

[16]) *Lohner* p. 6. tit. 8. Rub. 5. lit. t. adnotat:. „Cum in hoc loco nonnullis Rubricæ sibi repugnare videantur, dum cubitos super altare poni, et caput tantum inclinari præcipiunt, quod, nisi altare valde altum sit, fieri vix potest, ideo cubitos non integros ad modum usque, sed medios altari imponere, ita ut capitis inclinatio sola facilius observari possit."

tionis distincte pronuntiet, non interponens morulam inter unam et alteram vocem.

11. Absolutis verbis consecrationis hostiæ sacerdos, eamdem hostiam consecratam inter indices et pollices tenens, aliis digitis simul unitis et extensis, manibusque pariter stricte unitis, cubitos extra altare retrahet, ita ut manus solum usque ad juncturas in extremitate corporalis super altare positæ maneant: tunc genu dexterum tantum flectet absque inclinatione capitis; bene enim advertendum, quod cum genuflexio fit, caput non est inclinandum, ut aliqui male agunt. Hæc genuflexio cum majore reverentia fiat oportet, ideoque cum aliquali morula: [17]) et idem in adoratione calicis observandum est. Facta hac prima adoratione, manus unitas et digitos extensos tenens, hostiam perpendiculariter super ipsum locum corporalis et paulo altius quam caput, elevat, ita ut pulsus usque ad altitudinem oculorum pertingant, quin hostiam super caput moveat, sed ita

---

[17]) Non conveniunt Auctores, an genuflexio facienda sit cum morula (pausa). *Meratus* p. II. tit. 8. n. 21. dicit: „Genuflexio debet fieri cum majori reverentia et ideo cum aliqua morula: Bissus et Bauldry.“ Sed *Bauldry* p. III. cap. 5. n. 12. scribit tantum: „Cum majori reverentia genuflectat.“ *Gavantus* tit. 8. Rubr. 5. lit. d. ad verbum *Adorat*: „Unico genu, ut *statim* et facilius resurgere possit, quod et in sequentibus observa.“ *Baldeschi* p. I. cap. 1. art. 8. n. 81.: „Adorata hostia consecrata, *subito* assurgit.“ *P. Pavone* (Guida liturgica tom. II. n. 368.) hæc habet in Latinum transversa: „Eodem verbo laudati Merati *nihil imperatur a Rubrica* ipsa ejus opinio confutatur, a celebrante genuflexiones post hostiæ et calicis consecrationem faciendas esse *cum majori reverentia et ideo cum aliqua morula.* Ista morula est contraria Rubricæ, quæ dicit: *genuflexus adorat.* Hoc *adorat* non significat, uti aliquis dicere posset, post genuflexionem aliquantulam moram esse faciendam: neque in tot aliis casibus, in quibus Rubrica iisdem verbis utitur. Post signa crucis facta ad *sanctificas* etc. et detectionem calicis item dicitur *genuflexus adorat.* Ante *Pater noster*, postquam calix coopertus est, item dicitur *genuflexus adorat.* Post patenæ osculum et detectionem calicis item dicitur *genuflexus adorat.* Item ante *Agnus Dei* etc. Ergo si toties eadem verba dicuntur et non significant, post genuflexionem ullam morulam faciendam esse, quomodo in supradictis occasionibus illa hanc morulam denotare possunt? . . .“

elevet, ut a populo videri et adorari possit: et cum parum temporis ita eam tenuerit, lente super corporale eo in loco reponet unde eam sumpsit. Quod ut melius facere possit, digitorum extremitates, cum hostiam demittit, super corporale ponet, tres circiter digitos distantes a loco, ubi ponenda est hostia; et cum sinistram ita posuerit, dextera hostiam in medio, sed in ora, acceptam, loco suo reponit. Hostia super corporale collocata, pyxidem cum particulis, si adsit, vel calicem cooperit, pyxidem quidem proprio cooperculo, calicem palla, et retro post calicem, ubi antea erat, reponit, et deinde, genuflexione facta, se erigit.[18])

12. Præterea notandum 1. quod in elevatione tam hostiæ quam calicis oculi numquam ab eorum adspectu amovendi sunt.[19]) 2. Quod post consecrationem usque ad ablutionem, quoties genuflectendum vel altare osculandum est, manus separandæ et super corporale extendendæ sunt: pollices vero et indices invicem juncti maneant, nec aperiantur nisi ad tangendam hostiam.[20]) 3. Quoties hostia accipienda vel deponenda est, tres ultimi digiti extendantur, sed non incurventur, ne periculum eveniat tangendi hostiam aliis digitis præter pollices et indices.

---

[18]) Juxta Rubricam p. II. tit. 8. n. 6. genuflectendum videtur, priusquam pyxis cooperiatur; sonat enim: „Reposita hostia consecrata super corporale, genuflexus ipsam veneratur: si adsit vas aliarum hostiarum, patena et palla cooperit.“ *Martinucci* lib. 1. cap. 24. n. 3. scribit: „Hostiæ elevationem peraget, eamque in altari reponet ac genuflexionem iterabit. Deinde prius quam detegat calicem, cooperiet pyxidem et sine alia genuflexione eam reponet quo loco prius erat.“ Et in lib. II cap. 5. n. 5. in nota supradictam Rubricam adfert et adjicit: „Ideoque minus recte faciunt sacerdotes illi, qui reposita hostia super corporale, statim contegunt pyxidem, reponunt eam post calicem, postea genuflectunt.“

[19]) Rubrica enim dicit l. c. n. 5.: „Elevat in altum hostiam et intentis in eam oculis (quod et in elevatione calicis facit).“

[20]) Et sic super corporale manus extendendæ sunt, ut utraque manus recta et sola ejus pars lateralis juxta digitum parvum altare tangat.

13. Notandum 4. quod inter verba consecrationis tam hostiæ quam calicis et orationes præcedentes, scilicet *Qui pridie*, et *Postquam cœnatum est*, aliæ orationes, quamvis mentales et devotæ, non sunt interponendæ; nam Le Brun (tom. 3. a. 17. qu. 2. et in dissert. t. 4.) profuse defendit, consecrationem non fieri per sola verba Redemptoris, sed etiam per præcedentia, et præsertim per orationem antecedentem *ut nobis Corpus et Sanguis fiat*. Et hoc probat citando Concilium Romanum celebratum sub Gregorio VII. contra Berengarium, ubi dictum est, panem et vinum in Corpus et Sanguinem Jesu Christi converti tam per verba Redemptoris quam per sacram orationem: *Per mysterium sacræ orationis et per verba Redemptoris converti in carnem et sanguinem Jesu Christi*. Et adducit pro sua sententia consensum viginti Doctorum Sorbonæ. Scotus ex alio motivo dubitat, utrum consecratio solis verbis *Hoc est Corpus meum* fiat: si enim (ait) verba *Qui pridie quam pateretur*, non præmittuntur, non indicatur, verba *Hoc est* etc. ea esse, quæ Jesus Christus dixit. Contraria opinio, juxta quam ad consecrationem sola verba *Hoc est corpus* etc. *Hic est Calix* etc. sufficiunt, est communis cum Tournely, Juvenin, Gonet, Concina, Frassen, Lugo et aliis, qui eam probant ex decreto Eugenii IV. in Concilio Florentino: *Forma hujus sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficitur sacramentum*. Ceterum prima opinio revera non videtur improbabilis: eo magis, quia Rubrica pro casu, quo propter materiam dubiam forma repetenda est, præscribit, ut a verbis *Qui pridie* incipiatur. Ideoque sensus verborum antecedentium et verborum Jesu Christi non est interrumpendus orationibus vocalibus vel mentalibus interpositis.

Advertendum, pollices et indices deinceps semper tenendos esse unitos usque ad ipsorum ablutionem, quæ fit post sumptionem calicis et solum aperiuntur, quando hostia accipitur.

14. Postquam igitur sacerdos hostiam elevaverit, faciet genuflexionem (genuflexio vero fit genu dextero, quod juxta pedem sinistrum usque ad terram demittitur); deinde se erigit et dextera calicem discooperit, sinistram aut super corporale aut, quod melius erit, ad pedem calicis tenet et pallam inter digitum medium et indicem pollici unitum accipit. Pallam super extremitatem veli plicati deponet: deinde indices et pollices absterget, illos leviter super oram calicis fricans, ut fragmenta, si supersint, decidant: quod semper faciendum est, quando hostia tacta est. Et erectus dicit: *Simili modo* etc.

15. Accipit calicem utraque manu hoc modo: quatuor digiti, scilicet pollices et indices uniti ponantur inter cuppam et nodum calicis a parte anteriore, alii digiti a parte posteriore[21]) *(juxta nodum infra cuppam*, dicit Rubrica), et sic stans calicem in recta linea quatuor digitis super corporale elevat, dicens: *Accipiens et hunc præclarum Calicem*, et subito in eodem loco deponet. Ad verba *tibi gratias agens* simplicem capitis inclinationem facit.[22]) Ad *bene* † *dixit* manu dextera crucem super calicem producit, sinistra nodum tenens.[23]) Deinde utroque cubitu super altare innixus tribus digitis sinistræ calicem in pede sustinebit, et dextera nodum tenebit,[24]) ita quidem, ut pollex et index a parte anteriore, alii vero digiti a parte posteriore disponantur: et sic mediocriter inclinatus et calicem erectum, non autem versus os suum inclinatum,[25]) et parum super corporale elevatum tenens, attente et sine alia interruptione proferet verba: *Hic est enim* etc.

---

[21]) *Martinucci* lib. 1. cap. 18. n. 94. scribit. „Utraque manu calicem *supra nodum* et *infra cuppam accipiet*."

[22]) Id est minimarum maximam.

[23]) Rubrica l. c. dicit: „Sinistra calicem *infra cuppam* tenens, dextera signat super eum."

[24]) Rubrica l. c. hic expresse jubet, calicem tenendum esse ambabus manibus, „videlicet sinistra pedem, dextera nodum infra cuppam".

[25]) *Baldeschi* p. I. art. 8. n. 84. dicit: „Senza piegarlo con affettazione verso di se." *De Herdt* autem tom. 1. n. 252. „parum ad se

16. His verbis prolatis calicem super corporale remittit et submissa voce dicens: *Hæc quotiescumque* etc. eodem tempore devote genuflectendo adorat: deinde erectus calicem dextera ad nodum modo supra dicto accipit, scilicet inter indicem pollici unitum a parte anteriore, et tribus digitis sinistræ pedem sustinens. Calicem perpendiculariter elevat, oculis semper ad ipsum directis (quin tamen calicem super caput circumvolvat, ut multi inconvenienter faciunt), et tantum eum elevet, ut oculi celebrantis infra pedem calicis perspicere valeant, calixque a populo videri possit: et aliquantisper calicem sic elevatum teneat, ut populus adorare possit. Tunc eadem linea illum in ipso loco, unde elevavit, deponet.[26])

CAPUT IX.

De Canone post Consecrationem usque ad Pater noster.

Calice super altare reposito et adorato, celebrans se erigit, et erectus manens manibus ante pectus extensis et ad Missale conversus dicit *Unde et memores Domine* etc. Ad verba *de tuis donis ac datis* jungit manus, et tum sinistram super corporale demittit et dextera tres cruces communes super hostiam et calicem facit, dicens: *Hostiam † puram, Hostiam † sanctam, Hostiam † immaculatam;* et semel signat super hostiam, dicens *Panem † sanctum vitæ æternæ;* et semel super calicem, dicens *Et Calicem †*

---

inclinatum tenet", citat tamen in nota S. Alphonsum et Cuppinum pro contraria opinione. *Gavantus* et *Meratus* nihil circa hoc adnotant. *Martinucci* l. c. n. 95. habet: „Calicem sustinens, nec flectens eum ad se nimis studiose." Sed cap. 25. n. 68.: inter defectus enumerat: „Accipere calicem ad verba *Accipiens et hunc præclarum calicem* manu dextera tantum, os et nasum calici imponere aut inclinare eum ad se vel altari applicatum tenere."

[26]) Rubrica adhuc habet: „Mox ipsum (calicem) reverenter reponit super corporale in locum pristinum et *manu dextera palla cooperit,* ac genuflexus Sacramentum veneratur."

salutis perpetuæ. Deinde manibus extensis prosequitur: *Supra quæ* etc.

2. Cum dicit *Supplices te rogamus*, profunde se inclinat manus eo modo super altare tenens, ut supra cap. IV. 1. dictum est, scilicet ut digiti parvi frontem altaris tangant, aliis digitis super altare positis et indicibus ac pollicibus unitis.[1]) Post verba *Ut quotquot* osculatur altare, aliquantulum recedens, et erectus manus conjungit.[2]) Deinde, sinistra super corporale posita, dextera crucem super hostiam facit dicens: *Sacrosanctum Filii tui Cor † pus:* tunc aliam crucem super calicem facit, dicens: *San † guinem sumpserimus:* cum vero dicit: *Omni benedictione † cœlesti et gratia repleamur*, se ipsum signat, sinistram infra pectus tenens:[3]) et ad verba *Per eumdem* etc. manus conjungit juxta Rubricam.

---

[1]) In una Tuden. die 7. Sept. 1816. ad 35. n. 4526. quæsitum est: „An sacerdos ponere debeat manus intra corporale, dum dicit Orationem *Supplices te rogamus*, et Orationes ante Communionem?" Et S. R. C. respondit: „Servandas esse Rubricas, quæ jubent, manus ponendas esse super altare, non intra corporale."

[2]) S. Alphonsus hic explicat Rubricam Canonis Missæ, ubi legitur: „*Ut quotquot*, osculatur altare, *ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui*, jungit manus." Hanc autem Rubricam ritus celebrandi Missam tit. 9. n. 1. clarius exprimit, dicens: „Cum dicit: *Ex hac altaris participatione* osculatur altare, manibus hinc inde super altare positis. Cum dicit: *Sacrosanctum Filii tui* jungit manus." Cum autem juxta decisionem S. R. C. die 21. Mart. 1744. ad 5. n. 4153. pari forma sequendæ sint tum Rubricæ generales tum particulares Missalis Romani (conf. adnot. 22. cap. VII.), verba in Canone Missæ: *osculatur altare* ad sequentia pertinent, et *sacrosanctum Filii tui* ad junctionem manuum. Et sic communiter ab Auctoribus supradicta explicantur: *Cavalieri* tom. 5. cap. 19. n. 12.: „Ad ea verba *ex hac altaris participatione* inclinans se recta altare osculatur in medio, et cum dicit *sacrosanctum Filii tui* jungit ante pectus manus." *Martinucci* l. c. n. 100.: „Dicens autem *Ex hac altaris participatione*, manus aperiet et altari imponet intra corporale, altare osculabitur in medio, non hinc aut inde, erectusque jungat manus inquiens *sacrosanctum Filii tui*." Item *Castaldus, Baldeschi, De Herdt, Carpo* et alii.

[3]) *Meratus* p. II. tit. 9. n. 3. adnotat: „Advertat tamen, quod, quando signat se signo crucis, dicendo *Omni benedictione cœlesti* etc. ne digiti pollices et indices disjungantur et ne planetam tangant; in

3. Cum dicit *Memento etiam Domine* etc., manus extendet, et cum mora ita conjunget, ut ad verba *in somno pacis* conjunctionem finierit.[4]) Manibus ante pectus junctis, ut in Memento vivorum factum et dictum est,[5]) oculis ad Sacramentum fixis et capite inclinato per breve tempus commemorationem defunctorum faciet. Qua facta manus ante pectus demittet, easque disjunctas tenens prosequitur: *Ipsis, Domine* etc. Ad verba *Per eumdem* iterum manus jungit, et cum dicit *Christum* caput inclinat. Juxta regulam generalem tantum ad nomen *Jesu* caput inclinandum est: sed in hoc loco est præceptum Rubricæ, et non in aliis. Bauldry vult, inclinationem continuandam esse per omnia verba sequentia: *Nobis quoque peccatoribus:* sed hæc opinio est singularis, nec mihi cum Rubrica concordare videtur.

4. Deinde manum sinistram super corporale demittit, et stans erectus pectus extremitatibus trium digitorum dexteræ percutit, dicens voce mediocri: *Nobis quoque peccatoribus,*[6]) et manibus sicut antea extensis prosequitur, iterumque illas conjunget, cum dicit: *Per Christum Dominum nostrum.* Et sic manens dicit: *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas,* et tunc faciet tres cruces communes, (ut supra cap. VIII. n. 2. notatum est) dicens: *Sancti † ficas, vivi † ficas.*

---

qua formatione crucis, tribus aliis digitis dextera manus tangit frontem, quando profert *Omni benedictione:* tangit pectus, quando pronuntiat *cœlesti;* tangit humerum sinistrum, quando dicit *et gratia:* tangit humerum dexterum, quando profert *repleamur.*" Item *Bauldry* p. 3. cap. 3. n. 3. et *Cavalieri* tom. 5. c. 19. n. 12.

[4]) Quod cruendum est ex particulari Rubrica Canonis Missæ, ubi dicitur, manus esse jungendas ad verba *in somno pacis.*

[5]) Rubrica l. c. n. 2. hic ita loquitur: „Cum dicit *Memento Domine famulorum famularumque tuarum* etc. extensis et junctis manibus ante pectus, et usque ad faciem elevatis."

[6]) Notandum hic, quod in hac Oratione ad nomen cujuslibet Sancti, de quo Officium vel commemoratio fit, caput inclinandum est. — S. Joannes, qui in hac Oratione nominatur, est S. Joannes Baptista, ut S. R. C. die 27. Martii 1824. in una Panormitan. ad 2. n. 4602. declaravit.

bene † dicis, et præstas nobis. Postea manu dextera calicem discooperit, sinistra super corporale posita, vel, ut alii volunt, super pedem calicis, accipiens pallam inter digitum medium et indicem, qui cum pollice unitus est, eaque super velum plicatum deposita genuflectit.

5. Tum erectus hostiam a latere parum infra medietatem, pollice et indice dexteræ accipit, et calicem sinistra ad nodum [7]) tenens, cum hostia tres cruces super calicem, a labio ad labium, quin tamen labia tangat, in linea recta sine saltu faciet, dicens: *Per ip † sum, et cum ip † so, et in ip † so.* Deinde cum eadem hostia alias duas cruces inter calicem et suum pectus faciet, dicens: *Est tibi Deo Patri † omnipotenti in unitate Spiritus † sancti.* Quæ duæ cruces formantur in eadem linea, ita ut summitas hostiæ semper labio calicis correspondeat: at cruces non excedant extra corporale nec transeant brachium sinistrum: unde dictum brachium incurvandum est. Deinde hostiam per lineam rectam, non per gyrum, dextera super calicem feret et calicem simul cum hostia aliquantulum elevabit, eodem tempore voce submissa dicens: *Omnis honor et gloria:* et statim calice super corporale collocato, ac hostia loco suo deposita, pollices et indices super calicem, non vero in ejus ora, absterget, et palla eum cooperiet ac genuflectet.

CAPUT X.

A Pater noster usque ad Communionem.

Sacerdos erectus manus extensas super corporale deponit et voce intelligibili dicit: *Per omnia sæcula sæculorum:* tunc manus elevans et conjungens, ac caput versus Sacramentum inclinans dicet: *Oremus* etc. Erectus manus junctas tenet usque ad *Pater noster*, sed cum dicit *Pater noster*, manus

[7]) Uti Rubrica vult, quæ dicit: „Quem manu sinistra tenet circa nodum infra cuppam.“ l. c. n. 3.

ante pectus extendit et oculos ad Sacramentum figit usque ad verba *Et ne nos inducas in tentationem:* et responso a ministro: *Sed libera nos a malo,* sacerdos voce submissa dicit *Amen.*[1])

2. Postea[2]) sinistram super corporale ponit, dextera vero accipit purificatorium, indice et pollice non disjunctis, et patenam, extra corporale extractam leviter abstergit, purificatorium vero in parva distantia a corporali in cornu Epistolæ relinquit. Deinde patenam, quam inter indicem et digitum medium accipit, ita elevat, ut pars anterior inaurata hostiam respiciat, ejus vero extremitas super tobaleum, non vero super corporale innitatur, manu posita in parte superiore patenæ: et ita stans dicet orationem *Libera nos* etc.

3. Post verba *omnibus Sanctis* et antequam dicat *Da propitius pacem,* cum eadem patena se signet signo crucis, sinistram infra pectus tenens: osculetur patenam et tunc dicat: *Da propitius pacem,* quia Rubrica post verba *omnibus Sanctis* præscribit: *signat se cum patena a fronte ad pectus et eam osculatur:* et post hæc ibi sequuntur verba prædicta *Da propitius pacem.* Voluit quidam, patenam post verbum *pacem* esse osculandam, dicens, ita præscribi a Cæremoniali Episcoporum l. 2. c. 8. n. 73. Sed ibi nihil invenio, quod a verbis citatæ Rubricæ Missalis discordet; nam sic ibi dicitur: *Antequam dicat verba: Da propitius* etc. *signat se*

[1]) Sensus hic non est, manus extendendas et oculos ad Sacramentum figendos esse *tantum* usque ad verba *Et ne nos inducas in tentationem:* sed S. Alphonsus, cum in principio num. 2. dicit *Postea,* vult, manus esse extendendas usque ad finem i. e. *Amen,* et plene concordat cum Rubrica tit. 10. n. 1., quæ dicit: „Cum incipit *Pater noster* extendit manus, et stans oculis ad Sacramentum intentis, prosequitur *usque ad finem.*"

[2]) Nota hic: *Postea;* ergo tunc demum, postquam sacerdos dixerit *Amen,* et non prius, sinistram ponit super corporale, et dextera accipit purificatorium, uti clare patet ex Rubrica l. c. „**Responso** a ministro: *Sed libera nos a malo,* et a celebrante submissa voce *Amen,* manu dextera pollice et indice non disjunctis patenam aliquantulum extergens etc."

cum ea a fronte ad pectus, et reliqua dicit et facit, quæ in Missali ponuntur. Cæremoniale igitur nihil dicit de osculo, sed in omnibus ad Rubricam Missalis remittit, juxta quam osculum præscribitur, antequam dicatur *Da propitius pacem.*[3]) Patena vero osculanda est in ora superiore prope manum.[4]) Dicit Tonnellius cum Bauldry, crucem incipiendam esse ad verba *cum beatis Apostolis.* Cum autem dicit *ut ope misericordiæ* etc., sacerdos patenam hostiæ submittit, eamque indice manus sinistræ super illam accommodat; et advertat, ut partem superiorem patenæ super pedem calicis ponat, ut hostia et ipsa patena magis commode accipi possint.

4. Deinde discooperit calicem, pallam super velum ponit, manus super corporale tenens genuflectit et

[3]) Rubrica in Canone Missæ post verba: *Et omnibus Sanctis* tantum dicit: *Signat se cum patena a fronte ad pectus et eam osculatur.* Et sequitur: *Da propitius pacem.* Huic Rubricæ insistens S. Alphonsus supra dicit, patenam ante *Da propitius* osculandam esse. Sed hæc Rubrica Canonis per aliam de ritu celebr. Miss. tit. X. n. 2. amplificando explicatur, quæ clare dicit, inter verba: *Da propitius* etc. signum crucis cum patena faciendum esse: „Antequam celebrans dicat: *Da propitius pacem* elevat manu dextera patenam de altari, et se ipsum cum ea signat signo crucis, **dicens:** *Da propitius pacem in diebus nostris.* Cum signat se, manum sinistram ponit infra pectus: **deinde** patenam ipsam osculatur, et prosequens: *ut ope misericordiæ tuæ* etc., submittit patenam hostiæ."

Verba: *Da propitius* etc. ita distribui possunt, ut tangendo frontem dicat *Da propitius*, pectus *pacem*, humerum sinistrum *in diebus* et dexterum *nostris.*

In una Panormit. die 13. Mart. 1627. ad 4. n. 677. propositum est dubium: „Quæsivit, an signum cum patena faciendum a sacerdote a fronte ad pectus, dum dicit Orationem *Libera nos quæsumus Domine* etc., debeat esse crucis integræ?" Ad quod S. R. C. respondit: „intelligendum esse integrum signum crucis".

[4]) In una Albingan. quæsitum est: „Utrum patena osculanda sit a celebrante, cum dicitur *Da propitius pacem in diebus nostris,* in medio in extremitate partis superioris, aut in qua parte, cum Rubrica de ritu celebrandi Missam cap. 10. n. 2. id non explicet?" Et S. R. C. die 24. Julii 1683. ad 5. n. 3025. respondit: „Patenam in extremitate seu ora patenæ congruentius osculandam."

erectus indice sinistræ partem lateralem hostiæ premit, indice vero et pollice dexteræ eam in medio accipit et super calicem elevabit, et pollicibus et indicibus utriusque manus eam reverenter, sensim super calicem franget, nempe ab initio bis vel ter hostiam in medio partis anterioris plicat, ne fragmenta retro post calicem decidant: et sic denique facilius eam dividet per medium; et illam medietatem, quam dextera manu tenet, collocet super patenam: ab altera vero medietate, quam manu sinistra tenet, accipiet particulam indice et pollice dexteræ a parte inferiore hostiæ fractam,[5]) et cum eadem particula faciet cruces super calicem, ut mox dicetur. Cum hostiam dividit, dicet: *Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum:* post verbum *tuum* partem, quam manu dextera tenet, super patenam collocabit, et cum dicit: *Qui tecum vivit et regnat,* particulam alterius medietatis, ut dictum est, dextera franget: et dicens: *in unitate* etc. sinistra hanc medietatem ad alteram super patenam adjunget; et parvam particulam dextera adhuc super calicem ac sinistra nodum tenens voce intelligibili dicet: *Per omnia sæcula sæculorum;* et postquam minister responderit *Amen,* cum dicta parva particula tres cruces super calicem per lineas rectas absque saltibus ab uno labio ad alterum faciet, non tamen labium cum hostia tanget: et eodem tempore dicet: *Pax † Domini sit † semper vobis † cum.* Responso per ministrum *Et cum spiritu tuo,* eamdem particulam in calicem immittet, secreto dicens: *Hæc commixtio* etc. Ad nomen *Jesu Christi* inclinationem simplicem, sed maximam faciet. Deinde[6])

---

[5]) In una Dalmatar. die 4. Augusti 1663. ad 6. n. 2241. quæritur: „An pars inferior hostiæ præcidi debeat, an vero superior, quando dicitur: *Pax Domini sit semper vobiscum?*“ Et S. R. C. respondit: „Inferior præcidi debet.“

[6]) „*Deinde pollices et indices,*“ dicit etiam Rubrica l. c. n. 2. „super calicem aliquantulum tergit.“ Nota: **Deinde** i. e. quando Oratio *Hæc commixtio* etc. finita est, sinistra, quæ calicem per nodum tenuit, po-

digitos super calicem abstergit, calicem palla cooperit, genuflectit, surgit, et caput tantum inclinans [*Capite inclinato versus Sacramentum* dicit Rubrica] [7]) voce intelligibili dicet: *Agnus Dei* etc.

5. Dicens *Miserere nobis* sinistram super corporale ponet eamque ibi tenet donec ter dixerit *Agnus Dei,* et tribus ultimis digitis dexteræ ter pectus percutiens dicit *Miserere nobis* et *dona nobis pacem.* [8]) Deinde, manus junctas super Altare tenens, ut ab initio cap. IV. n. 1. dictum est, et mediocriter inclinatus, oculis ad Sacramentum intentis secreto tres orationes Missalis dicet. [9])

6. His orationibus absolutis genuflectit et voce submissa dicit *Panem cœlestem accipiam* etc.; [10]) et pollice et indice dextræ, adjuvante etiam sinistra, ambas partes hostiæ reverenter a patena sumit, et ita sinistra tenebit, ut forment figuram rotundam, et partem illam, quæ est ad cornu Evangelii, parum super alteram ponit: tunc

---

nitur super calicem et tunc pollices et indices absterguntur, et non tantum pollex et index manus dexteræ.

[7]) S. Alphonsus hic juxta Rubricam tit. 10. n. 2. *inclinationem* tantum *capitis* præscribit, dum cap. XVII. n. 7. *Agnus Dei* inter inclinationes *mediocres* enumerat, et tamen plene concordat cum Rubrica Missalis; nam in Rubrica loco supra cit. legimus: *capite inclinato* versus Sacramentum, in Canone vero Missæ dicitur: *inclinatus* Sacramento; tò *inclinatus* idem est ac *mediocris* inclinatio corporis. Vide adnotat. 5. cap. II. Cum autem juxta decisionem S. R. C. die 21. Mart. 1744. ad 5. in tali casu pari forma sequendæ sint tam Rubricæ generales quam particulares Missalis, dicendum esse videtur: ad *Agnus Dei* inclinationem *mediocrem* esse faciendam. Et sic percipit Martinucci, qui l. c. n. 114 dicit: „stabit *mediocriter* inclinatus ad Sacramentum."

[8]) *Martinucci* l. c. n. 114. scribit: „Cavebit, ne manus rursus jungat, postquam dixerit *Miserere nobis* prima vice, neu ponat dexteram super corporale, sed dicens secunda vice *Agnus Dei* lente movebit dexteram ad percutiendum pectus, atque ita etiam tertia vice."

[9]) In his Orationibus ad nomen Jesu non est facienda peculiaris inclinatio capitis; nam hæc in inclinatione media corporis jam includitur. Vide *Merati* p. II. tit. 10. n. 8. — Conf. adnot. 1. cap. VI.

[10]) In Rubrica l. c. n. 4. hic legitur: „Quibus orationibus dictis, genuflectens sacramentum adorat, et *se erigens* dicit secreto: *Panem cœlestem accipiam* etc.

supponit patenam, quam inter indicem et alios digitos infra extensos tenet, sed non cubito super altare nitatur (quod tamen non est de Rubrica, unde in casu debilitatis cubitum super altare, sed extra corporale, ponere potest): et patenam quatuor digitis super corporale elevatam tenens, parum inclinatus (Rubrica enim habet *parum inclinatus)* ter voce aliquantulum elevata dicet: *Domine, non sum dignus,* et secreto prosequitur: *ut intres* etc., non tamen ad latus se vertat, ut quidam faciunt.[11]) Deinde pollice et indice dexteræ ambas partes hostiæ accipiet, et partem, quæ ad cornu Evangelii est, alteri superimponit: jam cum ipsa hostia se signo crucis signat, lineam unius circiter palmi ex alto ad infra supra patenam, quam manu sinistra sustinet, ita ducens, ut hostia limites patenæ non excedat. interim dicens: *Corpus Domini nostri* etc. et ad nomen *Jesu Christi* etc. caput inclinans.[12]) Tum cubitis super altare positis, mediocriter inclinatus, hostiam reverenter sumit, patenam supponens.[13]) Advertat, ne

---

[11]) „Proferens verba *Ut intres*" notat *Martinucci* l. c. n. 117 „poterit applicare dexteram pectori, vel lente eam movere ad iterandam pectoris percussionem".

[12]) *Baldeschi* p. 1. art. 10. n. 113. dicit in adnotatione, majorem partem expositorum Rubricarum asserere, sacerdotem, cum seipsum hostia consecrata vel calice signat, ad verba *Jesu Christi* non debere inclinare caput: „cumque (addit) non clare ex Rubrica appareat, hoc esse præscriptum, multi sine scrupulo a regula generali recedunt, quæ inclinationem capitis præscribit, quoties in Missa nomen Jesu profertur"; et ipse Baldeschi horum opinionem admittere videtur, cum nihil in contrarium dicat. At vero hodie res decisa est. Cum enim in una Neapolit. quæsitum esset: „An sacerdos seipsum signans cum hostia et calice consecratis ante sumptionem Ss. Sacramenti ad verba *Jesu Christi* debeat caput inclinare?" S. R. C. die 24. Sept. 1842. ad 1. n. 4950. respondit: „Affirmative juxta Rubricas."

[13]) Aliqui ante sumptionem hostiæ meditationem instituunt, aut varios actus virtutum, ut humilitatis, contritionis, amoris etc. exercent, aut vota renovant etc., sed minus recte; nam Rubrica hic nullam meditationem, uti post sumptionem, præscribit, sed tantum *reverentiam* in sumptione; et Pius V. in Bulla *Quo primum* 12. Julii 1750. in virtute sanctæ obedientiæ præcepit, ne quis alias preces, quam

hostiam assumens linguam extra os emittat, atque ne ipsam hostiam dentibus masticet,[14]) sed illam plicatam sub lingua immittat, ne parti superiori oris adhæreat. Si vero forte palato adhæserit, eam ipsa lingua dimovere studeat; si autem quædam particula remanserit, eam sumendo sanguinem et ablutionem deglutiat.

7. Hostia sumpta, patenam super corporale reponit,[15]) et erectus, ac pollices et indices unitos tenens, jungit manus easque usque ad mentum elevat, et aliquantulum in meditatione sanctissimi sacramenti manet.[16]) Deinde disjunctis manibus sinistram super corporale vel super pedem calicis ponit, et dexterâ calicem discooperit, dicens: *Quid retribuam Domino* etc.[17])

quæ hoc Missali continentur, addere vel recitare præsumat. Sed dices: actus interni non cadunt sub præcepto; concedimus; tempus vero, quod in eliciendis talibus actibus conteris, cadit sub præcepto; ergo omittere debes. *Hippolytus a Portu* tit. 10. rubr. 4. n. 16. aliam causam affert: „Quia nulli actus privatæ devotionis permisceri debent cum publicis actibus religionis, nisi ubi permittuntur v. gr. in utraque Commemoratione; sed hic non permittuntur: cujus rei signum est, quod post sumptionem S. Hostiæ præscribitur meditatio, non autem ante sumptionem: unde exceptio firmat regulam."

[14]) *Baldeschi* p. 1. art. 10. n. 109. ad verba Gavanti: „Caveat sacerdos, ne indecenter dentibus comminuat sacrosanctam hostiam" hæc adnotat (latine reddita): „Nolumus improbare talem reverentiam; at si quis hostiam brevi tempore deglutire non posset, nisi cum dentibus diminueret, faciat sine scrupulo, quia, sicut Certanus in libro de ritibus Missæ privatæ optime observat, hæc caro immortalis et impassibilis non timet aliquod damnum a dentibus nostris, qui rem frangere non possunt, sed tantum signum et accidentia."

[15]) Hic nonnulli abstergunt digitos super patenam; sed non recte faciunt, quia tum a Rubrica hic id non præscribitur, tum non super patenam, sed super calicem digiti abstergendi sunt.

[16]) Nota hic Rubricam l. c. n. 4., quæ dicit: *„aliquantulum* quiescit in meditatione Ss. Sacramenti"; ergo hæc meditatio non est plus justo protrahenda.

[17]) Rubrica l. c. n. 4. sonat: „Deinde depositis manibus dicit secreto: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* et *interim* discooperit calicem, genuflectit, surgit, accipit patenam, inspicit corporale, colligit fragmenta cum patena, si quæ sint in eo, patenam quoque diligenter cum pollice et indice dexteræ manus super calicem extergit, et ipsos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat." — Juxta hanc Rubricam utique in collectione fragmentorum

Post hæc verba, manibus super corporale positis, cum mora[18]) genuflectit, et deinde sinistram super corporale tenens, cum patena fragmenta diligenter colligit. Si sacerdos calicem dimovere debeat, ut fragmenta colligere possit, hoc faciat, antequam genuflectat. Deinde patenam manu sinistra super calicem tenens, indice, qui jam non cum pollice unitus, sed separatus est. fragmenta in cuppam calicis immittat, et tunc digitos in interiore eorum parte (non vero super labia calicis) abstergat, ut, si quod fragmentum supersit, decidat.

8. Hic advertit Rubrica, quod, si super corporale particulæ consecratæ adsint, quæ conservari debent, vel etiam alia hostia pro expositione SSmi Sacramenti,[19]) hæ præ omnibus in pyxide vel ostensorio reponendæ sunt post factam genuflexionem; deinde corporale purificandum et Sanguis sumendus est. Sumpto Sanguine et facta prima purificatione pyxis vel ostensorium in tabernaculo reponatur. Hoc tamen intelligendum, si pyxis extra tabernaculum stat; si enim in tabernaculo est, tunc particulæ post sumptionem sanguinis in pyxidem reponuntur. De modo vero, quo S. Communio tum intra, tum extra Missam danda sit, in capitibus sequentibus sermo erit.

---

moraliter possibilis diligentia et advertentia requiritur, ne quid fragmentum super corporale aut patenam remaneat, et irreverentia committatur; sed multi, minus recte nimiam et superfluam diligentiam adhibent, corporale et patenam fricant et perfricant, ut particulas, quæ non sunt fragmenta sacræ hostiæ, sed fila et fragmenta corporalis aut aliarum rerum, colligant, et in hac collectione tempus ita conterunt, ut finis ejus vix exspectandus sit.

[18]) Conf. adnotatio 17. cap. VIII.

[19]) Peccaret graviter sacerdos, si hostiam majorem in Missa consecratam reponeret in tabernaculo, et ejus loco sumeret hostiam, quæ in eodem tabernaculo antea continebatur: ipse enim de suo sacrificio participare debet. Cf. Can. *Relatum* de Consecr. distinct. II. — Hostiam, e monstrantia sumptam sumit, vel unacum altera sacrificii (Rubr. Miss. de defect. tit. 7. n. 2. et 3.) vel post sumptionem Sanguinis ante purificationem. S. R. C. 3. Sept. 1672. in una Cochen. ad 3. n. 2602.

9. Deinde pollices et indices iterum jungit, sinistram, quæ patenam tenet, super corporale ponit, dexterâ calicem infra nodum accipit,[20]) dicens: *Calicem salutaris accipiam* etc., et cum ipso calice se signo crucis signans dicit: *Sanguis Domini nostri* etc., caput ad nomen *Jesu Christi* inclinans,[21]) et Sanguinem sumit. Cum Rubrica dicat: *Manu sinistra supponens patenam Calici,* advertendum, patenam non esse sub calice tenendam, nisi cum Sanguis sumitur; et tunc patena sub mentum elevatur.[22])

---

[20]) Rubrica l. c. expresse dicit: „Calicem dextera manu *infra* nodum cuppæ accipit.“ Ad quam Rubricam *Lohner* p. 6. tit. 10. Rubr. 5. lit. q. notat: „Non supra nodum i. e. infra cuppam, aut in ipso nodo, sed infra illum, ut clarus habet Rubricæ textus, propterea forte id præcipiens, ne manus sit nimis propinqua ori, dum calicem sumit.“

[21]) Conf. supra adnotat. 12. hujus capitis.

[22]) Vult *Meratus*, ut sacerdos sumpto Sanguine aliquantisper in meditatione Sacramenti immoretur, sicut Rubrica præscribit post sumptionem Corporis. At vero S. Alphonsus nihil de hac secunda meditatione habet, et in hoc concordat cum Rubrica, quæ etiam hoc loco indicasset, si immorandum esset in meditatione. Post sumptionem Corporis necessario aliquantulum quiescendum est, usque dum hostia in stomachum descendat: Sanguis vero Christi statim descendit. *Pavone* tom. II. n. 367. refutat Gavantum, dicens: „Hoc (immorari in meditatione) non licet, quia nihil imperatur a Rubrica, sicut imperare debuisset, ut de facto imperat in sumptione hostiæ. Rubrica præscribit, quid faciendum sit post sumptionem hostiæ, dicens: *ambas manus ante faciem jungit, et aliquantulum quiescit in meditatione Ss. Sacramenti.* Sed in sumptione calicis non loquitur ita: imo ex verbis Rubricæ apparet, inter sumptionem et purificationem non esse ponendum aliquod intervallum: *Reverenter sumit totum Sanguinem cum particula in calice posita: quibus sumptis, dicit secreto: Quod ore sumpsimus etc. et super altare porrigit calicem ministro.* Unde Sanguinem sumere, dicere *Quod ore* etc. et ministro calicem porrigere sunt tres actiones immediate se sequentes.“ Confer *Laboranti* lib. 1. n. 328. *Martinucci* l. c. 124. scribit: „Calice sumpto, sinistram cum patena imponet corporali; ac perstans in eodem medio altaris, calicem *statim* objiciet ministro.“ Id plene probatur decreto S. R. C. die 24. Sept. 1842. in una Neapol. ad 2. n. 4950. Cum enim quæreretur: „An sacerdos post sumptionem pretiosissimi Sanguinis debet parumper immorari in adoratione, prout fit post sumptionem sacræ hostiæ?“ S. R. C. respondit: „Serventur Rubricæ.“ (nihil scil. præcipientes.)

10. Dicunt quidam, Sanguinem tribus haustibus sumi posse: alii dicunt, esse decentius, illum unico haustu sumere: melius autem vult Gavantus, sumptionem duobus haustibus faciendam esse: et hunc usum Meratus laudat.[23]) Si forte particula hostiæ calici adhæserit, non digito ad labium calicis trahatur, sed vino, quod deinde infunditur, sumatur.[24]) Gavantus adducit ordinationem S. Pii V. qua præscribitur, purificationem eadem via sumendam esse, qua Sanguis sumitur.[25])

11. Sumpto Sanguine communionem faciat, si adsint personæ, quæ communicare volunt. (De modo dandi communionem in capite sequenti sermo erit.) Deinde dicat: *Quod ore sumpsimus* etc., et eodem tempore dextera calicem a parte Epistolæ ministro porriget, ut vinum purificationis recipiat, sinistram interea cum patena super corporale tenens: et tantum vini infundere faciat, quantum fuit consecratum. Volunt quidam, ut Cabrinus et Tonnellius, antea esse dicendam orationem *Quod ore* etc. et tunc calicem pro recipienda purificatione porrigendum: sed hoc non videtur concordare

---

[23]) In theol. mor. lib. 6. n. 408. *S. Alphonsus* scribit: „Hic obiter advertendum, decentius esse, ut Sanguis sumatur unico haustu, prout communiter docetur: permittunt vero Bauldry, Cabrinus, Arnaud. et alii apud Merati, posse calicem secunda et tertia vice ad os admoveri, ut reliquiæ Sanguinis absumantur: sed melius dicunt Tonnellius, Castaldus et Crassus ib. semel calicem ori admovendum, aliquantulum immorando, ut reliquiæ omnes, quantum fieri potest, attrahantur."

[24]) Rubrica de defect. tit. 10. n. 8. dicit: „Si sumendo Sanguinem, particula remanserit in calice, digito ad labium calicis eam adducat, et sumat ante purificationem, vel infundat vinum et sumat." *Quarti* p. II. tit. 10. sect. 1. dub. 7. notat, posse celebrantem pro libito uti altero e duobus modis prædictis: melius tamen esse et decentius, ut eligatur *secundus modus*, nempe ut infundatur vinum et cum eo sumatur particula, quæ remansit in calice; „quia (ut addit) ex communi Doctorum calculo secundus modus est aptior et decentior: ergo omnino præferendus et in praxi eligendus." Conf. *Bened. XIV. de Sacr. Miss.* lib. 3. cap. 17. n. 1.

[25]) *Gavantus*, postquam hanc S. Pii V. ordinationem factam in epistola ad Archiepiscopum Tarracon. die 8. Jan. 1571. citaverit, merito exclamat: „Mirare, quæso, Sanctissimi Pontificis etiam in minimis diligentiam."

cum brevi Rubrica, quæ habetur in Canone et sic sonat: *Postea dicit: Quod ore* etc., *interim porrigit Calicem ministro, qui infundit in eo parum vini.*[26]) Verbum *interim* clare indicat, eodem tempore, quo vinum infunditur, dicendum esse *Quod ore* etc.

12. Deinde celebrans vinum infusum leviter circumagit, ut reliquias Sanguinis colligat, et in eadem parte, qua Sanguinem sumpsit, atque, ut Meratus ait, etiam eodem modo, scilicet patenam manu sinistra mento supponens, purificationem sumit. Insuper advertendum cum Merato, abstemios in hac prima purificatione absque licentia Papæ non posse aqua uti, sed vinum adhibere debere.[27])

13. Facta purificatione patenam a parte Evangelii super corporale deponat,[28]) cuppam calicis sex digitis inferioribus manuum accipiat, et indices et pollices su-

---

[26]) Ex verbis Rubricæ *parum vini* concludendum videtur, non requiri tantum vini ad purificationem, quantum ad consecrationem. Sed S. Pius v. in dicta epistola ad Archiep. Tarracon. vult, ut eadem vini quantitas infundatur, in qua fuerunt species Sanguinis. (S. Alph. theol. mor. lib. 6. n. 408.) Quodsi tamen (ait *Baldeschi* p. 1. art. 10. n. 115. in nota) purificatio esset minoris quantitatis, vinum pro purificatione infusum in calice leviter circumferat, ut omnes eas partes, quæ Sanguine tactæ sunt, abluat.

[27]) In theol. mor. lib. 6. n. 408. scribit *S. Alphonsus:* „Peccaret quidem sacerdos, si in purificatione calicis sola aqua uteretur, cap. *Ex parte* 5. de celebr. Missæ, ubi dicitur: *Semper sacerdos vino profundere debet, postquam totum acceperit eucharistiæ sacramentum.* Sed hoc non erit plus quam veniale, ut communiter dicunt Conc., Pasqu. et Croix, Tamburini, qui id etiam a veniali excusat, si sacerdos sit abstemius, contra Gavantum. In ablutione digitorum dicunt Pasqu., Quarti, Gobat ap. Croix, Bissus ap. Merati nullum esse peccatum, solam aquam adhibere; sed melius dicunt Concina ac Bonamicus, Corsettus et Arnaud. ap. Merati, id non excusari a veniali, si fiat sine dispensatione Pontificis: excusabitur tamen, ut dicunt, si adsit rationabilis causa, pro qua puto quidem sufficere, aliquem esse abstemium, vel vinum esse rubeum, quo purificatoria evaderent indecenter maculata."

[28]) *Martinucci* sic habet l. c. n. 126: „Post sumptam purificationem, *calicem* et patenam *sistet in corporali*, scilicet patenam statuet pone calicem, calicem autem in anteriori altaris parte, quam actionem exsequetur uno eodemque tempore. Notandum, quod patena.

per os calicis teneat, factaque inclinatione versus crucem[29]) vadat ad cornu Epistolæ,[30]) ubi calicem super,

corporali imposita, non est cooperienda palla, sed detecta relinquenda."

[29]) Rubrica Missalis hic non præscribit inclinationem. Conf. adnotationem 27. cap. II.

[30]) In una Tornacen. die 22. Julii 1848. n. 5138. quæsitum est: „An pro abluendis vino et aqua pollicibus et indicibus in secunda purificatione post Communionem debeat sacerdos e medio altaris versus cornu epistolæ recedere?" Et S. R. C. respondit: „Serventur Rubricæ *pro diversitate Missæ*." Quomodo diversitas Missæ intelligenda sit, non conveniunt Auctores. Quidam opinantur, diversitatem Missæ intelligi posse de Missa in Cœna Domini, pro qua Memoriale Rituum transitum a medio altaris præscribat, et consequenter de omnibus Missis celebratis coram Ssmo exposito, quod reverentiæ causa transitum e medio altaris exigere videatur; in aliis autem Missis hanc rationem non militare, ergo celebrantem pro libito digitos abluere posse vel in cornu epistolæ vel in medio altaris. Sed hæc diversitas Missæ non liquet; nam ratio, cur juxta Memoriale Rituum in Cœna Domini sacerdos e medio altaris transire debeat, videtur esse, quia Sacramentum in mensa altaris manet expositum, ideoque ablutio digitorum in medio non decenter fieri potest; aliæ autem Missæ coram Ssmo sunt *contra legem* (exceptis Missis solemnibus pro expositione et repositione Ssmi in Oratione XL Horarum) ut dicemus cap. XV. adnotat. 1. et tantum *concessæ ex consuetudine particulari*, et Sanctissimum est expositum in throno, non super mensam, ut in Cœna Domini; insuper Rubricæ Missalis (conf. p. I. tit. 17. n. 1.; Rubr. in fer. V. in Cœna Domini et fer. VI. in Parascev.) talium Missarum quasi præteremdo mentionem faciunt, decisio autem S. R. C. verbis: *Serventur Rubricæ pro diversitate Missæ* præponit, speciales Rubricas pro diversitate Missæ exsistere, quæ revera in Missali pro Missa *privata* et *solemni* contentæ sunt. Sicque *Missæ diversitatem*, de qua decretum loquitur, intellexerunt ac suo tempore exposuerunt ipsius decreti auctores i. e. doctores Romani a. 1848, ita ut in Missis *solemnibus numquam* sit e medio altaris recedendum ad abluendos digitos: in Missis *privatis* e contra *semper* e medio sit ad cornu Epistolæ progrediendum. (V. *P. Schneider* S. J. Manuale Sacerd. p. II. cap. 1. III. n. 10. in nota.) Hæc sententia ipsorum auctorum decreti atque interpretatio præclare confirmatur ex universali et constanti omnium totius Urbis ecclesiarum praxi (*Merat.* p. II. tit. 10. n. 20. *Baldeschi* p. 1. art. 10. n. 117., *Martinucci* l. c. n. 117.) et ex ipsis Rubricis Missalis erui potest. Rubrica enim Missalis (tit. 10. n. 5.) postulat, ut in Missa *privata* minister tum in purificatione („porrigit calicem ministro *in cornu Epistolæ*" dicit Rubrica) tum in digitorum ablutione in cornu Epistolæ maneat. Etiamsi sacerdos calicem ad purificationem e medio altaris ministro porrigere potest, non potest tamen digitos abluere

sed intra altare elevatum tenens, indices et pollices (et etiam alium digitum, qui forte Sacramentum tetigit) primum vino et deinde aqua in majori quantitate [31]) abluat.

14. Deinde calicem a parte Epistolæ extra corporale ponit et digitos purificatorio abstergit, interim dicens: *Corpus tuum Domine, quod sumpsi* etc. [32]) Hac oratione in medio altaris finita, factaque inclina-

---

super calicem, nisi e medio altaris vadat et ad cornu Epistolæ accedat. Pro Missa *solemni* autem Rubrica (l. c. n. 8.) Subdiacono non præcipit, ut ad cornu Epistolæ se retrahat et celebranti pro ablutione locum cedat; ergo in Missa solemni celebranti ad ablutionem digitorum e medio altaris vadere non licet, quia nihil imperatur in Rubrica, sicut imperare debuisset, et de facto imperat in Missa privata.

[31]) Quamquam Rubrica Missalis nihil habet de quantitate aquæ, conveniunt tamen Auctores, aquam esse adhibendam in majori quantitate, „ne", uti *S. Alphonsus* cap. XVII. n. 28. ad 7. notat, „purificatorium maculetur", quod in vino rubeo magis timendum est. *Tonnellius* Sacr. Enchir. l. II. tit. X. r. 5. n. 7. insuper aliam rationem affert, scribens: „Nota, quod in ablutione digitorum consultius est minus vini quam aquæ insumere, quia probabilissima et fortasse communior est opinio, quam cum Card. De Lugo absolute docet tamquam certam Busemb. lib. 6. tract. 3. cap. 1. dub. 7. n. 6., vel unicam guttam vini consecrati permixtam cum qualibet magna quantitate vini, saltem ejusdem speciei, non amittere consecrationem (secus si misceatur cum majori quantitate diversi liquoris); nam sic plus aquæ quam vini sumendo vitatur periculum abstergendi species consecratas cum purificatorio." Vide S. Alphons. theol. mor. lib. 6. n. 229., Baldeschi p. 1. art. 10. n. 117., De Herdt tom. 1. n. 270. et alios.

[32]) In Rubrica l. c. legitur: „Deinde vino et aqua abluit pollices et indices super calicem, quos abstergit purificatorio, interim dicens: *Corpus tuum* etc." Quæri potest, quomodo verbum *interim* intelligendum, utrum ad digitorum abstersionem, an potius ad ablutionem vino et aqua sit referendum? Decretum S. R. C. 11. Martii 1858. Plur. Dioec. n. 5261. id declarare videtur, in quo dicitur: „Subinde admoto aquæ vasculo, digitos lavet, dicens: *Corpus tuum* etc. et abstergat": item docet instructio, ex commentariis Barthol. Gavanti et Cajet. M. Merati desumpta et in Appendice Ritualis Romani contenta, pro sacerdote duas vel tres Missas non continuo, sed in eadem ecclesia celebrante: „Deinde digitos, quibus Ss. Sacramentum tetigit, in aliquo vase mundo ad hoc in altari præparato abluet, interim dicens: *Corpus tuum, Domine* etc., abstersisque purificatorio digitis etc." Ex quibus patet, in supradicta Rubrica verba: „quos abstergit" esse tantum membrum interjectum, et tò *interim* ad ablutionem digitorum referendum esse. Conf. *Martinucci* l. c. n. 127., ubi idem docet.

tione versus crucem,[33]) purificatorium manu sinistra mento supponit, et manu dextera calicem accipit, et ablutionem unico haustu sumit, et tunc os et calicem cum purificatorio mundat. Si forte aliquod fragmentum hostiæ in calice vel super patena remansit, illud sumat.

15. Posito deinde extra corporale a parte Evangelii calici patenam cum palla et velo superimponat.[34]) Deinde plicet corporale, accipiat manu sinistra bursam, et in ea corporale manu dextra ita reponat, ut apertura bursæ versus se ipsum (celebrantem) prospiciat. Tunc sinistrâ calicem ad nodum sub velo accipiat, eumque dextrâ super bursam posita in medio altaris deponat; velum autem ita accommodet, ut calicem saltem a parte anteriore totum cooperiat, secundum decretum S. R. C., ut Meratus ait.[35])

[33]) Hic a Rubrica non præscribitur inclinatio capitis; vide supra adnot. 27. cap. II.

[34]) Rubrica hisce verbis effertur: „Quo facto purificatorium extendit super calicem, et desuper patenam ac super patenam parvam pallam: et *plicato corporali*, quod reponit in bursam, *cooperit calicem velo*, et bursam desuper ponit, et collocat in medio altaris, ut in principio Missæ.“

In una Erien. die 4. Septembr. 1875. ad 2. n. 5627. quæsitum est: „Facta in Missa digitorum ablutione post communionem, debetne sacerdos plicare purificatorium, an illud expansum seu non plicatum imponere calici?“ Et S. R. C. respondit: „Consulendi probati interpretes rubricarum.“ *Cavalieri* tom. V. cap. 24. n. 27. dicit: „Purificatorium super ipsum (calicem) extendit non plicatum, si ordinariæ sit magnitudinis, quia aliter plicandum foret.“ *De Herdt* tom. 1. n. 271: „Purificatorium plicatum super eumdem (calicem) extendit, ita ut extremitates versus cornu epistolæ et evangelii pendeant.“ Quæ sententia De Herdt nobis magis placet, nempe purificatorium plicare et calici imponere, uti ad præparationem calicis fit, ita ut extremitates ejus ab utraque calicis parte pendeant.

[35]) Decretum a Merato citatum habetur apud Gardellini n. 3459. die 1. Mart. 1698. in una Prag. ad 1.; ubi quæritur: „Utrum calix in fine Missæ debeat totus velari in parte anteriori, prout ab initio Missæ?“ Et S. R. C. respondit: „Ante versiculum, quod dicitur Communio, cooperiendum velo calicem in anteriore parte, prout ante confessionem.“ Conferatur decret. Urbinaten. 12. Jan. 1669. in nota 12. ad Cap. I.

16. Notandum, die Nativitatis Domini in prima et secunda Missa sumpto Sanguine calicem non purificari neque abstergi purificatorio, cum digiti in alio vase ad hoc apposito purificentur. Dicuntur tamen orationes *Quod ore* et *Corpus tuum:* et illis dictis calix patena, super quam alia hostia cum palla ponitur, et velo obtegitur, purificatorium autem a parte Epistolæ collocatur.[36])

---

[36]) In celebratione trium vel duarum Missarum ut in Nativitate Domini vel *binationis* causa, contingere potest, ut vel *continuo in eodem altari* celebrentur, vel, si *non continuo* saltem *in eadem ecclesia* vel tandem *in diversis ac dissitis ecclesiis.* Pro variis his casibus tam in purificatione quam in asservatione *calicis* diversa agendi ratio servanda est.

1. *De casu quo sacerdos tres Missas continuo in eodem altari celebrat.* De hoc casu habet Martinucci lib. 1. cap. 20. n. 6. sequentia: „Postquam in prima Missa Ss. Sanguinem Christi sumpserit, calicem palla cooperiet, junctisque manibus dicet orationem *Quod ore sumpsimus* etc. Deinde purificabit digitos in vasculo vitreo ibi præparato et alteram recitabit orationem *Corpus tuum Domine* etc. tum digitos purificatorio exterget, quod complicatum sistet prope corporale" (*non* autem abstergit *calicem, neque os suum* purificatorio. S. R. C. 16. Sept. 1702. in regn. Portugall. n. 3635). „Deinde patenam pallæ", (*non* vero purificatorium, neque cochlear, si hoc adhiberi consuevit) „hostiam patenæ superimponet, calicemque cooperiet velo" (sed non corporale plicetur) „et ad Missale accedet ad legendum ℣. *Communio* et Missam prosequetur. Idipsum servabit etiam in secunda Missa. In tertia autem purificationem ablutionemque accipiet"; (et ablutio primæ et secundæ Missæ unacum ablutione tertiæ sumitur, vel post Missas in sacrarium infunditur.)

Quoad Offertorium in secunda et tertia Missa conferatur adnotatio 3. et 16. capitis VII.

Denique post sumptionem Sanguinis, eundo ad medium altaris et inde redeundo, non est facienda genuflexio; ad *Dominus vobiscum* vel ad dandam benedictionem, more solito celebrans se vertit ad populum, quamvis species vini non sint exsiccatæ in calice. S. R. C. 20. Jul. 1686. in Angelopolit. ad 9. n. 3120. Tunc tantum genuflectitur, antequam inchoatur secunda et tertia Missa, si Ss. Sacramentum in tabernaculo reconditum est.

2. *De casu quo sacerdos duas vel tres Missas non continuo, sed in eadem ecclesia celebrat.* Prænotandum est, sacerdotem tam in secunda quam in tertia Missa *eodem calice* ad celebrandum uti debere, cum usus duorum calicum tamquam in Ecclesia novus reprobatus sit die 16. Sept. 1815. Ex S. C. Concilii ad S. C. Rituum n. 4515.

Quo autem modo celebrans se gerere debeat, videndum est in instructione, ex commentariis Bartholomæi Gavanti et Cajetani M. Me-

CAPUT XI.

De modo administrandi Communionem infra Missam.

i particulæ pro personis, quæ communicare volunt, super altare positæ sunt, sacerdos sumpto Sanguine et antequam purificationem sumat,

rati desumpta, quæ in Appendice Ritualis Romani nuper editi exhibetur et sequentem tenorem habet:

„Sacerdos post haustum in prima Missa diligenter Sanguinem Domini, omissa consueta purificatione, patena calicem et palla patenam tegens, ac super corporale relinquens, dicet junctis manibus: *Quod ore sumpsimus Domine* etc. Deinde digitos, quibus Ss. Sacramentum tetigit, in aliquo vase mundo, ad hoc in altari præparato, abluet, interim dicens: *Corpus tuum Domine* etc., abstersisque purificatorio digitis, calicem velo cooperiet, velatumque ponet super corporale extensum."

„Absoluta Missa, si nulla in ecclesia sit sacristia, calicem eodem modo super altare relinquet; secus vero in sacristiam deferet, ibique super corporale vel pallam in aliquo loco decenti et clauso collocabit usque ad secundam Missam, in qua, cum eodem calice uti debeat, illum rursus secum deferet ad altare, ac super corporale extensum reponet."

„Cum autem in secunda Missa sacerdos ad Offertorium devenerit, ablato velo de calice, hunc parumper versus cornu Epistolæ collocabit, sed non extra corporale; factaque hostiæ oblatione cavebit, ne purificatorio extergat calicem, sed eum intra corporale relinquens leviter elevabit, vinumque et aquam eidem caute imponet, ne guttæ aliquæ ad labia ipsius calicis resiliant, quem deinde nullatenus ab intus abstersum more solito offeret."

Notamus hic ex decreto S. R. C. 15. Sept. 1815. supra cit., in fine Missæ velum *circumligandum esse* calici, prout fit in repositione Sacri Corporis Feria V. in Cœna Domini, et si in altari exstat tabernaculum, calicem super corporale in eodem reponi posse.

3. *De casu quo sacerdos duas vel tres Missas in diversis ac dissitis ecclesiis celebrat.* Huic casui S. R. C. instructione die 12. Sept. 1857. edita et a Summo Pontifice die 11. Martii 1858. adprobata providit, quæ etiam in Appendice Ritualis Romani nuper editi recepta est et in collectione Gardelliniana sub num. 5261. Plur. Diœces. invenitur. Hæc instructio sic sonat:

„Quando sacerdos eadem die duas Missas dissitis in locis celebrare debet, in prima, dum divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super corporale ponat calicem et palla tegat, ac junctis manibus in medio altari dicat: *Quod ore sumpsimus* etc. et

calicem palla cooperit, particulas super patenam ponit,[1]) genuflectit et aliquantulum ad populum versus, humeris

subinde admoto aquæ vasculo digitos lavet dicens: *Corpus tuum* etc. et abstergat."

„Hisce peractis calicem super corporale manentem adhuc, deducta palla, cooperiat, ceu mos est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde patena ac palla, et demum velo."

„Post hæc Missam prosequatur, et completo ultimo Evangelio, rursus stet in medio altaris, et detecto calice, inspiciat, an aliquid divini Sanguinis necne ad imum se receperit, quod plerumque continget. Quamvis enim sacræ species primum sedulo sorptæ sint, tamen dum sumuntur, cum particulæ, quæ circum sunt, undequaque sursum deferantur, non nisi deposito calice ad imum redeunt. Si itaque divini Sanguinis gutta quædam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur, et quidem ex eadem parte, qua ille primum sumptus est. Quod nullimode omittendum est, quia sacrificium moraliter durat, et superexstantibus adhuc vini speciebus ex divino præcepto compleri debet."

„Postmodum sacerdos in ipsum calicem tantum saltem aquæ fundat, quantum prius vini posuerat, eamque circumactam, ex eadem parte, qua S. Sanguinem biberat, in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum purificatorio linteo abstergat, ac demum cooperiat, uti alias fit, atque ab altari discedat."

„Depositis vestibus sacris, et gratiarum actione completa, aqua e calice demissa pro rerum adjunctis vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus sacerdos redeat, Missam habiturus) et in secunda purificatione in calicem demittatur, vel gossipio aut stuppa absorpta comburatur, vel in sacrario, si sit, exsiccanda relinquatur, vel demittatur in piscinam."

„Cum autem calix, quo sacerdos primum usus est, purificatus jam sit, si illo ipso pro Missa altera indigeat, eum secum deferat; secus vero in altera Missa diverso calice uti poterit."

[1]) *Martinucci* lib. 1. cap. 24. n. 5. dicit, genuflectendum esse, antequam sacerdos particulas super patenam ponat: „Si particulæ erunt super corporale, celebrans prinsquam illas attingat, genuflexionem efficiet, ponet eas reverenter super patenam, genuflexionem iterabit, se convertet etc. . . . Si intra pyxidem particulæ positæ erant, consumpto calice . . et palla cooperto, genuflectet, pyxidem ad se admovebit, nempe ante calicem, eam deteget, iterabit genuflexionem, tum conversus ad populum dicet *Misereatur* etc." Hoc concordat cum Rubrica Missalis tit. 10. n. 6., quæ habet: „Si qui sint communicandi, in Missa sacerdos post sumptionem Sanguinis, antequam se purificet, *facta genuflexione* ponat particulas consecratas in pyxide, vel si pauci sint communicandi, super patenam, nisi a principio positæ fuerint in pyxide seu alio calice. . . . Tum sacerdos iterum genuflectit, et manibus junctis vertens se etc."

cornu Evangelii respicientibus, dicit orationem *Misereatur vestri* etc., etiamsi una tantum persona sit. Deinde sinistram infra pectus ponit, dextra vero crucem super communicantes facit, dicens: *Indulgentiam, absolutionem* etc. Tum ad altare se vertit,[2]) accipit patenam[3]) et unam harum particularum indice et pollice dexteræ totusque ad populum versus, etiamsi Sacramentum expositum sit,[4]) Hostiam aliquantulum

---

[2]) Hic alia genuflexio est facienda, antequam sacerdos patenam cum hostia accipiat, uti ex Rubrica modo citata patet: „Postea (i. e. post signum crucis super communicandos factum) *genuflectens*, accipit manu sinistra pyxidem seu patenam cum Sacramento.“ Eamdem genuflexionem præscribit Rituale Romanum Tit. IV. cap. 2. n. 3.: „Deinde ad altare se convertit, genuflectit, manu sinistra pyxidem prehendit etc.“

[3]) Aliqui Auctores usum afferunt, sacerdotem in distributione communionis adhibere posse purificatorium, a purificatorio Missæ distinctum, et illud sumere inter indicem et medium digitum sinistræ manus. ita ut super tres ultimos digitos ab utraque parte pendeat. De tali usu nec Rubricæ Missalis, nec Rituale Rom., nec Cæremoniale Episcopor., nec Memoriale Rituum quid habent, ideoque merito *Martinucci* lib. 1. cap. 24. n. 6. in nota scribit: „Novus est ritus, quo quidam sacerdos utitur, accipiendi nempe pyxidem vel patenam simulque sinistra sustinendi purificatorium. Si ad abstergendum identidem pollicem cum indice dextero adhibendum esset purificatorium, contingere facillime posset, ut fragmenta fortasse digitis prædictis adhærentia, potius quam purificatorio inhærescerent, super pavimentum decíderent.“ Item *Baldeschi* p. I. c. 3. art. 1. n. 8. in nota hunc usum reprobat.

Non potest sacerdos s. Communionem sive intra sive extra Missam administrans tenere patenam inter digitos manus sinistræ, qua sacram pyxidem gestat, ut eam sic mento communicantium supponat. sed cura et sollertia sacerdotis supplere debet, ut præcaveatur sacrorum fragmentorum disperditio. S. R. C. 12. Aug. 1854. in Lucion. ad 21. et 22. (Anal. Jur. Pont. II. p. 2188.) Patenæ vero suppositio per sacerdotem cotta indutum in *Communione generali*, quæ per dignitates agitur, retinenda est. S. R. C. 3. Sept. 1661. in una Adrien. n. 2127.

[4]) Praxis tamen Urbis habet, ut de altari, ubi expositum est Ss. Sacramentum, non detur Communio. Quod confirmatur decreto S. R. C. quo Monialibus Ordinis S. Claræ civitatis Tarentinæ conceditur, ut Missa conventualis sine cantu ad altare expositionis celebretur, *dummodo in Missa sacra Eucharistia non distribuatur.* Die 12. Nov. 1831. in una Tarent. n. 4677. — Si Ss. Sacramentum exponatur eo tempore, quo fideles ad Communionem accedere solent, sacra pyxis in alio altari deponetur juxta praxim in Urbe. Et ita faciendum esse, scripsit

elevat, quin tamen aliis digitis patenam tangat, et dicit: *Ecce Agnus Dei* etc. et ter *Domine non sum dignus.*[5]) Dando vero Communionem, cum ipsa particula super patena signum crucis faciat versus quemcumque communicantem, qui in gradu proximo pradellæ altaris[6]) genuflexus esse oportet, et dicat: *Corpus Domini nostri Jesu Christi* etc. Deinde ad altare reversus[7]) purificet corporale, fragmenta calici immittat, et purificationem sumat, ut supra dictum est.

Ven. Innocentius XI. die 20. Maji 1682. ad Archiepiscopum Mechlinen. (Dujardin œuvres complétes de S. Alphonse tom. 14. pag. 178.) Si autem in ecclesia unicum altare reperiatur, permitti potest distributio sacræ Communionis intra vel extra Missam coram Ssmo super altari exposito. S. R. C. die 26. Sept. 1868. in una Rhemen. n. 5411.

[5]) In una Ord. Min. Capucc. Helvet. quæsitum est: „An consuetudo dicendi: *Ecce Agnus Dei*, et *Domine non sum dignus*, idiomate vulgari est eliminanda, utpote contraria Rituali et Missali Romano?“ Et S. R. C. respondit: „Consuetudinem esse eliminandam.“ Die 23. Maji 1835. ad 5. n. 4748. — Et novissime quoad supradictam consuetudinem S. R. C. in una Ratisbonensi die 15. Aprilis 1880. ad 6. declaravit: „Quæ ad administrationem Sacramentorum formulæ pertinent, debent *latino idiomate* omnino exprimi, exceptis patrini et matrinæ responsionibus in Sacramento Baptismi, et verbis consensus conjugum in sacramento Matrimonii.“

[6]) Rituale Romanum tit. 4. cap. 2. Ord. administr. S. Comm. n. 4. dicit: „Postea ad communicandos accedit, incipiens ab iis, qui sunt ad partem Epistolæ.“ (Idem docet Missalis Rubrica l. c.) „Sed primo, si sacerdotibus vel aliis ex clero danda sit Communio, iis ad gradus altaris genuflexis præbeatur, vel si commode fieri potest, intra sepimentum altaris sint a laicis distincti. Sacerdotes vero cum stola communicent.“

In Missa privata minister sacrificii communicandus est ante ceteros quamvis digniores, non ratione præeminentiæ, sed ministerii. S. R. C. 13. Julii 1658. in una Galliar. n. 1907. Item docet Rituale Romanum l. c. n. 11.: „porrigit communicandis Eucharistiam, incipiens a ministris altaris, si velint communicare“.

[7]) „Finita Communione, revertitur ad altare, nihil dicens, non dat eis benedictionem, quia illam dabit in fine Missæ.“ Rit. Rom. l. c.

In una Toletana quæsitum est: „An possit tolerari conversio super humerum sinistrum, communicando Moniales habentes fenestrellam in parte Evangelii?“ Et S. R. C. declaravit, ac servari mandavit die 15. Sept. 1736. ad 8. n. 4055.: „Debere descendere et reverti per gradus anteriores, et non laterales altaris.“

2. Si vero particulæ jam consecratæ sunt, et in pyxide intra custodiam servantur, celebrans sumpto Sanguine calicem versus partem Evangelii collocet, et pollices ac indices unitos tenens aperiat custodiam, genuflectat, extrahat pyxidem eamque in medio altaris collocatam discooperiat, iterum genuflectat, et manibus ante pectus junctis exspectet, usque dum minister finiat *Confiteor*; deinde se vertat ad dicendas orationes *Misereatur* et *Indulgentiam* et det communionem modo supra dicto.

3. Cum pyxidem reponit, illam, ad altare reversus, statim cooperit, et facta genuflexione accipit [8]) et in tabernaculo reponit, non tamen illam osculetur, ut quidam inconvenienter faciunt: et antequam tabernaculum claudat, iterum genuflectat et tunc claudat. Meratus in hoc tres genuflexiones, unam adjiciens, requirit; vult enim, ut fiat prima genuflexio antequam pyxis cooperiatur, secunda autem, antequam, aperta custodia, pyxidem accipiat, tertia denique, antequam tabernaculum claudat: et citat pro sua opinione Cæremoniale Missæ privatæ: sed Cæremoniale non habet primam genuflexionem a Merato requisitam; dicit enim: *si remanserint particulæ, clausa pyxide et facta genuflexione reponit eam in custodiam, et antequam claudat illam, denuo genuflectat.* Bene igitur secundam et tertiam genuflexionem præscribit, non vero primam, antequam cooperiatur pyxis. Facta communione non det benedictionem, quia hæc in fine Missæ danda est: sumit guttulas Sanguinis, quæ in calice remanserunt, et tunc facit purificationem.

---

[8]) S. Alphonsus hic vult, sacerdotem, ad altare reversum, *postquam pyxidem clauserit*, genuflectere: sed S. R. C. die 23. Dec. 1862. in una Romana n. 5324. decrevit: „a sacerdote redeunte ad altare post fidelium Communionem genuflectendum, *antequam cooperiat sacram pyxidem*, et iterum genuflectendum, antequam, pyxide in tabernaculo posita, ipsius tabernaculi ostiolum claudat“. Recte tamen notat S. Doctor contra Meratum, non tres, sed duas tantum genuflexiones esse faciendas.

4. Hîc plura advertenda sunt:

I. Si particulæ supersunt, et pyxis in altari est, sacerdos illas in pyxide reponat: si vero non adest pyxis, illas sumat, antequam calicem purificet: et si in calice reliquiæ Sanguinis sunt, convenit, ut eas ante purificationem sumat. In casu vero, quo particulæ consecratæ usque ad finem Missæ super altare remanere deberent, sacerdos id observet, quod præscribitur, cum Sacramentum in altari expositum est.

5. II. Quantum fieri potest, communio populi facienda est intra Missam post communionem sacerdotis: hæc est enim intentio Ecclesiæ, ut dicitur in Rituali Romano: *Communio autem populi intra Missam statim post communionem Sacerdotis fieri debet, nisi quandoque ex rationabili causa post Missam sit facienda.* Et indicat rationem: *Cum orationes, quæ post communionem dicuntur, etiam ad alios communicandos spectent...* Idemque valet pro Communione ante Missam distribuenda. Talis rationabilis causa est vel infirmitas vel occupatio necessaria ejus qui communicare vult: addit Gavantus, posse dari communionem in fine Missæ si multi communicandi sunt, ne tædio afficiantur, qui non communicant. Ceterum dicit Benedictus XIV. in opere suo de sacrificio Missæ lib. 3. c. 18. n. 9. manifesto errare illos, qui indistincte in fine Missæ communionem dant. Idem dicunt Le Brun et Magri (vocab. eccl. verb. Communio), et idem præcepit S. Carolus Borromæus pro sua diœcesi.[9])

6. III. Si pyxis purificanda sit, (quod saltem singulis quindecim diebus fieri debet)[10]) sacerdos sumpto

[9]) Cum tamen sacerdos, sacris vestibus indutus, rationes examinare non possit, ex quibus fideles sacra Communione refici cupiunt, fere semper eam dare debet; cumque S. R. C. relatum esset, quemdam parochum fidelibus, post Missam Communionem petentibus, eam negare, ejus praxis improbata fuit. Vide Gardell. n. 4984.

[10]) Quoties pyxis purificanda est, toties hostiæ consecratæ sunt renovandæ; in utroque enim casu eadem ratio militat. Hostiæ enim sæpe renovandæ sunt, non tantum ad evitandam corruptionem ma-

sanguine pyxidem extrahat, et omnes particulas super

teriæ, sed etiam ut tanto Sacramento dignus honor servetur. Materia corrupta est invalida ad conficiendum sacramentum, et hostiæ consecratæ, si corrumpuntur, non possunt amplius fidelibus dispensari; nam in speciebus corruptis non manet amplius Christus Dominus. (*S. Alphons.* l. 6. n. 225.) Unde gravissimum peccatum committeret, qui pane corrupto uti vellet ad sacrificandum, vel hostias non renovaret, nisi postquam corrumpi inceperint. Sed peccaret etiam graviter, qui contra legem Ecclesiæ renovationem hostiarum multum differret: est enim lex justissima, de materia gravissima. Sed quoties de lege sacræ hostiæ innovandæ sunt? Habentur duæ Rubricæ. In Cæremoniali Episcoporum lib. 1. cap. 6. n. 2. legitur: „Saltem semel in hebdomade mutetur et renovetur." In Rituali vero Romano tit. 4. de Ss. Euch. Sacr. cap. 1. n. 7. hæc habetur regula: „Ss. Eucharistiæ particulas (parochus) frequenter renovabit, Hostiæ vero, seu particulæ consecrandæ, sint recentes; et ubi eas consecraverit, veteres primo distribuat, vel sumat." Apud Gardellini est longa adnotatio ad decretum Gandav. n. 4623. die 16. Decembris 1826. Dub. I., ubi auctoritate Conciliorum et decretorum S. R. C. probatur, non licere, renovationem Ss. Sacramenti ultra octo vel ad summum ultra quindecim dies differre. S. Carolus Borromæus in Concilio Mediolanensi IV. Provinciali statuit: „ut octavo quoque die renovetur Eucharistia, et quidem ex hostiis non ante viginti dies ad summum confectis". Innocentius IV. præscripsit, ut Græci in regno Cypri post quindecim saltem dies hostias renovarent; et Clemens VIII. Constit. *Sanctissimus* die 31. Aug. 1591. eumdem terminum quindecim dierum pro Italo-Græcis statuit. Habemus etiam decretum S. R. C. in Conchen. 3. Sept. 1672. n. 2602. ad 3., quo idipsum præcipitur: „In renovatione, quæ quolibet octavo die fieri debet de augustissimo Eucharistiæ Sacramento, consumi debet tum Hostia, tum etiam particulæ, quæ exsistunt in tabernaculo, post sumptionem Sanguinis ante purificationem etc."

Sed juvat, supracitatum decretum Gandavense afferre, quod his verbis exprimitur: „Rector ecclesiæ reperit in ecclesia sua consuetudinem renovandi panem pro sacrificio Missæ et communione fidelium singulis tribus mensibus tempore hiemis, tempore vero æstivo solitum confici pro sex mensibus; hinc quæritur: 1. An, attenta consuetudine, Rector licite consecrare possit species a tribus mensibus tempore hiemis, vel a sex mensibus in æstate confectas? 2. An in casu, quo Rector sive Pastor ecclesiæ praxim illam approbet, nec velit eam relinquere, alii sacerdotes in eadem ecclesia inservientes possint tuta conscientia in hoc Pastori obsecundare, utendo præfatis speciebus?" Et S. R. C. respondendum esse censuit: „Ad 1. Negative, et eliminata consuetudine, servetur Rubrica. Ad 2. Negative."

Jure merito S. R. C. præfatam consuetudinem reprobavit: nam, ut adnotator apud Gardellini dicit, tantum abest, ut istiusmodi consuetudo dici possit rationabilis et laudabilis, quin imo potius, ut de-

patenam ponat:[11]) deinde vinum pro prima purificatione in calicem infundat et indice fragmenta, quæ remanserunt, in illum immittat: et, si oporteat, etiam ad purificandam pyxidem parum vini adhibeat, quod in eumdem calicem refundet. Tum in pyxide purificatorio abstersa novas particulas ponat: et pyxide in custodiam reposita, veteres particulas sumat.[12])

7. IV. Advertendum, quod juxta decretum S. R. C. de anno 1741. in Missis defunctorum bene dari potest communio, sed prohibitum est dare cum particulis consecratis ante Missam. Nec obstat, quod dicunt Meratus et Cardinalis Lambertini de Sacrif. Miss. lib. 3. c. 18. n. 10., scilicet tale decretum non fuisse publicatum, quia ipsi de alio decreto facto anno 1701. loquuntur:

---

testabilis corruptela habenda sit, ac proinde omnino reprobanda et damnanda, etiamsi longissimi temporis observantiam ostentaret.

Varia Concilia provincialia recenter celebrata de frequenti renovatione hostiarum decreta fecerunt, quæ postea a S. Sede adprobata sunt. In Concilio Viennensi III. 4. statutum est: „De regula alternis saltem fiat hebdomadis, nullibi tamen ultra mensem differatur.“ Terminus unius mensis longior videtur; si tamen præscriptum servatur, ut hostiæ sint recentes, parum differt a decreto S. Caroli, qui quidem renovationem omni hebdomada faciendam ordinavit, sed hostiis a viginti diebus confectis uti permisit, ita ut fere mensem habeas.

Notamus adhuc, novas consecratas hostias numquam cum veteribus permisceri debere, sed in alia pyxide vel calice conservandas, vel primo distribuendas vel a sacerdote in Missa sumendas esse, uti ex Rituali Romano loco supra cit. n. 7. patet.

[11]) Vel ex pyxide sumat.

[12]) Eumdem fere modum proponit *Pavone* tom. II. n. 356. in nota, dicens: „Facta sumptione calicis indice dexteræ colligantur fragmenta, quæ in pyxide sunt, et eodem digito mittantur in calicem. Deinde statim in ipsam pyxidem infundatur parum vini, quo adjuvante dicto indice tota pars interior lavatur et abstergitur: et omnia fragmenta sic collecta fundantur cum vino in calicem. Deinde pyxis purificatorio abstergitur, clauditur et extra corporale ponitur (nisi sit, qui eam in sacristiam portet) sed absque solita veste.“ — Pyxidem vero vino purificare non est necesse, sed fragmenta quoque indice in calice poni possunt; sed id tantum admittendum, quando pyxis est exigua, adeo ut sacerdos solo indice vel pollice dextero circumlato eam omnibus minutissimis fragmentis detergere queat.

sed exsistit decretum anni 1741., id exprimens: et istud decretum utique publicatum est.[13]) Hoc tamen intelligendum est, quando Missa in paramentis nigris, non vero, quando in violaceis dicitur: quod bene fieri potest juxta decretum diei 21. Junii 1670. apud Meratum in indice decretorum n. 444.[14])

---

[13]) Decretum hic a S. Alphonso citatum die 2. Sept. 1741. in Aquen. ad 4. habetur apud Gardellini sub num. 4119.

[14]) Hæc decisio invenitur apud Gardell. sub num. 2504. in una Oritana.

Praxis etiam Romanæ Ecclesiæ conformis erat doctrinæ S. Alphonsi: commendabat vero auctoritas ecclesiastica, ut de colore violaceo in Missis Defunctorum parcus usus haberetur. Die autem 23. Julii 1868. S. R. C. decretum generale edidit (ap. Gardell. n. 5403.), quo color violaceus in Missis Defunctorum prohibetur, sed Communio in iisdem Missis in colore nigro dictis, etiam cum particulis antea consecratis permittitur. Hoc decretum sonat: „Posse in Missis Defunctorum cum paramentis nigris sacram Communionem fidelibus ministrari, etiam ex particulis præconsecratis, extrahendo pyxidem a tabernaculo. Posse item in paramentis nigris ministrari Communionem immediate post Missam Defunctorum; data autem rationabili causa, immediate quoque ante eamdem Missam; in utroque tamen casu omittendam esse benedictionem. Missas vero Defunctorum celebrandas esse omnino in paramentis nigris, adeo ut violacea adhiberi nequeant, nisi in casu, quo die 2. Novembris sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum publicæ fidelium adorationi sit expositum pro solemni Oratione XL Horarum, prout cautum est in decreto Sacræ hujus Congregationis die 16. Septembris anni 1801.“ Et ita decreverunt (Rmi Patres), ac ubique locorum, si Ss. Dño Nostro placuerit, servari mandarunt die 27. Junii 1868. — Sanctitas Sua hoc decretum adprobavit et confirmavit die 23. Julii 1868.

Juxta hoc decretum omittenda est benedictio, si distributio Communionis sive ante sive post Missam de Requie fiat; non autem omittenda est Antiphona *O sacrum convivium*, uti patet ex sequenti decisione S. R. C.; omittitur tamen *Alleluja* tempore paschali.

In una Senen. die 26. Nov. 1878. quæsitum est: „Quum tempore paschali administrandum est Ss. Eucharistiæ Sacramentum ante vel post Missam de Requie, debentne dici Oratio et Versiculi de tempore atque *Alleluja*?“ Et S. R. C. declarare censuit: „Affirmative quoad Orationem et Versiculos; negative quoad *Alleluja*.“ (Acta S. Sed. tom. 12. p. 642.)

CAPUT XII.

De Communione extra Missam, vel ante, vel post Missam distribuenda.

Si communio danda sit extra Missam, sacerdos cotta et stola alba [1]) indutus accedit ad altare: cum eo pervenerit, deponit birretum, genuflectit

[1]) In una Tridentina die 12. Martii 1836. ad 13. n. 4777. quæritur: „An stola pro ministranda Ss. Eucharistia extra Missam semper esse debeat coloris officio illius diei convenientis, ut præscribit Rituale Romanum, vel potius esse debeat alba, prout valde conveniens Sacramento Eucharistiæ, ut multi censent Doctores?" Et S. R. C. respondit: „Juxta Ritualis Rubricam debet esse coloris Officio convenientis." Non obstante hoc decreto plures graves Auctores autumant, præter stolam coloris officio convenientis posse adhiberi stolam albam, tamquam maxime propriam Ss. Sacramento. Econtra autem scribit *Martinucci* lib. 1. cap. 24. n. 19. in nota: „Quæcumque demum opinio sit gravium Auctorum, quos magni facimus, qui affirmant posse et debere Communionem administrari cum stola albi coloris, quum admodum pateat Ritualis dispositio, quæ nullis subjici potest interpretationibus, existimamus, non esse in iis adhærendum, et legem positivam nobis potius sequendam, quam privatam opinionem scriptorum ceteroquin eruditorum et insignium."

Notandum alterum decretum quoad stolam deferendam in administratione Ss. Eucharistiæ. In una Venetiarum die 11. Augusti 1877. n. 5706. propositum est dubium: „In administratione Ss. Eucharistiæ extra Missam a Rubrica Ritualis Romani præscribitur stola coloris Officio illius diei convenientis, quæritur, an stola coloris Officii vel Missæ adhibenda sit: 1. In Feria V. Majoris Hebdomadæ: 2. in Vigiliis et feriis Quatuor Temporum, vel feria 2. Rogationum (vel in feriis Quadragesimæ, ubi octavæ concessæ sunt) quæ infra octavam privilegiatam occurrunt, si juxta Rubricas Breviarii et Missalis Romani officium de Octava et Missa de Vigilia vel Feria celebratur?" Et S. R. C. rescribendum censuit: „Ad utrumque servetur Ritualis Romani Rubrica, et ubi vigeat consuetudo administrandi Ss. Eucharistiam cum stola albi coloris fidelibus paschale præceptum adimplentibus toleranda." Ex quo decreto patet, tunc tantum a præscripto Ritualis recedendum esse, quando aliquo in loco est consuetudo, communionem paschalem cum stola alba administrandi.

Diversa decreta (ap. Gardell. n. 753. ad 1.: n. 3484.; n. 4214.; n. 4365.) præscribunt, sacramentum Eucharistiæ administrandum esse cum superpelliceo, nec licere, stolam mozzettæ vel cappæ superimponere.

in primo gradu,[2]) adscendit ad altare,[3]) accipit bursam, quam corporali extracto suo loco reponit[4]): tunc explicato corporali aperit custodiam, genuflectit, extrahit pyxidem, qua aperta iterum genuflectit. Deinde dicto a ministro *Confiteor* iterum genuflectat,[5]) et manibus junctis

[2]) *Martinucci* lib. 1. cap. 24. n. 12. dicit: „In medio ante altare pavimento genuflexionem efficiet"; item *De Herdt* tom. I. n. 275.: „Deposito birreto genuflectit unico genu in plano." Quod concordat cum Cærem. Episc. lib. 1. c. 15. n. 5. et decreto S. R. C. die 12. Nov. 1831. ad 51. n. 4669. Conf. adnot. 21. cap. II.

[3]) In una Tridentina die 12. Martii 1836. ad 12. n. 4777. quæsitum est: „An toleranda sit, vel eliminanda consuetudo inveterata, sacerdotem, qui ad altare aliquod ad celebrandum accedit, vel ab eo recedit, sic sacris vestibus sacrificii indutum, et præ manibus calicem tenentem, adscendere in transitu ad altare, in quo adest Ss. Eucharistia, ut ibi sacram Communionem fidelibus distribuat? Et quatenus non sit toleranda, utrum depositis planeta et manipulo in sacristia accedere possit cum alba et stola?" Et S. R. C. respondit: „Si adsit necessitas tolerari posse."

[4]) In una Congregationis Clericorum regularium S. Crucis et Passionis D. N. J. C. (ap. Gard. n. 5068.) hæc proposita sunt dubia:

„1. An semper adhibenda sit bursa cum corporali, supra quod reponenda sit sacra pyxis, quoties administratur communio Christifidelibus extra Missam, uti innuitur in Ritualis Romani Rubrica, et clare docetur a Gavanto aliisque sacrorum Rituum expositoribus?"

„2. An Rituale Romanum, prout in casu, intelligendum sit, quod assumi debeat bursa cum corporali tantum, quando sacrum Viaticum defertur ad infirmos, an toties quoties extra Missam sacra præbetur synaxis?"

„3. An Rubrica Ritualis Romani sit, prout in casu, præceptiva, vel tantum directiva et ad libitum?"

„4. Quum expletur Communio extra Missam quæritur, an tolerari debeat consuetudo utendi palla, qua calix tegitur in Missæ sacrificio, semper super altaris mensa ante tabernaculum manente?"

Et S. R. C. die 27. Febr. 1847. respondit: „Ad 1. Affirmative juxta Rituale. Ad 2. In administratione Eucharistiæ intelligendum. Ad 3. Præceptivam esse. Ad 4. Jam provisum in superioribus." — Iterum in una Neapolitana (ap. Gardell. n. 4950.) quæsitum est: „An sacerdos pergens ad explendam Communionem extra Missam debeat per se vel per ministrum deferre bursam, in qua corporale recluditur?" Et S. R. C die 24. Sept. 1842. ad 3. respondit: „Decere, ut a sacerdote deferatur."

[5]) S. Alphonsus ter genuflectendum esse præscribit, sed a Rubricis duplex genuflexio determinatur, antequam sacerdos Communionem administret: nimirum *prima*, antequam extrahat e tabernaculo pyxidem, *altera* post discoopertam super altare pyxidem. Ita in decr. S. R. C. 23. Dec. 1862. n. 5324.

se ad populum vertat et dicat *Misereatur* etc. ut supra, et communionem distribuat.[6]) Idem observetur in communione, quam celebrans ante vel post Missam dat.[7])

2. Facta communione sacerdos ad altare reversus voce submissa[8]) dicet Antiphonam (quæ tantum consilii est).[9]) *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Tempore paschali et infra Octavam Corporis Domini additur *Alleluja.*[10]) Deinde dicuntur versiculi ℣. *Panem de cœlo præstitisti eis.* ℟. *Omne delectamentum in*

---

[6]) Consuetudinem pulsandi a ministro campanulam, quoties ministratur Communio fidelibus ad verba: *Domine non sum dignus* etc. *tolerari posse,* quamvis tunc temporis recitatur Officium, dummodo sit in parte ecclesiæ, in qua non videtur celebrans. S. R. C. die 14. Maji 1856. in una Ord. Min. S. Franc. ad 9. et 10. n. 5224.

[7]) Hic notare placet dubium in una Veronen. de die 16. Maji 1833. ad 1. n. 4707. expositum: „Utrum tuto sequi valeat regula Ritualis Parisiensis, sic expressa: Si, quando Communio danda est, inventus non fuerit sufficiens numerus hostiarum, poterunt aliquot hostiæ dividi in plures particulas, quæ singulis distribuantur: et quatenus non sit sequenda, utrum quibusdam saltem in circumstantiis temporis locorum et personæ sequi possit?" Et S. R. C. respondit: „Servetur consuetudo dividendi particulas consecratas, si adsit necessitas."

[8]) S. Alphonsus dicit: *sotto voce;* sed cum minister respondere debeat, dicendum erit voce mediocri. Pavone tom. II. n. 404. notat, ministrum juxta Rituale respondere debere; hanc vero Rubricam testibus Merato et Cavalieri universaliter non observari et omnia a sacerdote dici submissa voce. Romæ tamen dicuntur illæ preces voce intelligibili et minister respondet.

[9]) Concordat cum S. Alphonso *Baruffaldus* tit. 24. n. 68. dicens „Antiphona, quæ a S. Thoma Aquinate, Angelico Doctore, composita est, præcipitur a Rubrica de consilio, non autem de præcepto, per illa verba: *dicere poterit*, quæ obligationem indispensabilem non important. Ideo si quis eam omitteret, non peccaret." Hæc porro Antiphona dicenda est non in via, sed postquam sacerdos ad altare reversus fuerit; dicit enim Rubrica: „Sacerdos *reversus.*"

[10]) „Tempore paschali (sic habet Rubrica Ritualis Romani l. c. cap. 2. n. 6.) dicitur Oratio: *Spiritum nobis Domine* etc." (ex Postcommunione Sabbati Sancti.) In Oratione *Deus qui nobis* Passionis Domini memoria fit, ideoque (ait Baruffaldus), ut concordet Oratio cum solemnitate, hæc loco antecedentis intrat.

se habentem: cum Oratione *Deus qui nobis sub Sacramento:*[11]) etc. sed non præmittitur *Dominus vobiscum* juxta decretum S. R. C. die 16. Junii 1660.[12])

3. Si quod fragmentum digitis adhæserit, illud in pyxidem decidere faciat. Deinde clausa pyxide digitos in vase aquæ purificet, et purificatorio abstergat, genuflectat, pyxidem in custodia reponat et iterata genuflexione claudat.[13]) In fine oculos ad crucem ele-

---

[11]) A Rituali Romano l. c. præscribitur in hac Oratione integra conclusio: *Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate* etc.

[12]) S. Alphonsus supra vult, Orationem dicendam esse *absque Dominus vobiscum*, et citat pro hac opinione decretum S. R. C. de die 16. Junii 1663., ubi quæritur: „An in festo Corporis Christi in reponendo Ssmo servanda sit dispositio Cæremonialis Episcoporum quoad Orationes, vel potius Ritualis Romani, ubi dicitur addi *Dominus vobiscum*?“ Et S. R. C. respondit: „Servanda est dispositio Cæremonialis Episcoporum lib. 2. cap. 33. de festo Ss. Corporis Christi, ubi nulla fit mentio de versu *Dominus vobiscum*, sed jubetur tantum post ℣. *Panem de cœlo* etc. et ℟. *Omne delectamentum* etc. cantari Orationem. Et sic servat in Urbe Ssmus Dominus N., observatur ab omnibus. quidquid alii in contrarium asserant.“ (Gardell. num. 2223. ad 7.) Idem inculcatum est in una Salernitana num. 2752. de die 28. Sept. 1675. Ex his decretis Baruffaldus, Meratus et quidam alii concluserunt, non licere hodie post communionem fidelium Orationi præmittere *Dominus vobiscum.* Sed in hoc errant. *Pavone* enim l. c. tom. II. n. 433. bene notat, non licere dicere *Dominus vobiscum*, quando *cum ipso Ss. Sacramento benedictio* datur, quia benedictio cum Sanctissimo est realis et validior deprecatio, quod Dominus sit cum adstantibus, quam ea, quæ per vocem ministri exprimitur. Quando vero non datur benedictio cum Sanctissimo, tunc dicendum est *Dominus vobiscum.* Decreta supra relata proprie de benedictione cum Sanctissimo agunt, et propterea non admittunt versiculum *Dominus vobiscum.* Sed minime extendenda sunt prædicta decreta ad Communionem fidelium, qua peracta sacerdos manu benedicit: unde etiam in Rituali Romano tam ante quam post decreta relata semper legitur præscriptio, dicendum esse ante Orationem versiculum *Dominus vobiscum.* Sententia P. Pavone confirmata est decreto S. R. C. de die 24. Sept. 1842. ad 3. (ap. Gardell. num. 4947.) Cum enim in una Tertii Ord. S. Franc. quæstio proponeretur: „An in Communione fidelibus ministranda, post versum: *Panem de cœlo* etc. dici omnino debeant ante Orationem alii versus: *Domine exaudi* et *Dominus vobiscum*?“ S. R. C. respondit: „Affirmative, ut præscribitur in Rituali Romano.“

[13]) Juxta decisionem S. R. C. 23. Dec. 1862. sacerdos pyxidem super corporale in medio altari reponit, *genuflectit*, si fragmentum ad-

vat, et manus extendens ac iterum conjungens, et simul inclinationem simplicem, sed maximam faciens,[14]) dicit alta voce: *Benedictio Dei omnipotentis*: tunc manibus junctis se ad eos, qui communione refecti sunt, vertit, et sinistram infra pectus ponens, dextera benedictionem dat, dicens: *Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, descendat super vos et maneat semper.* Et minister respondeat: *Amen.*

4. Quæ benedictio tam ante quam post Missam datur: et quidem manu, non vero pyxide, ut aliqui male faciunt,[15]) maxime quando monialibus communionem

---

hæserit digitis, illud in pyxidem excutit, eam cooperit, et digitos purificat; deinde dicit Antiphonam, versiculos et Orationem, postea reponit pyxidem sine nova genuflexione in tabernaculo, denique iterum genuflectit et ostiolum claudit.

[14]) In una Veronen. de die 16. Martii 1833. n. 4707. ad 6. quæritur: „Utrum in Communione fidelium extra Missam sacerdos, antequam populo benedicat, osculari debeat altare ut præcipit Pontificale Romanum de Visitatione, vel non, ut Rituale Romanum innuere videtur?“ Et S. R. C. respondit: „Servetur dispositio Ritualis Romani, nihil præscribentis.“

Iterum quæsitum est in Lucionen. die 12. Aug. 1854. ad 7C. (Anal. Jur. Pont. tom. II. pag. 2201.): „An sacerdos in fine administrationis Communionis extra Missam, proferens verba: *Benedictio Dei omnipotentis Patris* etc. debeat extendere manus eodem ritu ac dum dicit in fine Missæ: *Benedicat vos omnipotens Deus*, sicut docent Cavalieri tom. 4. cap. 4. dec. 13. n. 41. et alii, aliis contradicentibus, et Rituali hunc ritum non indicante? vel dicendo hæc verba tenere manus junctas, et tantum inclinare caput?“ Et S. R. C. respondit: „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.“

[15]) In una Ordinis Capucc. Provinciæ Helvetiæ de die 23. Maji 1835. ad 1. n. 4748. quæritur: „An consuetudo benedicendi populum cum sacra pyxide, quoties Eucharistia distribuitur, sit servanda, vel potius an benedicendus sit populus manu dextera tantum, uti habetur in Rituali Romano et in una Urbinat. diei 16. Jan. 1793?“ Et S. R. C. respondit: „Negative ad primam partem, affirmative ad secundam juxta Rituale Romanum et decretum Urbinaten. diei 16. Jan. 1793.“

S. R. C. concessit Archidiœcesi Salisburgensi die 15. Febr. 1873. (ap. Gardell. num. 5531.) itemque Archidiœcesi Bambergensi die 28. Apr. 1873. (ap. Gardell. n. 5543.) consuetudinem a tempore Lutheri invectam et constanter hucusque servatam benedicendi populo cum Ss. Sacramento ante sacras functiones et in fine, quoties exponitur; *necnon cum pyxide post ministratam sacram synaxim.* Quæ con-

dant: et hoc declaratum est etiam a Benedicto XIV. in quadam bulla. Quod si igitur monialibus communio data est, pyxis, cum clausa fuerit, relinquatur super fenestrella et sacerdos manu monialibus benedictionem det.[16])

---

cessio est *exceptio a regula generali* et data tantum *ob speciales* ibi exsistentes *circumstantias et ad evitanda fidelium scandala*, uti eadem S. R. C. die 1. Junii 1873. in una Ratisbon. (ap. Gardell. num. 5559.) declaravit, itaque *non ubique* imitanda. „Rescriptum Sacræ Congregationis (est tenor hujus ultimæ decisionis) diei 15. Februarii anni vertentis, quo edicitur, nihil esse innovandum circa particularem vigentem consuetudinem benedicendi populo cum Ss. Sacramento etiam in principio sacrarum functionum, quæ, eo exposito, celebrantur, itemque cum pyxide post ministratam sacram synaxim, *valere exclusive pro iis locis pro quibus nominatim, ob speciales dumtaxat concurrentes circumstantias et ad evitanda scandala, editum fuit.*“

[16]) Hic subjungimus decretum in una Tuden. die 7. Sept. 1816. ad 37. n. 4526., ubi quæsitum est: „An die magni concursus ad indulgentiam plenariam vel jubilæum possit ministrari sacra Eucharistia fidelibus aliqua hora ante auroram et post meridiem?“ Et S. R. C. respondit: „In casu, de quo agitur, affirmative a tempore ad tempus, quo in illa ecclesia Missæ celebrantur, vel ad formam Rubricæ, vel ad formam indulti eidem ecclesiæ concessi.“ — De hac re agit *S. Alphonsus* in theol. mor. lib. 6. num. 252., ubi dicit: „Per se loquendo qualibet diei hora Communio dispensari potest, quia circa hoc nulla adest prohibitio . . . . Diximus *per se loquendo;* nam ut dicunt omnes Auctores non licet Eucharistiam ministrare noctu vel sub vesperis (id est in extrema diei parte) tum propter scandalum, tum propter hodiernam Ecclesiæ consuetudinem: contra Aversa apud Croix, qui dicit, esse quidem congruum, ut communio fiat mane, sed licere etiam sub vesperis: sed hoc tantum admittunt, si accedat aliqua specialis causa: et hoc probabile videtur, si fiat sub vesperis: nam intempesta nocte puto cum Salm. et Bon. non licere nisi in solo casu necessitatis.“

In Nocte Nativitatis Domini nullo modo licitum est, sacram communionem exhibere fidelibus eam deposcentibus. S. R. C. 20. Aprilis 1641. in Pisauren. n. 1319.; vide num. 1360.; 2969.; 3105. Quibus decretis ligantur etiam omnes religiosi, nisi habeant privilegium in contrarium, uti Moniales Ursulin., quibus conceditur, nocte Nativitatis Domini Eucharistiam recipere. S. R. C. 27. Julii 1720. in Aquilejen. n. 3940.

Feria V. in Cœna Domini et Sabbato Sancto inter Missarum solemnia fideles sacram Communionem recipere possunt: et si in ecclesia parochiali communicant, præcepto paschali satisfaciunt. Vide decreta num. 4583. ad 1. cum adnotatione, num. 4794. ad 6., n. 4499. *Merati* p. IV. tit. VIII. n. 8.

CAPUT XIII.

De Orationibus post Communionem et de fine Missæ.

Elinita purificatione et composito calice in medio altaris, ut dictum est supra cap. X. 15., sacerdos manibus ante pectus junctis ad cornu Epistolæ procedet, ibique voce intelligibili Antiphonam, quæ dicitur Communio, leget, statimque manibus pariter junctis in medium altaris redibit et osculato altari ad populum versus more solito dicet *Dominus vobiscum.* Deinde revertetur ad librum et dicet Orationem *Postcommunionem* omnesque alias, quæ dicendæ sunt eo die, primæ vero et secundæ orationi *Oremus* præmittet cum inclinatione versus crucem.

2. Advertendum, juxta Meratum tempore quadragesimæ in Missis feriarum, cum dicitur *Humiliate capita vestra Deo,* ante orationem, quæ in Missali ultimo loco ponitur, caput non esse de novo inclinandum, quia sufficit inclinatio facta ad præcedens *Oremus:* quod multum probabile est, quia Rubrica ita habet: *Dicet: Oremus. Humiliate capita vestra Deo, caput inclinans.*[1])

3. Absolutis Orationibus claudit Missale (nisi in fine Missæ Evangelium particulare dicendum sit) ita ut

---

[1]) In una Valentin. die 12. Dec. 1879. Dub. 3. dubium propositum est: „Passim a pluribus circumfertur quædam S. R. C. declaratio, qua sacerdos celebrans privatim infra tempus Quadragesimæ, ac dicens super populum etiam Orationem *Oremus. Humiliate capita vestra Deo,* caput cruci inclinare tenetur, dicens tantum *Oremus* et erecto rursum capite, subjungere debet *Humiliate* etc. In hujusmodi ritus testimonium affertur decretum S. R. C. 16. Maji 1833. in una Veronen., cum tamen in tertia editione Decretorum curis Gardellini collecta ad n. 4707. nihil sane super eo ritu legitur. Hinc quæritur, utrum standum sit ultimæ editioni Gardellini præfatæ, vel melius aliis præcedentibus? Et in casu de quo agitur, utrum inclinandum sit caput dicendo tantum *Oremus*, vel etiam subjungendo *Humiliate* etc., ut satis obvium est ex verbis ipsis Rubricæ Missalis tit. XI. n. 2." S. R. C. respondendum censuit: „Negative ad primam partem, affirmative ad secundam." (Acta S. Sedis tom. XII. p. 643.)

apertura clausa calicem respiciat; revertitur in medium altaris, illud osculatur, et ad populum se vertens repetit manibus extensis *Dominus vobiscum;* deinde manus ante pectus jungens versus populum dicit: *Ite missa est,* non tamen caput inclinat, et per integram Octavam Paschatis addit duo *Alleluja. Ite missa est* semper dicendum est, quando in Missa dictum est *Gloria;* si vero *Gloria* dictum non est, tunc sacerdos post *Dominus vobiscum* se vertit ad altare et erectus[2]) dicit *Benedicamus Domino,* vel *Requiescant in pace* in Missis Defunctorum. Deinde manus junctas super altare tenens et caput inclinans [*capite inclinato,* dicit Rubrica][3]) dicet secreto: *Placeat tibi, sancta Trinitas* etc., tunc manus separatas super altare extendens illud in medio osculatur, et se erigens oculos ac manus versus crucem elevat, ac statim manus iterum jungens et caput inclinans alta voce dicit: *Benedicat vos omnipotens Deus;* jam manibus junctis et oculis demissis (*demissis ad terram oculis* dicit Rubrica) se ad populum vertit, a latere scilicet sinistro ad dextrum, et manu dextera extensa, digitis unitis, ac sinistra infra pectus posita, populum benedicit, dicens: *Pater, et Filius † et Spiritus Sanctus.* Cum dicit *Pater,* incipiet crucem a fronte, manum extensam et in altum erectam tenens; cum dicit *Filius* ipsam demittet usque ad pe-

---

[2]) Rubrica tit. XI. n. 2. dicit: „Ubi stans versus ad illud (altare) *junctis ante pectus manibus* dicit *Benedicamus Domino.*"

[3]) S. Alphonsus hic vult inclinationem capitis juxta Rubricam generalem, sed in cap. XVII. n. 7. enumerat *Placeat* inter inclinationes mediocres, et non immerito; quamvis enim in Rubrica generali dicatur: „*caput inclinat*", Rubrica tamen Canonis habet: „*Sacerdos inclinat se ante medium altaris.*" Tò *inclinat* se non tantum exprimit inclinationem capitis, sed necessario in se includit aliquam motionem corporis, saltem incurvationem humerorum. Cum autem juxta decretum S. R. C. die 21. Martii 1741. ad 5. pari forma sequendæ sint tam Rubricæ generales quam particulares, videtur esse dicendum: Ad *Placeat* inclinationem mediocrem esse faciendam. Ita etiam *Turrinus* in Direct. Sacrific. p. I. sect. 3. cap. 4., *Bauldry* p. III. cap. 5. n. 6. et 7. *Tonnellius* Sacr. Enchir. l. III. cap. 1. §. 3. et alii.

ctus; et cum dicit *Spiritus Sanctus,* lineam transversam faciet, quæ latitudinem humerorum non excedat.

4. Data benedictione, circulum perficit, et ad cornu Evangelii progreditur, ibique manibus junctis et ad altare conversus[4]) dicit: *Dominus vobiscum.* Jam signum crucis dextro pollice signabit primo super altare (vel super librum in principio Evangelii), deinde super se ipsum in fronte, ore et pectore, et dicet Evangelium S. Joannis: *Initium sancti Evangelii* etc. (vel aliud occurrens); cum dicit *Verbum caro factum est*[5]) genuflectet, manus separatas super altare tenens, et statim se erigens dicet, quod superest. Hoc finito, tabellam vel Missale[6]) non

---

[4]) *De Herdt* tom. 1. n. 293. scribit: „Accedit (sacerdos) ad cornu Evangelii, ubi *oblique* (uti deducitur ex modo legendi alterum Evangelium) stans, seu parum conversus per suam sinistram ad populum." Quocum conveniunt *Hippolytus a Port.* tit. 12. r. 1. n. 19.: „Evangelium hoc secundum legitur eo ritu, quo primum post Epistolam." *Carpo* Cæremon. p. 2. n. 56.: „adit cornu Evangelii, ubi sinistro latere tantisper ad populum obverso, pronuntiat *Dominus vobiscum*", et *Martinucci* lib. 1. c. 18. n. 139.: „Se convertet ad dexteram *versus cornu* Evangelii" et n. 140.: „Dicens autem *Et verbum caro factum est,* genuflectet versus idem Evangelii cornu, *ad quod erit conversus.*"

Quod ultimum Evangelium in eadem positione legendum est, ut Evangelium infra Missam, videtur deduci posse ex ipsa Rubrica Missalis tit. XII. n. 1. Rubrica utique solummodo dicit: „Circulum perficiens accedit ad cornu Evangelii"; sed postea subjungit: „Cum dicit: *Et verbum caro factum est* genuflectit **versus cornu** Evangelii." Hæc genuflexio *non versus cornu* facienda esset, sed *versus altare,* nisi totum Evangelium in obliqua positione legendum esset, quia omnis ratio deest, cur sacerdos tantum ad genuflectendum se convertat ad cornu Evangelii.

[5]) Juxta Rubricam l. c. et S. Alphonsum genuflectitur solummodo ad verba: *Et verbum caro factum est;* non autem, ut multi minus recte faciunt, etiam ad sequentia: *Et habitavit in nobis.* Confer supra adnotat. 4. hujus capitis.

[6]) „Si aliud Evangelium", scribit *Martinucci* lib. I. cap. 18. n. 141., „e Missali legerit, non osculabitur textum, postquam legere desierit, sed librum claudet, efficiens ut libri apertura versa sit ad medium altare".

Si in fine Missæ legendum sit Evangelium alicujus Vigiliæ vel Feriæ, quod idem est ac Evangelium festi, omittitur Evangelium Vigiliæ vel Feriæ et legitur Evangelium S. Joannis, uti patet ex dispositione Missalis in festo Exspectationis B. M.V. (die 18. Dec. pro aliqu.

osculabitur, sed in medium altaris revertitur, ac facta reverentia versus crucem[7]) anteriorem partem veli super bursam plicabit; tunc sinistra calicem ad nodum accipiet, et dextera super bursam posita, a parte Epistolæ se vertit et usque ad infimum gradum altaris descendit, ibique, si Sacramentum adest, unum genu super gradu flectit,[8]) vel, si ibi Sacramentum non est, caput versus crucem inclinat[9]) *(caput inclinet* dicit Rubrica n. 6.): et Meratus cum aliis vult, ut profundam inclinationem faciat: postea birreto se cooperit et in sacristiam redit, interim dicens Antiphonam: *Trium puerorum* etc. cum cantico *Benedicite omnia opera* etc. Si alii sacerdoti obviam veniat, se invicem capite cooperto salutent.

5. Cum in sacristiam pervenerit, imagini principali profundam inclinationem faciat;[10]) tunc birretum sacras-

---

locis) et decisionibus S. R. C.: die 4. Sept. 1773. Conchen. n. 4367.; die 16. Septembris 1865. Æsin. ad 2. n. 5350.; die 27. Januarii 1877. De Zacathec. n. 5681.

[7]) Martinucci l. c. n. 142. dicit: „Sine ulla ad Crucem reverentia se convertet, descendet de altaris gradibus . . .“ Quod concordat cum Rubrica Missalis l. c. n. 6. et cum decreto S. R. C. die 12. Nov. 1831. in una Marsorum ad 30. Conf. adnot. 27. cap. II.

[8]) S. Alphonsus requirit, ut, si Sacramentum intra tabernaculum adsit, genuflectatur super gradu; sed juxta decisionem S. R. C. die 12. Nov. 1831. in una Mars. ad 51. in accessu ad altare, et in recessu *in plano* genuflectendum est.

[9]) In fine Missæ ad quodcumque altare celebratæ fit reverentia Cruci infra gradus, capite discooperto. S. R. C. die 13. Febr. 1666. in decret. ad Missal. ad 9. n. 2363. Hæc reverentia juxta Rubricam et S. Alphonsum debet esse maxima capitis inclinatio, quamvis alii auctores profundam corporis requirant. „Verum ita“, ait *Falise* Liturg. pract. Sect. 1. c. 1. §. 2. n. 6. „objiciunt Auctores: Rubrica supponit et alteram cruci salutationem præter capitis inclinationem faciendam; additur enim: *facta reverentia.* Ast non serio; ita enim duplex distincta requireretur inclinatio, altera capitis, corporis altera; et si tabernaculum adforet, post genuflexionem, etiam tunc corporis inclinatio esset facienda: quod utique non præscribit rubrica. Adest insuper ratio, cur post Missam inclinatio capitis tantum sit facienda; dignior tum enim est sacerdos, quippe qui corpore Domini nostri Jesu Christi refectus, christophorus est.“

[10]) Conferatur adnot. 4. cap. II.

que vestes unam post aliam ordine inverso relate ad illum, quo se vestivit, deponit, scilicet primo planetam, deinde stolam, manipulum, cingulum, albam et tandem amictum, osculando cruces earumdem vestium. Albam deponens primo brachium sinistrum, deinde dextrum super caput exuet.[11]) Quod si vestes super ipsum altare deponendæ sint, ponantur in cornu Evangelii. Deinde sacerdos recedet, ut hospiti, qui cum tanto amore in animam ipsius venit, gratias agat.[12])

[11]) „Plurimi auctores, inter quos Gavantus in Rubr. Miss. part. 2. tit. XII. n. 6. et Merati, suadent sacerdoti lavare manus in fine Missæ, postquam exuerit vestes sacerdotales. Alii econtra cum Diana p. 10. tr. 12. resp. 19., Hippolyto a Portu de Missa priv. rubr. 6. hanc lotionem faciendam esse negant, sive quia sacerdos jam lavit digitos in ablutione post communionem, ac sic ejus manus illud esse sacrum, quod habebant ex contactu Sacramenti, deposuerunt; sive quia rubricæ, quibus nihil addendum videtur, prorsus silent de hoc ritu. Hinc quæritur, an, occasione instaurationis sacræ liturgiæ Romanæ, expediat inducere hanc praxim in nostram diœcesim, in qua non est in usu?“ S. R. C. respondit: „Arbitrio et prudentiæ Ordinarii, sed non per modum præcepti.“ Die 12. Augusti 1854. in Lucion. ad 28. (Anal. Jur. Pont. II. pag. 2193.)

[12]) Dictum est supra adnot. 2. cap. I., nullum esse peccatum, omittere post Missam orationes in Missali pro gratiarum actione notatas, *dummodo sacerdos alias orationes dicat.*

In fine hujus capitis pauca adnotare velimus quoad *benedictionem contra tempestatem*, quæ in aliquibus Germaniæ locis a die 3. Maji usque ad 14. Septembris impertitur et quidem sequenti modo: post benedictionem sacerdotis in fine Missæ Ss. Sacramentum exponitur, postea ultimum Evangelium secundum Joannem cantatur, deinde sequuntur preces consuetæ et in fine datur benedictio cum Ssmo, interim sacerdote cantante vel dicente: *Benedictio Dei omnipotentis* etc., qui modus omnibus Ecclesiæ ordinationibus et Rubricis contradicit, et abusus omnino eliminandus considerari debet. Nam 1) expositio Ssmi Sacramenti sive in Pyxide sive in Ostensorio post benedictionem populi in fine Missæ est revera interruptio Missæ; quia hæc expositio est actio, quæ cum Missæ sacrificio nil commune habet, ad aliam cæremoniam extra Missam pertinet, et juxta Rituale Romanum sine præjudicio sacrificii omni diei tempore fieri potest. Insuper nullibi apud theologiæ moralis Doctores hanc vel similem causam invenies, quam sufficientem ad interrumpendam Missam afferunt. Confer *S. Alphons.* lib. 6. n. 352—354, *Quarti* p. II. tit. 3. sect. 2. dub. 4. et 5. *Tambur. Method. Miss.* lib. I. cap. 7. §. 7. *Laym.* lib. 5. tr. 5. cap. 7. cum *Croix, Salm., Trull. Pal.* et aliis. 2) Cantus ultimi Evangelii in fine Missæ nullibi

in Rubricis indicatur, neque in Missa solemni (Rubr. gen. II. tit. 11. n. 7.) neque cantata (l. c. tit. 6. n. 8.) neque in Canone Missæ, sed semper dicitur: *dicto* Evangelio vel *legit* Evangelium secundum Joannem. Præterea cantus ultimi Evangelii est novus ritus, in ecclesia Romana omnino ignotus, qui a S. Pio v. in Bulla *Quo primum*, Missali præfixa, stricte prohibetur. 3) Intra benedictionem cum Ss. Sacramento juxta præscriptum Ritualis Romani sacerdos numquam verba benedictionis dicere debet; nam non ipse benedicit, sed Dominus noster Jesus Christus.

Benedictio contra tempestatem ergo in fine Missæ sequenti modo danda est, si Rubricæ et ritus ab Ecclesia præscriptus observentur.

1. Si preces ad repellendas tempestates peragendæ sint coram Ss. Sacramento *in pyxide* exponendo: sacerdos, dicto ultimo Evangelio, deponit in latere Evangelii manipulum et planetam; deinde in medium altaris reversus exponit Ss. Sacramentum, descendit in planum et genuflexus in infimo gradu recitat preces præscriptas.

2. Si coram Ss. Sacramento *in ostensorio* exponendo: sacerdos, quando *sine* sacris Ministris celebravit, dicto ultimo Evangelio, in eodem Evangelii latere deponere poterit manipulum et planetam; tum in medium altaris reversus exponit Ss. Sacramentum et descendit per gradus laterales ad cornu Epistolæ in planum, ibique accipit pluviale. Postea in plano ad altare progressus et facta genuflexione utroque genu, imponit thus et in infimo altaris gradu genuflexus incensat Ss. Eucharistiam triplici ductu, et tam ante, quam post incensationem profunda facta capitis inclinatione (S. R. C. die 26. Martii 1859. in Tarnovien. ad 3. n. 5285.); deinde dicit preces consuetas.

3. Quando vero Missa *cum* Ministris sacris celebrata fuit, sacerdos, lecto ultimo Evangelio et facta cum Ministris genuflexione in medio altari, descendit cum iisdem per gradus laterales ad cornu Epistolæ, ubi, depositis manipulis et planeta, celebrans induitur pluviali. Deinde accedunt in plano ad altare, fitque expositio Ssmi et preces peraguntur.

4. Si autem Missa *coram* Ss. Sacramento *in Ostensorio exposito* celebrata fuit, sacerdos lecto ultimo Evangelio et facta genuflexione in medio altari, descendit per gradus laterales ad cornu Epistolæ in plano, deponit manipulum et planetam, accipit pluviale et reversus ad altare in plano, facta genuflexione utroque genu, in infimo gradu genuflexus recitat preces præscriptas.

Si quis autem Evangelium S. Joannis *In principio* canere velit, cantet idem post finitam Missam (i. e. post lectum ultimum Evangelium) in cornu Evangelii, vel si malit, initium alterius Evangelii aut Evangelium Dominicæ IV. post Epiphaniam. Postea exponit Ss. Sacramentum, ut supra n. 1. et 2.

In Missa solemni cum Ministris Evangelium ratione precum ad repellendas tempestates, nisi omitti maluerit, cantari debet a Diacono, ut in Missa solemni. Deinde celebrans cum Ministris descendit ad cornu Epistolæ, et reliqua fiunt ut n. 3.

CAPUT XIV.

De iis, quæ in Missis Defunctorum omittuntur.

In principio Missarum defunctorum [1]) omittitur Psalmus *Judica me Deus;* unde dicta Antiphona *Introibo ad altare Dei,* et responso a ministro *Ad Deum qui lætificat* etc., dicet *Adjutorium nostrum* etc., et tunc dicet *Confiteor* cum sequentibus.

2. Incipiendo Introitum non se ipsum signat, sed sinistra super librum posita [2]) dextrâ extensâ signum crucis per aërem versus ipsum librum facit. [3])

3. Non dicitur *Gloria,* nec *Jube Domine benedicere,* nec *Dominus sit in corde meo,* nec osculatur Evangelium in fine. [4]) Non dicitur *Credo,* nec benedicitur aqua, quæ infunditur in calicem, sed dicitur Oratio *Deus qui humanæ substantiæ* etc., nec dicitur *Gloria Patri* post psalmum *Lavabo.* [5])

[1]) In una Montis Regalis die 20. Mart. 1869. ad 12. n. 5430. quæsitum est: „Potestne adhiberi pallium nigri coloris in solemni Commemoratione et exsequiis Defunctorum in altari Ss. Sacramenti?“ Et S. R. C. respondit: „Negative.“

In Missis *de Requie* cum cantu saltem quatuor candelæ in altari accendi debent. S. R. C. die 12. Augusti 1854. in una Briocen. ad 7. n. 5208.

[2]) Juxta decisionem S. R. C. die 7. Sept. 1816. in una Tuden. ad 42. n. 4526. manus sinistra ponenda est super altare. Cum enim dubium proponeretur: „An sacerdos in Missa de Requie ponere debeat manum sinistram super altare, dum facit signum crucis ad Introitum?“ S. R. C. respondit: „Affirmative.“

[3]) In Rubrica p. II. tit. 13. n. 1. legitur: „Cum celebrans ad altare incipit Introitum, non signat se, sed manu dextera extensa facit signum crucis super librum, quasi aliquem benedicens. Non dicitur *Gloria Patri,* sed post Psalmum repetitur: *Requiem æternam.*“

[4]) Nec dicitur: *Per evangelica dicta* etc. ut patet ex decreto S. R. C. die 11. Sept. 1847. in una Veronen. ad 12. n. 5111., ubi ad dubium: „Num in Missa de Requie, quamvis non osculetur Evangelium, recitari debeant verba: *Per evangelica dicta?*“ responsum est: „Negative.“

[5]) In Missis de Requie non inclinatur caput ad nomen Sancti, de quo dictum est officium, si in canone occurrit (ex decr. Panormitan. die 12. April. 1823. ad 13. n. 4594.), quia, ut ibi notatur, Missa defunctorum nihil habet commune cum officio diei.

4. Ad *Agnus Dei* non dicitur *Miserere nobis,* neque *Dona nobis pacem* tertio loco; sed *Dona eis requiem,* et tertio loco *Dona eis requiem sempiternam,* et pectus non percutitur.[6])

5. Ex tribus orationibus, quæ ante Communionem dicuntur, non dicitur prima. In fine Missæ non dicitur *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino,* sed *Requiescant in pace.*[7]) Nec datur benedictio, sed dicto *Pla-*

---

[6]) *Agnus Dei* recitatur manibus junctis, non vero altari impositis, ut notat Martinucci l. I. c. 19. n. 11.

[7]) Rubrica Missalis p. II. tit. 11. n. 1. habet: „In Missis Defunctorum eodem modo (i. e. junctis ante pectus manibus) stans versus altare, dicit: *Requiescant in pace.*"

Et semper dicitur in numero plurali: *Requiescant in pace* sive celebretur pro uno sive pro pluribus defunctis. S. R. C. die 22. Januar. 1678. in una Urbis n. 2858.

Quantum ad communionem in Missis pro Defunctis distribuendam vide adnot. 14. cap. XI.

Hic pauca notamus de Orationibus et Sequentia *Dies iræ;* quoad reliqua de Missis Defunctorum remittimus Lectorem ad Appendicem IV.

I. **Oratio** 1) „In die commemorationis omnium Defunctorum et in die depositionis et in anniversario Defuncti dicitur *una* tantum Oratio, et similiter in die tertia, septima, trigesima" dicit Rubrica Missalis p. I. tit. 5. n. 3. Quod valet non solum de Missis cantatis, sed etiam privatis, quia textus Rubricæ circa hos dies non distinguit inter Missam solemnem et privatam, nec pro privatis ullam exceptionem facit, ut *Cavalieri* tom. 3. decr. 78. n. 1. docet. Nota tamen, in Missis privatis *unicam* Orationem supradictis diebus *tantum* dicendam esse, a) quando dies obitus seu depositionis (et tempore intermedio, quo corpus insepultum manet, quod tempus pro uno die reputatur) anniversaria, tertia, septima et trigesima ea die cadit, qua Missas privatas Rubricæ permittunt, b) si Missa de Requie non ad aliam diem transfertur, c) si primum vel secundum vel tertium formulare Missarum de Requie cum Oratione convenienti sumitur.

2) *Unica* Oratio dicitur: „quandocumque pro Defunctis *solemniter* celebratur" Rubr. cit.; nempe a) quoties Missa quotidiana decantatur cum diacono et subdiacono; et non requiritur concursus et exterior pompa. S. R. C. die 16. April. 1853. in una Ord. Min. S. Franc. de Observ. ad 22. n. 5183. b) in omnibus Missis quotidianis cantatis. S. R. C. die 12. Aug. 1854. in una Briocen. ad 11. n. 5208. et 19. Jun. 1875. in una Nucerina Pagan. ad I. et III. n. 5612. Si enim Missa cantata sine diacono et subdiacono in sensu stricto solemnis dici nequeat, privilegiis tamen Missæ solemnis gaudet, uti notat *De Herdt* tom. I. n. 65. 2.

ceat celebrans osculatur altare, procedit ad cornu Evangelii, ibique dicit *Dominus vobiscum*, et deinde Evangelium S. Joannis *In principio* etc. et reliqua sicut in aliis Missis.

Hæc una Oratio conveniens esse debet personæ aut personis, pro quibus celebratur. S. R. C. n. 5612. supr. cit. ad 4.

Excipitur tamen Missa conventualis pro defunctis, quæ in ecclesiis cathedralibus et collegiatis ex Rubricarum præscripto prima die mensis et feria secunda cantatur. In hac enim Missa, si solemniter celebratur, dicuntur una vel tres Orationes pro lubitu. S. R. C. 27. Febr. 1847. in Aretin. ad 3. n. 5063. Si autem cantata aut privata sit, sumuntur tres Orationes. S. R. C. 16. April. 1853. in una Ord. S. Franc. de Observ. ad 22. n. 5183. et 19. Junii 1875. in una Nucerina Pagan. ad 1. n. 5612.

3) *Unica* Oratio dicitur in officiis seu suffragiis, quæ passim celebrantur apud confraternitates laicorum intra annum pro uno vel pluribus defunctis cum Missa *cantata*, et exsequiis atque peculiari Missarum privatarum numero; in quibus Missis *privatis* etiam a sacerdotibus confluentibus *unica* Oratio recitari potest (diebus a Rubricis permissis). S. R. C. die 22. Sept. 1837. in Mutinen. Dub. XI. ad 2. n. 4815.

In aliis Missis quotidianis de Requie sine cantu dicuntur saltem tres Orationes in Missali assignatæ; possunt etiam dici plures usque ad quinque aut septem, sed curandum, ut sint numero impares, et semper Oratio *Deus qui inter apostolicos sacerdotes* primo loco (S. R. C. die 16. Sept. 1865. in Tuscanen. n. 5355.) et Oratio *Fidelium* ultimo loco dicatur. (S. R. C. 2. Sept. 1741. in Aquen. ad 4. n. 4119.) Orationes, quæ pro libitu sacerdotis adduntur, sumendæ sunt ex iis, quæ in Missali titulo *Orationes diversæ pro defunctis* assignantur, et convenit, ut in his servetur ordo Missalis.

Pro secunda Oratione *Deus veniæ largitor* **aliquando** impune subrogari potest alia v. gr. pro patre, pro matre. (S. R. C. n. 4119. supra cit.) Et hæc oratio pro patre et matre, uti ex titulo Orationis patet, dici debet tantum pro parentibus celebrantis.

Si in aliquibus Orationibus littera *N.* posita est, exprimatur ejus loco nomen defuncti, non autem potest superaddi cognomen et titulus defuncti S. R. C. 22. Mart. 1862. S. Marci ad 17. n. 5318., et in quibus Orationibus non occurrit littera *N.*, nomen exprimi nequit. S. R. C. 7. Aprilis 1832. in una Viglevanen. n. 4687. et n. 5612. supr. cit. ad 5. 6. et 7. Vide App. IV. cap. 1. n. 3.

II. „**Sequentia** pro defunctis dicitur in die commemorationis omnium fidelium defunctorum et depositionis defuncti, et quandocumque in Missa dicitur una tantum Oratio; in aliis autem Missis pro defunctis dicatur ad arbitrium sacerdotis.“ (Rubr. Missal. p. I. tit. 5. n. 4.) — S. R. C. in una Briocen. die 12. Aug. 1854. ad 12. n. 5208. decla-

CAPUT XV.

De Missa celebranda ante Ss. Sacramentum expositum.[1])

Celebrans in capellam ingrediens, ubi Venerabile expositum est, birretum Ministro porrigat:[2]) et cum in medium altaris pervenerit, in plano utrumque genu flectat et caput profunde inclinet.[3])

2. Postquam altare adscenderit et calicem a parte Evangelii posuerit, unum genu flectat, non vero caput inclinet: tunc corporale ex bursa trahat et explicet, et collocato calice in medio iterum genuflectat et ad cornu Epistolæ accedat, ut Missam inveniat.

3. Deinde in medium altaris revertitur, et facta genuflexione (quæ semper facienda est, quando in medium accedit vel inde discedit ad latus) retrahens se ali-

ravit: „Sequentiam *Dies iræ* semper dicendam in Missis *de Requie*, quæ cum unica tantum Oratione decantantur, verum aliquas strophas illius cantores prætermittere posse."

[1]) Cæremoniale Episcoporum lib. 1. cap. 12. n. 9. ex antiquissima Ecclesiæ disciplina præcipit, ne Missa coram Ss. Sacramento palam exposito celebretur. Quum tamen aliquando possit urgere necessitas, vel etiam consuetudo, in plerisque locis a longo tempore observata, ut Missæ coram Ssmo celebrentur, ideo S. Doctor Rubricas in præsentia Ss. Sacramenti expositi servandas hoc loco affert, uti fere omnes auctores faciunt.

[2]) Gardellini in suo Commentario in Instructionem Clementinam §. 30. n. 25. dicit: (Sacerdos) „statim ac capellam ingreditur, aliquantulum consistens caput detegit, porrigens birretum ministro, et caveat ab illorum sequendo exemplum, qui perperam, vel supra calicis bursam vel supra Missale birretum deponunt."

[3]) In una Marsor. die 12. Nov. 1831. ad 53. n. 4669. quæsitum est: „Genuflexio, quæ fit coram Ss. Sacramento exposito tam in Missa quam in Oratione XL Horarum ceterisque functionibus, quando fieri debet unico genu, et quando utroque tum a celebrante tum a ministris, vel alio qui exponit et reponit?" Et S. R. C. respondit: „In accessu et recessu utroque genu, intra Missam unico genu, pro reliquis functionibus consulantur Rubricistæ."

Cum S. Alphonso Auctores communiter requirunt præter genuflexionem utroque genu faciendam etiam profundam capitis inclinationem. Conf. *Merat.* p. 2. tit. 14. n. 19. ad 2., *Cavalieri* tom. 4. c. 8. §. 30. n. 14., *Gardellini* loc. supr. cit., *Baldeschi* p. 1. c. 5. n. 2.

quantulum ad cornu Evangelii, et facie ad cornu Epistolæ versa descendit in planum, ibique unum genu super infimum gradum flectit, se erigit et Missam incipit.

4. Postquam iterum ad altare adscenderit, genuflectit,[4]) et tunc dicit orationem *Oramus te Domine* etc., qua finita osculatur altare, denuo genuflectit et ad legendum Introitum discedit. Post hunc in medium altaris revertitur, ubi facta genuflexione dicit *Kyrie* et *Gloria.* Deinde osculatus altare genuflectit et se ad populum vertit, aliquantulum versus cornu Evangelii recedens, ne Sanctissimo terga vertat, et dicit *Dominus vobiscum:* et sic faciat semper, quoties se ad populum vertere debet, genuflectendo scilicet ante et post. Et tunc prosequitur dicere Missam more solito.[5])

5. Cum vadit ad lavandas manus, per gradus laterales cornu Epistolæ in planum descendat,[6]) et a latere sinistro se vertens, ne Sacramento terga vertat, facie

---

[4]) Celebrans, finita confessione, non debet genuflectere, antequam ad altare adscendat, uti aliqui gratis faciunt; sed genuflectendum est in ipso accessu ad altare, priusquam incipiatur: *Oramus te Domine.*

[5]) „Notandum autem", scribit *Martinucci* lib. 1. cap. 21. n. 4., „quod cum (sacerdos) erit in medio, prius altare osculabitur, vel aliam peraget actionem præscriptam, postea genuflectet; hoc enim sit oportet ultimum, quod fiat: quum vero e lateribus redibit in medium, prius genuflectet, postea deosculabitur altare vel aliud peraget."

Ad *Munda cor* autem et *Suscipe sancta Trinitas*, postquam ad medium altaris pervenerit, elevat prius ad Sacramentum oculos, statimque demittit et postea genuflectit et dicit *Munda cor* et *Suscipe* etc. *Gardell.* l. c. n. 27. et 28., *Merat.* l. c. n. 19. ad 11.

[6]) Juvat hic subnectere sequens decretum S. R. C. die 22. Aug. 1682. Nullius n. 2992., quo solutum est dubium ita propositum: „An sacerdos celebrans in altari, in quo expositum sit venerabile Sacramentum, debeat descendere ex supremo gradu aliquantulum extra altare in cornu Epistolæ ad lavandas manus, prout Rubrica Missalis præscribit in feria VI. Parasceves?" Et S. R. C. respondit: „Serventur Rubricæ Missalis."

Sed exstat aliud decretum hujus tenoris: „Quum celebrans coram Ss. Sacramento exposito debeat thurificari et lavare manus extra altare, debetne stare in plano presbyterii, an in supremo gradu altaris?" Et S. R. C. respondit: „Servetur consuetudo, dummodo caveat, ne terga vertat Sacramento." Die 12. Novembris 1831. in una Marsor. ad 52. n. 4669.

ad populum versa manus lavet et eadem via ad medium altaris redeat.

6. *Orate fratres* dicturus osculetur altare, genuflectat, et aliquantulum ad populum conversus, humeris autem partem Evangelii respicientibus, dicat *Orate fratres:* et tunc, quin circulum perficiat, ne Sacramento terga vertat, reversus ad altare iterum genuflectat et prosequatur reliqua usque ad Communionem. Ad *Sanctus* et ad Elevationem non pulsetur campanula.[7])

7. Post Communionem, ac sumpta prima purificatione, calicem extra corporale ad partem Epistolæ ponit, ac facta genuflexione accedat ad cornu Epistolæ ad purificandos digitos.[8])

8. Dicto *Placeat* dicat *Benedicat vos omnipotens Deus*, et facta genuflexione se convertat aliquantulum

---

[7]) In Instructione Clementina §. 16. prohibetur, ne in Missis privatis, quæ tempore expositionis Ss. Sacramenti celebrantur, campanulæ ad elevationem pulsentur: et tantum permittitur, ut campanula leviter pulsetur, cum sacerdos e sacristia egreditur. Circa hoc in una Mechlinien. die 31. Aug. 1867. Dub. 12. n. 5381. quæritur: „An observari possit usus, qui viget in Belgii Diœcesibus campanulam pulsandi intra Missam, durante Ss. Sacramenti expositione, saltem in casu, quo altare, ubi celebratur Missa, juxta partes sit altaris majoris, ubi fit expositio, et ita removeatur periculum irreverentiæ erga Ss. Sacramentum patenter expositum?“ Et S. R. C. respondit: „Negative.“

[8]) Multi auctores, uti v. gr. *Gardellini* Instr. Clem. §. 30. n. 29. *Meratus* p. II. tit. 14. n. 19. ad 22. *Cavalieri* l. c. n. 18. concordant cum S. Alphonso, dicentes, sacerdotem post primam purificationem debere ponere calicem extra corporale ad cornu Epistolæ, eoque post genuflexionem factam vadere ad purificationem digitorum. Sed *Bauldry* p. III. c. 17. n. 20., *Baldeschi* p. 1. cap. 5. n. 7. et *Martinucci* lib. 1. c. 21. n. 8. autumant, ad ablutionem sumendam non esse necesse, ut sacerdos e medio altaris discedat, sed paululum conversus ad ministrum accipiat eam in medio altaris sicut primam purificationem. Sed jam supra pag. 103. in adnotatione 30. ad cap. X. exposuimus, quomodo decisio S. R. C. in una Tornacensi de die 22. Junii 1848. n. 5138. intelligenda sit, et probavimus, sacerdotem in omnibus Missis privatis, quamvis coram Ssmo Sacramento exposito celebrentur, pro abluendis digitis versus epistolæ cornu recedere debere, et in Missis tantum solemnibus celebranti ad digitorum ablutionem e medio altaris vadere non licere; ideo sententiæ S. Alphonsi hic adhærendum est.

versus populum, humeris partem Evangelii respicientibus, et sic benedictionem det: deinde a latere dextro revertitur, sed circulum non perficiat, ne Sacramento terga vertat: et absque nova genuflexione discedat ad legendum Evangelium. Advertendum, quod si tabella desit, non altare, sed tantum se ipsum signare debet.[9])

9. Finito Evangelio in medium revertitur, genuflectit, et accepto calice in planum descendit: ubi, antequam discedat, utrumque genu flectit, et caput profunde inclinat, sicut fecit in principio Missæ: deinde se cooperit birreto et in sacristiam revertitur.[10])

---

[9]) *Baldeschi* l. c. n. 9. pariter scribit: „Advertat, ut se solum signet, ut præscribit Rubrica Missalis in feria V. in Cœna Domini, numquam vero altare.“ Sed *Martinucci* l. c. n. 10. vult. ut signetur altare; et in nota rationem affert, dicens in Cœna Domini non signari altare, quia Sacramentum super mensa altaris manet expositum, in casu autem nostro, quum Sacramentum quidem expositum sit, sed extra mensam, illi Rubricæ locus non esse videtur.

Quodsi in fine Missæ tabella commode prendi potest, vel aliud Evangelium ex Missali legendum est, tabellam vel librum et se ipsum signet, ut communiter auctores dicunt.

Ad *Verbum caro factum est* sacerdos non genuflectit versus altare, sed versus Sacramentum sine capitis inclinatione. Idem observandum est in primo Evangelio, si genuflectendum sit. Conf. Rubr. Missal. in Cœna Domini et Memoriale Rituum cap. 2. §. 1. n. 21. Item inclinatio ad nomen *Jesu* versus Sacramentum est facienda.

[10]) Idem docet *Martinucci* l. c. n. 12.: „Genuflexionem utroque genu efficiet, assurget, birretum a ministro accipiet et capite operto ad sacrarium redibit.“ Alii autem, ut Gardellini, Meratus, Cavalieri, Baldeschi etc. dicunt, caput birreto non esse tegendum, nisi postquam sacerdos non sit amplius ante conspectum Sacramenti.

Circa **commemorationem de Ss. Sacramento** hic nonnulla notare placet.

Hæc commemoratio fieri **debet** in omni Missa *solemni* seu *cantata* celebrata in altari, in quo Ss. Sacramentum expositum est sive pro Oratione XL Horarum sive alia de publica causa, idque

a) in festis duplicibus I. et II. classis (non autem Dominicis I. et II. classis, quæ plures Orationes admittunt) et diebus, qui unicam tantum Orationem admittunt; item in Dominica Palmarum, Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, et in Missis votivis solemnibus pro re gravi sub *unica* conclusione cum Oratione festi vel diei. S. R. C. die 23. Junii 1736. in Brugen. ad 8. n. 4049.; 16. Febr. 1737. in Mechlin. ad 8. n. 4056., *nisi* alia commemoratio sub distincta conclusione oc-

currat v. g. Dominicæ, quia tunc commemoratio Ssmi ultimæ Orationi additur. S. R. C. die 3. Martii 1761. in Aquen. ad 3. n. 4299.; 18. Dec. 1779. in Ord. Min. ad 8. n. 4395. Conf. Gardellini in Instr. Clement. §. 17. n. 32.

b) Si in Missa (exceptis supradictis festis I. et II. classis) una tantum Oratio præscribitur, commemoratio Ss. Sacramenti fit semper sub distincta conclusione, secus autem post Orationes a Rubricis præscriptas et ante imperatas. S. R. C. 23. Junii 1736. in Brug. ad 8. n. 4049.; 18. Martii 1874. in una De Zacathecas n. 5581. et 18. Sept. 1877. Societ. Jesu ad 4. n. 5713.

In Missa *Sacr. Cordis Jesu* coram Ss. Sacramento exposito commemoratio Ssmi omittenda est. S. R. C. die 6. Sept. 1834. in Ostunen. n. 4731.; permittitur tamen ad modum Collectæ, nimirum si ab episcopo imperata fuerit. S. R. C. die 26. Martii 1859. in Mechlin. ad 2. n. 5281. Sententia tamen cujusdam Auctoris, qui dicit, commemorationem Ssmi pariter esse prætereundam in festo Pretios. Sanguinis, est singularis et non sequenda, tum quia rationes ejusdem Auctoris non convincunt, tum quia S. R. C. ad dubium sequens propositum in una Soc. Presbyt. Ss. Sacram. die 7. Julii 1877. ad 1. n. 5702.: „De jure licet addere commemorationem Ss. Sacramenti in Missis privatis in ecclesiis, ubi Ss. Sacramentum remanet expositum, an ista commemoratio sit omnino omittenda in festis D. N. J. C. v. gr. in Missis de Mysteriis Passionis, in feriis VI. in Quadragesima, per Octavam Paschatis, Adscensionis, Transfigurationis etc.?“ respondit: „Commemorationem fieri posse juxta alia decreta, dummodo Missa non versetur in eodem mysterio.“

In Missis *privatis* hæc commemoratio Ssmi fieri *debet* iis locis, ubi Instructio Clementina est recepta et præscripta. In eadem enim Instructione §. 17. dicitur: „In aliis Missis (præter votivas de Ss. Sacramento) currentis diei, post Orationes a Rubrica præscriptas, addatur Oratio Ss. Sacramenti, ita mandante Sua Sanctitate.“

Ubi autem dicta Instructio non est præscripta, in Missis privatis dicendis in ecclesiis, ubi Ss. Sacramentum expositum est sive occasione XL Horarum sive pro re gravi et publica causa, fieri *potest* sed *non debet* commemoratio Ssmi, in festis vero duplicibus I. et II. classis est omittenda. S. R. C. die 2. Dec. 1684. Ord. Canonic. Regul. Lateran. ad 4. n. 3073. *Potest* etiam fieri hæc commemoratio in expositione cum pyxide velata, si Ss. Sacramentum pro gravi causa et publico Ecclesiæ bono exponatur, ut S. R. C. in una Varsavien. die 7. Maji 1746. ad 9. et 10. n. 4181. declaravit. Si vero Ssmum ob causam privatam exponatur, puta ob infirmitatem aut tribulationem alicujus privatæ personæ, *non* est facienda commemoratio de Ss. Sacramento.

Si Missa celebretur pro exponendo Ss. Sacramento et in ea duæ consecrentur hostiæ, altera pro sacrificio, altera pro expositione facienda post Missam, in eadem est dicenda Collecta de Ss. Sacramento. S. R. C. die 6. Dec. 1653. in Fanen. n. 1692.; 15. Maji 1819. in una Pisaur. n. 4561.

CAPUT XVI.

De Missa, quæ celebratur coram episcopo.

Cæremoniæ, quæ hic notantur, observandæ sunt coram Episcopo in propria diœcesi, et coram Archiepiscopo in sua provincia, et etiam coram Abbate benedicto in suo monasterio, necnon coram Episcopo in Oratoriis privatis, quamvis extra diœcesim.[1]) Adjungit Gavantus, idem observandum esse, si Prælatus sit in ecclesia Regularium exemptorum, dummodo in ea aliquam jurisdictionem habeat.[2])

2. Postquam celebrans capite tecto ad medium altaris ante ultimum gradum pervenerit, caput detegit, inclinationem versus crucem facit vel genuflectit, si ibi Sacramentum est: tunc profundam inclinationem versus Prælatum exhibet et discedit ad cornu Evangelii, in eodem plano ante infimum gradum sistens; ubi signo accepto, iterum se versus Prælatum inclinat, et aliquantulum ad altare conversus (ministro a parte Epistolæ genuflexo), Missam incipit.[3]) Hoc intelligendum, quando Episcopus in facie altaris Missam audit, non vero, quando a latere assistit, quo in casu sacerdos bene Missam in medio incipere potest, quia tunc ipsi terga non vertit, et commode illi debitas inclinationes facere potest.

---

[1]) Juxta *Baldeschi* p. I. c. 6. n. 1. hæ Rubricæ observandæ sunt coram cardinalibus in universo mundo, coram patriarcha et archiepiscopo in sua provincia, coram episcopo in diœcesi propria, coram nuntio et legato apostolico in territorio eorum nuntiaturæ seu legationis; omittuntur autem, si dicti prælati incogniti et sine habitu dignitatis assistunt. Cf. Cærem. Episc. lib. 1. c. 30. n. 4.

[2]) Ap. *Gavant.* p. II. tit. 3. litt. m.

[3]) *Baldeschi* l. c. n. 2. et *Martinucci* lib. 1. c. 23. n. 4. volunt, sacerdotem vestibus sacris indutum jam in plano ad cornu Evangelii, facie versa ad cornu Epistolæ, stando Prælatum exspectare. Quorum sententia firmatur per Rubricam Missalis p. II. tit. 3. n. 2., quæ dicit: „Si (celebraturus) sit coram cardinali, legato Sedis apostolicæ, aut patriarcha, archiepiscopo et episcopo in eorum residentiis stans ante infimum gradum a cornu Evangelii ut supra exspectat: dato signo

3. Ad *Confiteor* non dicet *vobis fratres* et *vos fratres*, sed tantum *tibi pater* et *te pater.*[4]) Dicto *Oremus,* antequam altare adscendat, iterum, tertia vice, Prælato profundam reverentiam exhibeat, et cum in medium ante infimum gradum pervenerit, incipiat *Aufer a nobis* et adscendat altare.[5])

4. Lecto Evangelio non osculetur Missale nec dicat *Per evangelica dicta,*[6]) quia minister Missale Prælato osculandum transferre debet, nullam reverentiam ipsi faciens: Prælatus autem, librum osculatus, dicat *Per evangelica dicta.* Jam minister librum claudat, genuflectat versus Prælatum, et ad celebrantem Missale reportet, qui abstineat ab eo osculando.[7]) Si plures Prælati adsunt, apportetur Missale solum digniori, si vero æquales sunt, nemini deferatur.[8]) Est praxis quorumdam, ut, cum ante oblationem aqua in vinum infunditur, minister dicat: *Benedic Illustrissime et Reverendissime Pater*; et Episcopus benedicat aquam:[9]) quod cum a Rubrica nullibi præscribatur, omnino omittendum est.[10])

---

facit profundam reverentiam Prælato et versus ad altare incipit Missam."

[4]) Ad quæ verba „Prælato profunde se inclinat". Rubr. Missal. l. c. n. 8.

Juxta varia decreta S. R. C. n. 827.; n. 2362. ad 5.; n. 3696. *Confiteor* mutari non potest, sed dici debet pure et simpliciter sine ulla additione. Unde non licet celebrante vel assistente episcopo dicere: *Tibi* vel *Te* **Reverendissime** *Pater*, quia est contra Rubricam Missalis l. c. n. 8. et 9., ex qua patet, celebrante vel assistente Summo Pontifice simpliciter dicendum esse: *Tibi* vel *Te Pater.*

[5]) Rubr. Missal. l. c. n. 11.

[6]) Rubr. Missal. l. c. tit. 6. n. 2.

[7]) *Martinucci* l. c. n. 9. adjicit: „Porro cavebit celebrans, ne Missam prosequatur, donec minister a Præsule ad altare Missale retulerit et in legili locaverit."

[8]) Cærem. Episc. lib. 1. c. 30. n. 3. dicit: „Si essent plures æquales nulli ipsorum (dabitur Missale ad osculandum); nec ipse celebrans deosculabitur."

[9]) Cæremon. Episc. l. c. enim præscribit: „Ad Offertorium episcopus non benedicit aquam" (si nempe Missæ privatæ assistit).

[10]) Alii auctores, uti *Meratus* p. II. tit. 14. n. 9. *Baldeschi* l. c. n. 8. *Martinucci* l. c. n. 10. juxta Cærem. Episc. l. c. et Rubr. Miss.

5. In fine Missæ celebrans, postquam dixerit *Benedicat vos omnipotens Deus,* faciat profundam inclinationem versus Prælatum, et benedicat circumstantes a parte Evangelii, semper advertens, ut ex ea parte benedicat, ubi non est Prælatus. Quod si Prælatus extra territorium suæ jurisdictionis est, benedicat (celebrans) more solito, cum scilicet in ecclesia publica celebrat:[11]) in Oratoriis enim privatis, ut dictum est supra, exhibentur Prælato eædem cæremoniæ, ac si esset in sua diœcesi. Finito ultimo Evangelio, celebrans, in eodem cornu stans, se vertat ad Prælatum eique faciat profundam inclinationem, nec discedat nisi postquam Prælatus discesserit.[12])

6. Si coram Prælato in ecclesia publica, quæ non est ejus jurisdictionis, Missa celebretur, convenit, ut sacerdos, cum ad altare accedit vel ab eo recedit, ante Prælatum transiens ipsi mediocrem inclinationem capite cooperto exhibeat, si calicem portat; sed si calicem non portat, caput detegat et profundam inclinationem ei faciat. Et finita Missa etiam ab altari ipsi profundam

---

p. II. tit. 10. n. 3. addunt: Finita prima Oratione *Domine Jesu Christe* ex tribus ante Communionem, celebrans manibus super altare positis, osculatur altare in medio et instrumentum pacis ei porrectum a ministro juxta ipsum ad dextram, hoc est in cornu Epistolæ genuflexo et dicit: *Pax tecum*; minister respondet: *Et cum spiritu tuo.* Minister autem defert idem instrumentum velo serico coloris, cum Missæ colore congruentis, contectum Prælato osculandum sine ulla inclinatione dicens: *Pax tecum*, qui respondet: *Et cum spiritu tuo;* quo osculato, et non prius, facit minister debitam reverentiam, et celebrans prosequitur Orationes. Si sint plures, instrumentum pacis defertur primo digniori, deinde aliis; si autem æquales, dari potest osculandum illi, qui primum occupat locum, vel vicinior est altari. In Missis pro defunctis nec liber Evangelii nec instrumentum pacis ad osculandum dabitur.

[11]) Rubr. Missal. p. II. tit. 12. n. 3.

[12]) „Quodsi vero (ait *Baldeschi* l. c. n. 6.) Prælatus diutius immoratur, tunc sacerdos accedit in medium, accipit calicem et descendit de altari. Tum facit profundam inclinationem versus crucem et deinde episcopo, se cooperit et discedit ad deponendas sacras vestes.“

inclinationem faciat.[13]) Omnia, quæ circa hoc caput dicta sunt, leguntur apud P. Gavantum et P. Meratum super Rubricam XI.

7. Præterea notandum, sacerdotem celebrantem coram proprio Prælato iis diebus, ubi orationem *ad libitum* dicere licet, non posse dicere orationem *pro se ipso.*[14])

CAPUT XVII.

De defectibus, qui in Missa committi solent.

Primus defectus est, orationes, quas ex Rubricæ præcepto scire oportet, ut orationes in lavandis manibus et sacris vestibus induendis, non bene memoria tenere, vel etiam non integre proferre alias orationes, quæ pariter in decursu Missæ ex memoria dicendæ sunt, ut *Aufer a nobis*, etc., *Oramus te Domine* etc.

2. Est maximus defectus, ad Missam celebrandam accedere cum parva vel nulla præparatione; et pejus esset si quis inter vestiendum blateraret. Exclamat S. Joannes Chrysostomus (de Sacerd. l. 4. c. 3. §. 3.) *Ad divina Christi mysteria negligenter accedens supplicium intolerabile meretur.* Propterea dicit S. Bonaventura: *Cave, ne nimis tepidus et inordinatus atque inconsideratus accedas, quia indigne sumis, si non accedis reverenter.*

3. Est defectus reprehensione dignus, vel ut melius dicam, est horrendum sacrilegium, nimis festinanter Missam celebrare, quo fit, ut mutilentur verba, transponantur cæremoniæ, et vel ante, vel post tempus a

[13]) In una Aretin. die 27. Febr. 1847. ad 6. n. 5063. quæsitum est: „An in expositione Ss. Sacramenti præsente episcopo genuflexo, celebrans, dum pervenit ad altare, debeat ei reverentiam præstare, et dum adscendit ad impertiendam fidelibus benedictionem, facultatem cum actu obsequii ab eodem postulare?“ Et S. R. C. respondit: „Negative ad utrumque.“

[14]) Vide supra cap. V. n. 11.

Rubrica præscriptum peragantur cum exigua devotione et mala ædificatione circumstantium. De his dici potest, *quod non timent Dominum, neque custodiunt cæremonias ejus* (4. Reg. 17. 34).

4. Est etiam grandis defectus, post Missam debitam gratiarum actionem omittere: et in hoc non pauci Judam imitantur, qui, *cum accepisset buccellam, exivit continuo* (Joann. 13. 30.).

5. Est peccatum grave, cum paramentis laceris, cum purificatorio et corporali immundis [1]) celebrare. Sic theologi communiter.

6. Est defectus, super calicem manutergium aliamve rem ponere (supra c. II. n. 4.): et gravior, super altare collocare, quod ad Missam non spectat (Rubr. 20.). Poterit manutergium ad cingulum ex latere dextro sub planeta appendi, ita tamen ut foris non appareat.[2])

7. Est error: 1. Se cum amictu signare. 2. E sacristia exeundo psalmum *Miserere* recitare, quamvis aliqua oratio mentaliter dici possit: alii vero negant, hoc esse defectum. Vide, quæ supra c. II. n. 4. dicta sunt. 3. Reverentiam imagini in sacristia, tenendo dextera birretum, sinistra vero calicem, facere. 4. Inclinationem simplicem, mediocrem vel profundam facere, genuflexione uno genu facta. 5. Nullam differentiam ponere inter inclinationem profundam, mediocrem et simplicem.

Profunda enim inclinatio facienda est cum sacerdos exit e sacristia, cum transit ante altare majus, ubi non est Venerabile, cum ad altare pervenit et cum Missam incipit, si ibi non est Sacramentum: cum dicit *Munda cor meum, Te igitur, Supplices te rogamus.*

Mediocris facienda est in descensu ab altari sive ad Missam incipiendam, sive post Missam.[3]) Præterea:

---

[1]) Conf. adnotat. 15. cap. I.

[2]) Conf. adnotat. 3. cap. II.

[3]) Vide adnotat. 7. cap. XIII., ubi diximus, in Missali hanc reverentiam post Missam non præscribi; vid. etiam in cap. II. adnot. 27.

1. ad *Deus qui conversus* etc. 2. *Oramus te Domine.* 3. *In spiritu humilitatis.* 4. *Sanctus.* 5. In consecratione. 6. Ad *Agnus Dei.*[4]) 7. In tribus orationibus ante Communionem. 8. Ad *Domine non sum dignus.* 9. Ad *Placeat tibi sancta Trinitas.*[5])

8. *Simplex* porro distingui debet, ut supra c. II. 3. dictum est, et hæc facienda est: 1. Cum dicitur *Gloria Patri.* 2. *Oremus.* 3. Semper cum nomen *Jesu* et *Mariæ* vel Sanctorum, de quibus Missa celebratur vel specialis commemoratio fit, profertur. 4. Cum Papa vivens nominatur. 5. In hymno *Gloria* ad verba *Deo, Adoramus te, Gratias agimus tibi, Jesu Christe, Suscipe deprecationem nostram.* 6. Cum *Credo* dicitur ad verba *In unum Deum, Jesum Christum* et *simul adoratur.* 7. In præfatione ad *Deo nostro.* 8. In Canone ad *Tibi gratias agens* ante utramque Consecrationem. 9. Ad *Per eumdem Christum Dominum nostrum* ante *Nobis quoque peccatoribus.* 10. Ad *Benedicat vos omnipotens Deus.* Ex laudabili consuetudine, semper in accessu vel recessu a medio altaris fit inclinatio versus crucem.[6])

9. Est magnus defectus, non bene se cruce signare, crucem in aërem faciendo, quin caput, pectus et humeri tangantur: et propterea est etiam defectus, crucem in pectore dividere, quin humerus sinister et dexter manu dextera tangantur: ut ex negligentia etiam quidam devoti faciunt.

10. Est error, genuflectere ad Orationem *Aufer* in altari Sacramenti: et sic pariter est error contra Rubricam, in genuflexionibus genu terram non tangere.

11. Est error, ante repetitionem Introitus in medium altaris procedere, vel eundo *Kyrie* etc. dicere, vel etiam *Munda cor meum;* vel conclusionem orationis in

---

[4]) Conf. adnotat. 7. cap. X.

[5]) Conf. adnot. 3. cap. XIII.

[6]) Vide adnotat. 27. cap. II.

medium procedendo dicere cum Missale post finitam conclusionem claudendum est. Est error, si celebrans, cum ad altare procedit vel ab eo recedit, vel ad populum se vertit, ut dicat *Dominus vobiscum* vel *Orate fratres*, oculos ad terram non demittit, sicut Rubrica præscribit dicens: *demissis oculis*. Est etiam error, si celebrans, cum manus super altare ponit, ut ipsum osculetur vel genuflexionem faciat, dimidias tantum manus, non vero integras palmas deponit, vel illas, cum genuflectit, ad cælum elevat, cum ipsas in plano dicti altaris tenere debeat. Sic error est, cum altare in medio osculandum est, ab eo unius pedis spatio non recedere, ne indecenter incurvari, vel a latere illud osculari oporteat.

12. Si plures orationes sunt, est error, jam folia vertere, dum conclusio primæ orationis fit.

13. Est error, ad *Munda cor meum* oculos non elevare, vel non profunde se inclinare, et manus non tenere junctas inter pectus et altare, vel incipere, priusquam in medium pervenerit, et oculos ad crucem elevaverit.

14. Est error maximus, in principio Evangelii signum crucis non facere, sicut oportet, vel facere, sicut quidam solent, qui lineam anguineam a fronte ad pectus ducunt, quin lineas dividant.

15. Est error: 1. Dicere Offertorium manibus apertis. 2. In Missis defunctorum Offertorium non legere, sed ex memoria dicere et interim calicem detegere. 3. Non plicare velum, sed sine ordine super corporale retro post calicem deponere. 4. Cum calix versus cornu Epistolæ ponitur, sinistra patenam una cum palla superposita accipere. 5. Oculos non elevare ad Orationes *Suscipe sancte Pater* etc., *Offerimus* etc. *Veni sanctificator* etc. et *Suscipe sancta Trinitas*. 6. Abstergere patenam ad planetam. 7. Dicere *Deus qui humanæ substantiæ* etc. cum ampulla vini accipitur, et non exspectare, usque dum illa aquæ porrigatur, super quam crux facienda est, dum præfata oratio dicitur.

16. Est defectus: 1. Orationem *In spiritu humilitatis* incipere, priusquam manus junctæ super altare ponantur. 2. Caput inclinare ad *Incarnatus est* etc., quia tunc jam genuflectitur; et sic etiam caput inclinare, quando post consecrationem genuflexio fit: et ita pariter, quando inclinatio profunda vel mediocris facienda est. 3. Confundere cæremonias ad *Sursum corda* et ad *Gratias agamus Domino Deo nostro*, quæ a paucis bene fiunt et hunc in modum facienda sunt: Ad *Sursum corda* manus usque ad pectus elevantur, et tenentur apertæ ad ejus latitudinem, ita ut una palma aliam respiciat. Ad *Gratias* paulo altius elevantur [7]) et junguntur, oculi vero elevantur, et caput inclinatur, cum dicitur *Deo nostro.*

17. Est error: 1. Ad verba *Per Christum Dominum nostrum* caput inclinare, præterquam post Memento mortuorum. 2. Ad *Sanctus* manus junctas super altare tenere, cum teneri debeant inter pectus et altare usque ad *Benedictus qui venit* etc. cum mediocri inclinatione.

18. Est defectus, dicere *Te igitur,* dum manus aperiuntur; Rubrica enim præscribit, ut primo manus aperiantur et aliquantulum eleventur: et postquam oculi ad Crucifixum elevati, et manus junctæ ac super altare positæ fuerint, tunc celebrans profunde inclinatus Canonem incipiat, dicens *Te igitur.*

19. Contra Rubricam est, 1. manus non conjungere, antequam cruces formentur super Oblata, scilicet ante illa verba *Hæc dona* etc., et ad verba *Fiat dilectissimi Filii tui* etc., antequam hostiam consecrandam accipiat. 2. Cruces non dividere, ubi verba signum † habent, v. gr. *Bene † dictam* etc.[8]) 3. Hostiam sola sinistra tenere, usque dum crux signetur. 4. Hostiam

---

[7]) In adnotat. 35. cap. VII. explicavimus, sententiam Merati esse relinquendam, et manus ad *Gratias agamus* non altius elevandas.

[8]) Conf. adnotat. 24. cap. VII.

versus corporale declinatam, non vero erectam tenere, cum crux super eam signatur.

20. Est indecens, pedibus inæqualibus vel multum distantibus adstare, vel infra consecrationem vel aliam actionem summitatem pedis dextri super pradellam ponere.

21. Indecens est: 1. Integros cubitos in consecratione hostiæ super altare ponere: sunt enim aliquantulum retrahendi. 2. In adoratione non tantum extremitates manuum super altare ponere, sed etiam cubitos. 3. Inclinare caput in adoratione, cum Hostia et Calix semper adspiciendi sint. 4. Elevare Hostiam vel Calicem supra caput. 5. In genuflexionibus non integras manus, a pulsibus scilicet, super corporale tenere, vel digitos in altum versus cœlum elevare.

22. Est error: 1. In consecratione Calicis utraque manu nodum tenere, cum sinistra ad pedem tenenda sit. 2. Non statim post consecrationem, sed in elevatione illa verba dicere *Hæc quotiescumque* etc. 3. Osculari pedem Calicis vel eumdem admovere ad frontem. 4. Non elevare tam Hostiam quam Calicem ad eam altitudinem, ut a populo videri possit, et in linea recta. 5. In elevatione Hostiæ vel Calicis aliquam orationem vocalem dicere.

23. Est defectus, manus junctas super corporale ponere, cum ita tenendæ sint, ut parvi digiti frontem altaris tangant; Rubrica enim non habet aliam distinctionem, nisi ut pollices ante consecrationem in formam crucis ponantur, post consecrationem vero pollices ab indicibus non separentur.

24. Est error: 1. Utrumque Memento voce alta dicere, ut *Et omnium circumstantium* post primum, et *Ipsis Domine* post secundum Memento. 2. Est error in Memento mortuorum moram facere, antequam verba: *Qui nos præcesserunt* etc. dicta sint.

25. Est defectus, manibus junctis super altare positis et inclinato capite adstare, cum dicit: *Præceptis*

salutaribus moniti etc. usque ad *Pater noster:* debet enim manus junctas ante pectus tenere.

26. Est error, patenam abstergere sinistra vel abstergere, postquam eam osculatus fuerit, ad planetam.

27. Est defectus: 1. Dicere *Agnus Dei* etc. manibus junctis super altare. 2. Ad *Domine non sum dignus* stare versus latus, contra id, quod dictum est cap. IV. n. 1. et pectus vehementer percutere. 3. Cum se signat dicendo: *Corpus Domini nostri Jesu Christi* etc. cum linea transversa patenam excederc.

28. Est defectus: 1. Dicere *Quid retribuam Domino* etc. dum fragmenta colliguntur; Rubrica enim dicit: *Aliquantulum quiescit in meditatione Ss. Sacramenti; deinde depositis manibus dicit secreto: Quid retribuam Domino, et interim discooperit Calicem* etc. 2. Patenam ante sumptionem Sanguinis sub mento tenere, vel tenere illam in ipsa sumptione vel purificatione calicis prope pectus. 3. Cooperire patenam palla vel eam inversam super corporale ponere. 4. Os vel digitos ad oram calicis digitis purificare. 5. In purificatione calicis et digitorum calicem super altare premere. 6. Calicem non vino purificare, ad quod dispensatio pontificia requiritur: vel purificationem non ex ea parte sumere, qua Sanguis haustus est, ut S. Pius V. (apud Gavantum) ordinavit. 7. In purificatione digitorum non adhibere parum vini et multam aquam, ne purificatorium maculetur.[9])

29. Est error: 1. Post ablutionem calicem cum velo revoluto supra bursam in medio altaris ponere, ita ut calix discoopertus videatur;[10]) et multo major, corporale plicatum super calicem, et non intra bursam ponere. 2. Antiphonam *Communio* dicere, dum calix accommodatur, eamque non in cornu Epistolæ dicere vel eundo absolvere.

---

[9]) Conf. adnot. 31. cap. X.

[10]) Vide adnotat. 34. cap. X.

30. Est defectus, dicendo *Et verbum caro factum est*, versus crucem et non versus Evangelium genuflectere, et partem anteriorem planetæ elevare.

31. Est defectus, si celebrans birretum sumit, antequam ab altari descendat, vel antequam genuflexionem vel inclinationem profundam faciat, vel illud super bursam ponere, super quam nec in accessu nec in recessu ab altari aliqua res ponenda est. Vide Meratum p. 2. tit. 2. n. 1., ubi adducit decretum die 1. Sept. 1703., quo manutergium portare vetatur: et Doctores idem dicunt de qualibet alia re.[11])

[11]) Vide adnotat. 3. cap. II.

APPENDICES

AD LIBRUM

DE CÆREMONIIS MISSÆ

S. ALPHONSI MARIÆ DE LIGUORI

EPISCOPI, CONFESSORIS ET ECCLESIÆ DOCTORIS.

Sanctus Alphonsus in præcedenti opusculo *de Cæremoniis Missæ* præcipue illas Rubricas explicat, quæ in secunda parte Missalis Romani *de ritu celebrandi Missam* inveniuntur et praxim in ipso sacrificio observandam spectant; de prima autem parte Rubricarum Missalis *de Rubricis generalibus* tantum pauca quasi obiter notat, studiosum lectorem sæpius ad illas relegans. Ut autem huic libro, quantum fieri potest, nihil desit, quod ad Rubricas etiam quoad theoriam exacte observandas pertinet, menti S. P. N. Alphonsi non alienum putamus, huic eximio opusculo S. Doctoris aliquas addere appendices juxta decreta novissima Sacrorum Rituum Congregationis et probatissimos auctores liturgicos elaboratas. Hæ appendices sunt sequentes:

I. De Missa conventuali.
II. De Missæ parochialis obligatione.
III. De Missis votivis.
IV. De Missis defunctorum.
V. De obligatione celebrandi Missas votivas et de Requie.
VI. De Missa Stationis in festo S. Marci et feriis Rogationum.
VII. De Missa in ecclesia aliena.
VIII. De officio duorum Capellanorum in Missa privata ab episcopo celebrata.

APPENDIX PRIMA.

DE MISSA CONVENTUALI.

CAPUT I.

De obligatione et modo celebrandi Missam conventualem.

Missa conventualis est ea, quæ a) *in ecclesiis cathedralibus et collegiatis quotidie* b) *choro præsente* c) *cum cantu* celebranda est d) *secundum ordinem officii et conformitatem temporis.* Conventualis dicitur, quia ad eam clerus universus convenire solet et debet.

2. a. Ecclesiæ *cathedrales et collegiatæ obligantur quotidie* celebrare officia divina, et sub nomine officii divini comprehenditur etiam Missa. Hæc enim veluti divini officii pars censetur,[1]) imo *præcipua* divinorum pars dicitur,[2]) et quasi *finis,* ad quem diriguntur horæ canonicæ,[3]) ut *onus præbendis adnexum* habitum fuit a S. C. Concilii,[4]) *debitum* autem appellatur in celebri constitutione Benedicti XIV. *Cum semper oblatas* diei 19. Aug. 1744. Quare, cum in ecclesiis supradictis officium divinum quotidie præscribatur, quotidie etiam Missa conventualis celebranda est. Quod adeo clarum est, dicit Benedictus XIV.,[5]) ut nulla super hac re oriri possit dubitatio.

---

[1]) Cap. *de his* dist. 2. glos. in Clement. 1. de celebr. Miss.; S. C. Conc. die 26. Junii 1850. in Reatina §. Nemo.

[2]) S. C. Conc. in Pisanen. die 6. Julii 1737. §. 4.

[3]) Conf. Francol. de temp. hor. canonic. p. I. cap. 16. n. 18.

[4]) In una Burgi S. Domnini die 16. Maji 1716., et in Fulgin. die 24. Jan. 1620.

[5]) Constit. cit. §. 11.

Etiamsi aliqua Missa votiva solemnis aut de Requie celebranda sit, Missa conventualis *numquam* potest omitti,[6]) quavis contraria consuetudine non obstante.[7])

Hæc obligatio juxta communem Theologorum sententiam est *sub peccato mortali*,[8]) ita ut non semel sine gravi peccato omitti possit absque justa et rationabili causa.

3.. Ecclesiæ tamen, quæ non sunt collegiatæ, quamvis ibidem officium divinum recitetur, ad Missam conventualem non tenentur.[9])

4. An autem *Regularium ecclesiæ* censeri debeant ecclesiæ collegiatæ, non conveniunt Scriptores: alii affirmant, alii negant, ut ex Merato[10]) videri potest. Hanc quæstionem Cavalieri[11]) ita exponit: „*Collegiatarum* nomine etiam Regulares ecclesias nonnulli venire faciunt; distinguunt vero alii, et eas Monachorum et Canonicorum regularium instar collegiatarum obligant, et Mendicantium illas liberant. Rem brevi nos sermone concludimus, tum a celebratione, tum ab applicatione Missæ conventualis absolventes Mendicantium ecclesias, in quibus quippe nec vi fundationis, nec alicujus beneficii, neque emolumenti aut stipendii canonicum celebratur officium, cujus pars et complementum censetur Missa conventualis, sed solum vi sacrarum constitutionum et laudabilis consuetudinis. Solum itaque ad conventualem Missam, ejusdemque applicationem censeri queunt adstrictæ, qua-

---

[6]) S. Rit. C. die 16. Maji 1626. in Brugen. ad 2. n. 631.; die 16. Jan. 1627. Januen. n. 670.; die 20. Dec. 1783. in Lusitan. ad 1. n. 4414.; conf. S. C. Conc. die 23. Jan. 1864. ad 1. ap. Acta S. Sed. tom. III. fol. 364.

[7]) S. Rit. C. die 25. Junii 1642. in Grassen. n. 1396.

[8]) Busemb. ap. S. Alphons. theol. mor. lib. 6. n. 314., Ferraris v. *canonicatus* art. 5. n. 65., Pasqual. qu. 876. n. 6. et qu. 832., Quarti p. I. tit. 3. sect. 1. dub. 1.

[9]) Cavalieri tom. III. cap. 8. decr. 7. n. 10.

[10]) p. III. tit. 12. n. 5.

[11]) l. c.

tenus, et prout per constitutiones et consuetudinem forent demandatæ; non novi autem ex Mendicantibus religionem aliquam, cujus constitutiones aut consuetudo in rigoroso præcepto constituant celebrationem Missæ conventualis, aut hujus applicationem obligent benefactoribus in genere. Recolenda hic sunt, quæ late dedimus tom. I. cap. 8. decr. 3. §. 2., ubi refellimus capita, ex quibus obligatio prædictæ Missæ peti posset, ostendimusque, regulares ecclesias *Collegiatarum* appellatione minime venire."

Cui sententiæ sequentia S. R. C. decreta videntur esse contraria: In una enim Lusitana die 20. Dec. 1783. ad 1. n. 4414. quæsitum est: „Num in ecclesiis choro adstrictis diebus illis, in quibus officium aut Nocturnum defunctorum recitatur die duplici majori vel minori vel semiduplici præter Missam de Requie debeat necne Missa alia celebrari officii illius diei?" Et responsum prodiit: „Ad 1. Affirmative, quia Missa conventualis de officio currenti omitti non potest." Vide etiam decr. in una Sanctimon. Ord. Capucc. die 7. Dec. 1844. n. 5005.

Itaque multo magis dicendum est: *regulares choro obstrictos* teneri similiter *quotidie* in suis ecclesiis celebrare Missam conventualem, sed non cum cantu, nisi aliunde obligatio oriatur, quamvis melius conveniat, ut eadem cum cantu celebretur.[12]) Nam officium divinum et Missa conventualis sunt correlativa, et cum certum sit, Missam conventualem esse præcipuam divinorum partem, imo finem, ad quem officium dirigatur, ut jam innuimus, apparet, etiam regulares ad chorum stricte obligatos, eo ipso Missam conventualem celebrare teneri.

5. b. Missa conventualis est celebranda *choro præsente;*[13]) etsi in feriis et Vigiliis duæ Missæ conven-

---

[12]) S. R. C. die 16. Apr. 1853. Ord. Min. S. Franc. ad 8. n. 5183.

[13]) S. R. C. die 3. Aug. 1839. in Bobien. ad 1. n. 4857.; S. C. Conc. die 24. Aug. 1867. ad 2. ap. Acta S. Sed. tom. III. fol. 368.

tuales celebrandæ sunt, ut infra dicetur, utrique chorus assistere tenetur.[14]) Religiosi vero ad assistentiam Missæ conventualis non tenentur; assistentes laudandos esse, sed non cogendos, declaravit S. R. C.[15])

6. c. Missa conventualis quotidie *cantanda est*,[16]) non obstante quacumque contraria consuetudine.[17]) Etiamsi Missæ votivæ aut anniversaria sint celebranda, nihilominus Missa conventualis cantanda est,[18]) et quidem solemnius;[19]) sin votiva et conventualis eadem die cantari non possunt, conventualis tamen canenda est,[20]) nisi adsit vera consuetudo immemorabilis.[21])

Attamen excipitur: *α*) Quando episcopus diebus festivis pontificaliter celebret, hebdomadarius, vel is, cui onus inest Missæ conventualis, illam celebret *lectam* vel ante vel post Missam pontificalem.[22]) *β*) Si in solemnitate Corporis Christi episcopus voluerit ex sua particulari devotione celebrare et Ss. Sacramentum pro processione conficere, poterit summo mane Missam planam sine cantu legere, omissa pro hac die Missa solemni.[23]) *γ*) de consuetudine Missam conventualem cantandi tantum diebus festivis vel ob numerum ministrorum insufficientem vide Merati,[24]) vel ratione fundationis vide Quarti.[25])

---

[14]) S. R. C. die 20. Sept. 1681. in Bertinorien. n. 2963. et die 22. Aug. 1682. ibid. n. 2990.

[15]) die 27. Mart. 1779. Ord. Min. S. Franc. ad 15. n. 4393.

[16]) Bened. XIV. Constit. cit. §. 11.; Rubr. Miss. p. I. tit. 15. n. 2.

[17]) S. R. C. die 13. Jan. 1631. in Faventin. n. 889. et decr. cit. n. 1396.

[18]) S. R. C. die 5. Julii 1698. in Collen. ad 10. n. 3477. et die 24. Mart. 1860. in Barchinonen. ad 1. n. 5299.

[19]) S. R. C. die 28. Sept. 1658. in Angrens. n. 1931.

[20]) S. R. C. die 22. Sept. 1753. in Wilnen. ad 10. et 11. n. 4237.

[21]) S. R. C. die 4. Julii 1615. in Urbinaten. n. 507.

[22]) S. R. C. die 12. Nov. 1831. in una Marsor. ad 20. n. 4669.

[23]) Cærem. Episcop. lib. II. cap. 33. n. 31.

[24]) p. III. tit. 12. n. 4.

[25]) p. I. sect. 1. dub. 1.

7. Addendum est, quod Missa conventualis quotidie cantanda *applicari* debet *pro benefactoribus in genere,*[26]) non obstante quacumque consuetudine licet immemorabili, quæ potius abusus et corruptela dicenda est, ait Benedictus XIV.,[27]) nec exiguitate redituum, nisi a S. C. Conc. reductio obtineatur,[28]) nec licitum est, ut aliquod stipendium recipiatur, non obstante contraria consuetudine.[29]) „Canonici (enim) cathedralium et collegiatarum, ait S. C. Conc. die 17. Martii et 9. Junii 1714,[30]) accipiunt fructus suorum canonicatuum sub onere inserviendi ecclesiæ in celebratione divinorum officiorum; quæ celebratio non importat solum horas canonicas, sed etiam Missam conventualem, tamquam præcipuam partem, et proinde ad applicationem ejusdem Missæ conventualis tenentur pro illis ex quorum dispositionibus distributiones et emolumenta percipiunt.“ Solum beneficiati et mansionarii, si Missam conventualem aliquando celebrent, eleemosynam accipiant et quidem ex massa distributionum.[31])

Quæ obligatio applicationis solum spectat ad ecclesias cathedrales et collegiatas, non autem ad alias ecclesias sive sæcularium sive regularium.

8. Ad Missam autem conventualem celebrandam et applicandam pro benefactoribus in genere tenentur illi omnes, qui beneficium chorale possident, quique ad corpus capituli pertinent, sive dignitates, sive canonicatus, sive mansionariatus obtinent.[32]) Ex jure utique eadem a

[26]) Bened. XIV. Constit. cit. §. 11.; conf. Merat. l. c. n. 3.

[27]) l. c. §. 16. et S. C. Conc. die 26. Apr. 1753. in Alexandrina.

[28]) Bened. XIV. l. c. §. 19. et de sacrif. Miss. sect. 2. n. 57. seq.

[29]) Ferrar. v. *canonicatus* art. 5. n. 76. et 77.

[30]) Ap. Cavalieri tom. III. cap. 8. decr. 7. n. 1.

[31]) Bened. XIV. l. c. §. 18. et S. C. Conc. die 18. Maji 1719. in Ferrarien.; die 14. Mart. 1750 in Lucana; die 6. Maji 1865. ap. Acta S. Sed. tom. II. fol. 203. et die 22. Aug. 1874. in Vallen. ib. tom. VIII. fol. 104.

[32]) Bened. XIV. Constit. cit. §. 12.

solis canonicis celebranda est,[33]) etiamsi duæ vel tres Missæ a Rubricis præscribuntur[34]) et quidem per turnum aut alio modo juxta consuetudinem vel statuta capituli vel conventiones initas,[35]) sed ex consuetudine[36]) atque diebus ferialibus ac minus colendis[37]) canonici mansionarios de gremio capituli substituere possunt.

Diebus vero solemnioribus Missa conventualis seu principalis pertinet ad primam dignitatem, sed prima dignitate legitime impedita peragenda est per proximam dignitatem, et legitime impeditis omnibus dignitatibus hæc Missa celebranda est a canonicis tantum successive, incipiendo ab antiquiore,[38]) non autem ab alio per primam dignitatem substituendo;[39]) attamen prima dignitas non tenetur ad turnum, uti ceteri canonici.[40])

9. Quamvis, ut infra dicetur, ecclesiæ cathedrales et collegiatæ ad secundam et tertiam Missam conventualem diebus infra dicendis eadem die celebrandam stricte teneantur,[41]) a Benedicto XIV. secundæ tertiæque Missæ conventualis applicatio celebrantibus libera relinquitur, „dummodo in commemoratione pro defunctis ecclesiæ benefactorum in genere non obliviscantur,“[42]) laudandi tamen sunt, „qui sponte sua secundam aut tertiam conventualem Missam pro benefactoribus in genere applicant; qui vero idem agunt ex vi consuetudinis

[33]) S. R. C. die 14. Junii 1845. in Mandelen. ad 1. n. 5019.

[34]) S. R. C. die 2. Julii 1644. in Bergomen. n. 1518.

[35]) S. C. Conc. die 24. Maji 1873. ap. Acta S. Sed. tom. VIII fol. 222.

[36]) S. R. C. die 17. Nov. 1646 in Comen. n. 1569.

[37]) S. R. C. die 4. Mart. 1747 in Oriolen. ad 2. n. 4189. et 7. Dec. 1844. S. Severini ad 6. n. 5004.

[38]) S. R. C. die 24. Julii 1649. in Novocomen. ad 1—3. n. 1608; S. C. Conc. die 5. Dec. 1822. in Ulixbon. Orient. ad 2. et die 4. Mart. 1876. ap. Acta S. Sed. tom. IX. fol. 331.

[39]) S. R. C. die 14. Dec. 1602. in Marugien. Nullius n. 183.

[40]) S. R. C. decr. cit. n. 5019. ad 2.

[41]) S. C. Conc. die 26. Aug. 1873. Act. S. Sed. tom. VII. fol. 630.

[42]) Bened. XIV. l. c. §. 22.

in ipsorum ecclesia vigentis," iis imperat Benedictus XIV.,[43]) „ut in ea consuetudine perseverent."

10. d. Missa conventualis celebranda est *juxta ordinem officii divini et conformitatem temporis.*

Missa conventualis cum Officio diei semper concordare debet, nec umquam esse potest votiva, exceptis sequentibus a Rubricis allatis casibus.

α) „In Adventu, licet Officium non fiat de S. Maria in Sabbato, dicitur tamen Missa principalis de ea cum commemoratione de Adventu, nisi fuerint Quatuor Tempora vel Vigilia." Rubr. p. I. tit. 4. n. 2.

β) „Aliis diebus infra hebdomadam, quando officium fit de feria, et non est resumenda Missa Dominicæ præcedentis, quæ fuerit impedita (exceptis feriis Adventus. Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum et Vigiliarum) dici potest aliqua ex Missis votivis, etiam in principali Missa, quæ vocatur conventualis, secundum ordinem dierum in fine Missalis assignatum cum commemoratione feriæ, de qua factum est Officium." Rubr. l. c. n. 3.

γ) „Prima die cujusvis mensis (extra Adventum, Quadragesimam et tempus paschale) non impedita officio duplici vel semiduplici, dicitur Missa principalis generaliter pro defunctis sacerdotibus, benefactoribus et aliis. Si vero in ea fuerit festum simplex vel feria, quæ propriam habeat Missam, aut resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis, quæ fuit impedita, et infra hebdomadam non occurrat alius dies, in quo resumi possit, in ecclesiis cathedralibus et collegiatis dicantur duæ Missæ, una pro defunctis, alia de festo simplici vel feria prædicta. Sed in ecclesiis non cathedralibus nec collegiatis dicatur Missa de die cum commemoratione generaliter pro defunctis." Rubr. tit. 5. n. 1.

Hæc Missa de Requie prima die cujusvis mensis non impedita est præceptiva pro ecclesiis cathedralibus

[43]) l. c. ib.

et collegiatis;[44]) in ecclesiis vero regularium est de congruo, nisi ex consuetudine vel constitutionibus obligat.

Sin prima dies mensis festo duplici aut semiduplici extra Adventum, Quadragesimam et tempus paschale[45]) impedita sit, hæc Missa defunctorum ad aliam diem non impeditam ejusdem mensis differenda est.[46]) Item si Ss. Sacramentum ex publica causa prima die mensis expositum sit, eadem Missa conventualis amandanda est ad aliam diem non impeditam post Ss. Sacramenti expositionem.[47])

In reliquis Missis de die additur commemoratio generaliter pro defunctis,[48]) et quidem penultimo loco ante orationes imperatas;[49]) quæ commemoratio fit etiam in Missa conventuali, ubi altera, uti apud religiosos, non celebratur.

δ) „Præterea feria secunda cujusque hebdomadæ, in qua officium fit de feria, Missa principalis dici potest pro defunctis. Si autem fuerit propria Missa de feria vel de festo simplici vel resumenda sit Missa Dominicæ præcedentis, ut supra, in Missa de die fit commemoratio (ut dictum est) pro defunctis. Excipitur tamen Quadragesima et totum tempus paschale, et quando per annum Officium est duplex vel semiduplex: quibus temporibus non dicitur Missa conventualis pro defunctis (nisi in die depositionis defuncti et in anniversario pro defunctis) neque pro eis fit commemoratio." Rubr. p. I. tit. 5. n. 2.

---

[44]) S. R. C. die 27. Febr. 1847. in Aretin. ad 1. n. 5063.

[45]) S. R. C. decr. cit. n. 5063. ad 4.

[46]) S. R. C. die 27. Mart. 1745. in Ipporegien. n. 4167.

[47]) Caval. tom. 4. cap. 7. decr. 43. n. 3. Gardell. Instr. Clement. §. 17. n. 5—7.

[48]) Rubr. cit. et S. R. C. die 13. Aug. 1701. Ord. Eremit. S. August. n. 3595.

[49]) S. R. C. die 2. Dec. 1684. Ord. Can. Regul. Lateran. ad 6. n. 3073; die 23. Maji 1835. in Namurcen. ad 1. q. 4. n. 4746. et 12. Dec. 1879. in Valentinen. ad 2. ap. Acta S. Sed. tom. XII. fol. 642.

Quando vero prima dies mensis et feria secunda simul occurrant, rubrica principalior est servanda, supra sub γ) allegata.

Per „feriam secundam cujusvis hebdomadæ" intelliguntur etiam feriæ secundæ infra Adventum.[50])

CAPUT II.

De duabus Missis conventualibus.

In feriis Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum et Vigiliarum, etiamsi duplex vel semiduplex festum *(etiam translatum)* vel *(dies)* octava occurrat, in ecclesiis cathedralibus et collegiatis cantantur duæ Missæ, una de festo post Tertiam, alia de feria post Nonam." Rubr. tit. 3. n. 1.

2. Ad has duas Missas celebrandas ecclesiæ cathedrales et collegiatæ obligantur vi præcepti et quidem cum cantu et post horas a Rubrica præscriptas,[1]) nec altera Missa de feria vel vigilia unquam omittenda est, etiamsi occurrat festum duplex aut semiduplex aut dies octava, sub prætextu faciendi capitulum[2]) aut qualibet alia causa[3]) aut tenuitate præbendarum[4]) aut ob immemorabilem consuetudinem.[5])

Quandoquidem permissum fuit, ut cantata Missa conventuali de die, altera celebrari posset sine cantu, cum interventu tamen Canonicorum.[6])

---

[50]) Gavant. p. I. tit. 5. lit. t. Caval. tom. III. cap. 8. decr. 1. n. 15.

[1]) S. R. C. die 3. Aug. 1737. in Urbevetana ad 11. n. 4062. et S. C. Conc. die 28. Sept. 1771. in Comen. ad 1.

[2]) S. R. C. die 16. Maji 1626. in Burgen. ad 3. n. 631.

[3]) S. R. C. die 16. Jan. 1627. Abusus n. 669.

[4]) S. R. C. die 16. Nov. 1649. in Bellicastren. n. 1612.

[5]) S. R. C. die 9. Apr. 1633. in Aquilegien. n. 981. et die 22. Julii 1848 in Adjacen. ad 4. n. 5121. cf. S. C. Conc. die 28. Febr. 1722. in Brundisina; die 24. Aug. 1743. in Camerin. ad 4; die 26. Aug. 1873. ap. Acta S. Sed. tom. VII. fol. 630.

[6]) S. R. C. die 5. Julii 1631. in Ortana n. 919. et S. C. Conc. 5. Aug. 1876. ap. Acta S. Sed. tom. IX. fol. 600.

3. Regulares vero, Missa conventuali de Officio diei celebrata, per se ad alteram conventualem de feria aut vigilia non tenentur,[7]) nisi id fiat ex consuetudine et eorum constitutionibus; nihilominus apud illos hæc altera Missa legi potest privatim et absque choristarum assistentia, ut jam dictum est. Canonici vero regulares ad duas Missas cantandas tenentur.[8])

4. Quando feria tertia Rogationum occurrat festum simplex, duæ Missæ conventuales non sunt cantandæ, sed unica dumtaxat de Rogationibus cum commemoratione simplicis et tertia Oratione *Concede*.[9])

5. Missa Rogationum, ubi processio instituitur et quidem post processionem, ubique est de præcepto.[10]) In festo S. Marci,[11]) item feria tertia aut quarta Rogationum, si festum duplex I. classis his feriis occurrat,[12]) Missa de Rogationibus celebranda est cum cantu, etiam apud regulares. Ubi vero non est consuetudo processionem faciendi, Missa Rogationum omittitur et in Missa conventuali de officio diei fit commemoratio Rogationum. et, si occurrat festum duplex I. classis, sub una conclusione.[13])

6. In Vigilia Adscensionis, ubi processio peragitur. tres Missæ conventuales celebrantur, si nempe occurrat festum duplex aut semiduplex, juxta propriam Rubricam hujus diei, et quidem de festo post Tertiam, de Vigilia post Sextam et de Rogationibus post Nonam, nisi festum occurrens sit duplex I. classis, quo in casu de hac Vi-

---

[7]) S. R. C. die 13. Febr. 1666. Not. gen. ad Missale ad 6. n. 2362.

[8]) S. R. C. die 20. Nov. 1662. in una Dub. n. 2189.

[9]) S. R. C. die 5. Julii 1698 in Collen. ad 3. n. 3477.

[10]) S. R. C. die 12. Nov. 1831. in Marsor. ad 37. n. 4469.; die 23. Maji 1835. in Namurcen. ad 12. n. 4746. et 12. Mart. 1836 in Tuden. ad 10. n. 4777.

[11]) S. R. C. die 16. Febr. 1781. Ord. Carmel. ad 1. n. 4401. vid. n. 4478. ad 4.

[12]) S. R. C. die 16. Apr. 1853. Ord. Min. Observ. ad 12. n. 5183.

[13]) S. R. C. die 27. Febr. 1847. in Limburgen. ad 1—3. n. 5082.

gilia nihil foret agendum. Quando processio omittitur nec festum duplex I. classis celebrandum est, duæ tantum Missæ conventuales cantantur, sc. una de festo sine commemoratione Vigiliæ et Rogationum, altera de Vigilia cum secunda Oratione de Rogationibus et tertia *Concede*.

7. Duæ enim Missæ conventuales non cantantur in Vigiliis: 1. si Vigilia in festum duplex I. classis cadat, quo in casu nihil fit de Vigilia. 2. Si Vigilia venerit Quatuor Temporibus et tempore Quadragesimæ, quia Missa dicitur de feria cum commemoratione Vigiliæ. 3. Si Vigilia Epiphaniæ ex privilegio impedita sit per festum duplex, Missa dicitur de festo duplici cum commemoratione et ultimo Evangelio Vigiliæ. Hæc Vigilia enim non est ferialis, sed festiva, ritum habens semiduplicem, estque vel vera Dominica ibidem reposita vel instar habet Dominicæ.[14])

8. „In Vigiliis autem et feriis Quatuor Temporum vel feria secunda Rogationum, quæ veniunt infra octavam, Missa dicitur de Vigilia vel feriis prædictis cum commemoratione octavæ: præterquam infra octavam Corporis Christi, in qua in ecclesiis cathedralibus et collegiatis cantantur duæ Missæ, una de octava post Tertiam, alia de Vigilia post Nonam." Rubr. tit. 3. n. 2.

In Vigiliis, ergo feriis Quatuor Temporum, feria secunda Rogationum (et etiam in feriis Quadragesimæ apud privilegiatos) quæ infra octavam non privilegiatam occurrunt, duæ Missæ conventuales minime celebrandæ sunt, sed tantum una de Vigilia vel feria.[15]) „In his enim casibus, ait Gavantus,[16]) discordat Missa ab officio, quia Missæ propriæ de Vigilia convenit, ut cedat ea Missa, quæ infra octavam sæpius repetitur." Solum excipitur octava Corporis Christi[17]) propter magnam istius

[14]) Caval. tom. II. cap. 15. decr. 4. n. 7.
[15]) S. R. C. die 24. Jan. 1682. in Marsicana ad 3. n. 2973.
[16]) p. I. tit. 3. litt. I.
[17]) S. R. C. die 26. Jan. 1793. in Santanderien. ad 4. n. 4448.

octavæ solemnitatem et populi devotionem erga Missam ss. Sacramenti.[18])

Hoc ipsum servandum est, quod infra octavam Corporis Christi, quoties aliqua Vigilia vel feria major aut Dominica anticipata incidat infra octavam, quæ privilegio potiatur excludendi saltem semiduplex occurrens.[19])

In Dominicis autem, quibus festum duplex occurrit, et in die, qua Dominica anticipatur, nisi hæc dies cadat infra octavam privilegiatam, ut modo dictum est, non sunt celebrandæ duæ Missæ.[20])

9. In die commemorationis omnium fidelium defunctorum duæ Missæ conventuales celebrandæ sunt, licet de die infra octavam fit; una de octava omnium Sanctorum post Tertiam, altera de Requie post Nonam. — Circa Missam secundam de Requie vide cap. I. n. 10. *γ*.

10. Diebus anniversariis electionis et consecrationis episcopi[21]) et quandocumque Missa votiva solemnis cantatur, v. gr. si per indultum apostolicum solemnitas festorum ad Dominicam sequentem vel præcedentem transferenda vel anticipanda sit, duæ Missæ cantandæ sunt. Rubr. tit. 6.

CAPUT III.

De modo celebrandi duas Missas conventuales.

Quando duæ Missæ in ecclesiis cathedralibus et collegiatis celebrandæ sunt, in Missa de festo vel de die octava, nihil fit de feria vel Vigilia. Si hoc festum sub ritu duplici celebretur, facienda est commemoratio simplicis vel diei infra octavam, si occurrat; si vero sub ritu semiduplici, dicuntur tres Orationes, quas Rubricæ generales tit. IX. *de Orationibus* n. 2—9. pro festis semiduplicibus præscribunt.

---

[18]) De Herdt. tom. I. n. 22. i.
[19]) Cavalieri tom. II. cap. 15. decr. 3. n. 8.
[20]) Cavalieri tom. II. cap. 14. decr. 2. n. 22.
[21]) Vide Append. III. cap. 6.

2. In Missa autem conventuali de feria vel Vigilia omittitur commemoratio festi occurrentis, diei infra octavam et festi simplicis, si occurrat, item *Gloria* et *Credo;* et sumitur Præfatio communis vel de tempore, non de festo occurrente nec de octava, quamvis habeat propriam Præfationem, dicitur *Benedicamus Domino* et in fine legitur Evangelium S. Joannis *In principio* et adhibentur paramenta violacea, excepta Missa Vigiliæ Adscensionis, quæ in colore albo celebratur et habet *Gloria* et *Ite Missa est.*

3. In feriis Quadragesimæ et Quatuor Temporum commemorationes fiunt, ut in Missali notantur; sed si Vigilia in talem feriam incidat, Oratio secunda est de Vigilia, et tertia, quæ secus secundo loco ponenda sit. Rubr. Miss. tit. III. n. 5. In feriis Rogationum Oratio secunda dicitur *Concede,* tertia *Ecclesiæ* vel pro Papa.

4. In Vigilia Adscensionis, in qua tres Missæ conventuales celebrandæ sunt, ut jam dictum est, in prima Missa de festo nec de Vigilia nec de Rogationibus commemoratio fit, attamen de simplici vel die infra octavam facienda est, si occurrat; in secunda de Vigilia, secunda Oratio sumitur *Concede,* tertia *Ecclesiæ* vel pro Papa; item in tertia de Rogationibus. Si dies infra octavam occurrat, et festum duplex vel semiduplex non celebretur, quo in casu octava tantum commemoratur, nonnisi duæ Missæ conventuales cantantur, in prima Missa de Vigilia Oratio secunda est de octava, tertia, quæ secus infra hanc octavam ponenda sit; in secunda autem de Rogationibus, Oratio secunda *Concede,* tertia *Ecclesiæ* vel pro Papa.

5. In Vigiliis tempore Adventus (extra Quatuor Tempora) Oratio secunda erit de tempore Adventus, tertia *Deus qui de beatæ,* excepta Immaculatæ Conceptionis Vigilia per decretum SS. D. N. Leonis PP. XIII. Urbis et Orbis die 30. Nov. 1879. pro universa Ecclesia præscripta, in qua Oratio tertia erit de Spiritu sancto. In Vigiliis a Nativitate Domini usque ad Purificationem

Oratio secunda erit: *Deus, qui salutis,* tertia *Ecclesiæ* vel pro Papa; reliquis temporibus per annum in Vigiliis Oratio secunda erit: *Concede,* tertia *Ecclesiæ* vel pro Papa. In Vigiliis B. M. V. extra Adventum et in Vigilia Omnium Sanctorum Oratio secunda dicetur de Spiritu sancto, tertia *Ecclesiæ* vel pro Papa.

6. Sin Vigilia aut feria Quatuor Temporum aut feria secunda Rogationum (aut feria Quadragesimæ in ecclesiis, quibus privilegium hoc tempore octavas celebrandi concessum est) cadat in diem infra octavam non privilegiatam, non dicuntur duæ Missæ conventuales, sed una tantum de Vigilia aut feria, in qua Missa Oratio secunda dicetur de octava, tertia erit conveniens octavæ, non tempori, nisi commemoratio festi simplicis facienda sit, de quo tunc Oratio tertia dicenda erit. Si octava habeat Præfationem propriam, ista legetur, alias de tempore vel communi. [1]) *Gloria* et *Credo* omittetur, dicetur *Benedicamus Domino* et adhibebitur color violaceus.

7. In omnibus Missis ferialibus etiam infra octavas genuflectendum est in choro, [2]) et in Missa de festo Gloria, Credo, totum Graduale, Offertorium, Præfatio et Pater noster semper canenda sunt juxta Cæremoniale Episcoporum. [3])

CAPUT IV.

De Hora celebrandi Missam conventualem.

Missa conventualis et solemnis sequenti ordine dici debet. In festis duplicibus et semiduplicibus, in Dominicis et infra octavas, dicta in choro hora Tertia. In festis simplicibus et in feriis per annum, dicta Sexta. In Adventu, Quadragesima et Quatuor Temporibus, etiam infra octavam Pentecostes et Vigiliis,

[1]) S. R. C. die 23. Junii 1736. in Einsidlen. ad 31. n. 4044.

[2]) ib. n. 4044. ad 32.

[3]) S. R. C. die 14. April. 1753. in Conimbricen. ad 2. n. 4233.

quæ jejunantur, quamvis sint dies solemnes, Missa de tempore debet cantari post Nonam."[1])

Juxta ergo hanc Rubricam Missæ conventuales celebrandæ et cantandæ sunt horis statutis nec ad aliud tempus transferri possunt, quia v. gr. statutum ecclesiæ præcipit, ut capitula seu congregationes capitulares immediate post Primam celebrentur,[2]) imo omnis consuetudo, quamvis immemorabilis, huic ordini contraria, tamquam abusus eliminanda est.[3]) Si vero Missæ conventuales horis per Rubricas præscriptis cantandæ sint, eo minus infra horas canonicas celebrari possunt. Quodsi enim non licet, dum in choro horæ canonicæ persolvuntur, in altera ejusdem ecclesiæ capella aliam peragi functionem aliasve preces recitari, ut S. R. C. declaravit,[4]) multo minus licebit in eodem choro eodemque tempore Missam conventualem celebrari et horas recitari, ac duas actiones distinctas et successivas simul confundi,[5]) cum omnis obligatio chori *successive semper*, et non *simultanee* sit adimplenda.[6])

Missa vero de Sancto sub ritu duplici vel semiduplici etiam in feriis Adventus vel Quadragesimæ occurrente semper celebranda est post Tertiam.[7])

In Vigilia Nativitatis Domini Missa conventualis cantanda est post Nonam, si autem venerit in Dominica, post horam Tertiam;[8]) in Vigilia Epiphaniæ post

[1]) Rubr. p. I. tit. 15. n. 2. S. R. C. die 22. Jan. 1701. Congr. Mont. Coron. ad 1. 2. 4. n. 3575. et 27. Sept. 1817. Nullius Prov. Compostell. n. 4542. vid. adnot. subject.

[2]) S. R. C. die 22. Jan. 1678. in una Guadicen. ad 5. n. 2856.

[3]) S. R. C. die 9. Aug. 1760. in Venusina n. 4293.; die 4. Junii 1817. Dubior. ad 1. n. 4536.; die 12. Nov. 1831. in u. Marsor. ad 27. n. 4669.; die 29. Nov. 1856. Salutar. ad 1. n. 5228. et die 24. Mart. 1860. in Barchinonen. ad 3. n. 5299.

[4]) die 15. Febr. 1659. in Neritonen, n. 1967.

[5]) S. R. C. die 27. Sept. 1817. Nullius Prov. Compostell. ad 4. n. 4542.

[6]) S. R. C. die 19. Maji 1838. S. Marci n. 4835.

[7]) S. R. C. die 20. Apr. 1822. in Cotronen. ad 1. n. 4586.

[8]) Gavant. p. IV. tit. 3. n. 1.

Tertiam, sive in feria sive in Dominica occurrerit, quia ritu semiduplici celebratur et non jejunatur; de Vigilia Adscensionis jam dictum est cap. II. n. 6.

2. „Missa autem Defunctorum dici debet post Primam diei; ubi vero dicuntur eorum Vigiliæ mane post Matutinum diei, dictis hujusmodi Vigiliis cum Laudibus, immediate dici potest Missa pro defunctis. Sed in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum Missa conventualis dicitur post Nonam, quia eo die est principalis. In die autem depositionis defuncti, vel tertio, septimo, trigesimo aut anniversario solemni, in quo fit concursus populi, poterit similiter dici ultimo loco post Nonam." Rubr. cit. n. 3.

3. „Excipiuntur ab hoc ordine dicendi Missam conventualem, Missæ in Nativitate Domini, quarum prima dicitur post mediam noctem, finito *Te Deum laudamus* in Matutino; secunda in aurora, dictis Laudibus et Prima; tertia vero in die post Tertiam, vel ubi aliter ex dispensatione apostolica disponatur." Rubr. cit. n. 4.

4. „Missæ votivæ, quia non correspondent officio, si solemniter celebrentur pro re gravi vel publica Ecclesiæ causa, cum populi frequentia, dicantur post Nonam." Rubr. cit. n. 5.

Missæ votivæ solemnes pro re gravi celebrantur post Nonam; sin Missa conventualis similiter post Nonam celebranda sit, quæ cum Officio concordat, prius cantanda est, postea votiva. Et licet in hoc casu nulla hora sit media inter utramque Missam, est casus unicus et privilegiatus ob concursum populi.[9]) Aliæ votivæ, quæ certis diebus ex Rubricarum dispositione locum habent, celebrantur post Sextam; votivæ autem ex fundatione vel alia obligatione post Primam.[10])

---

[9]) S. R. C. die 13. Febr. 1666. Notand. gen. ad Missale ad 2. n. 2362.

[10]) S. R. C. die 12. Aug. 1854. in Lucionen. ad 9.

APPENDIX SECUNDA.

DE MISSÆ PAROCHIALIS OBLIGATIONE.

Missa parochialis est illa, quæ diebus Dominicis festisque de præcepto ab animarum pastoribus pro populo applicatur.

Cum autem celebratio et applicatio hujus Missæ ad præcipua parochi officia pertineat, non erit abs re, ut ejusdem obligationem speciatim commentemur et claritatis causa istam materiam in capita sequentia dividamus.

I. Ex quo jure animarum pastores ad Missam pro populo tenentur?
II. Qui sub pastorum nomine comprehenduntur?
III. Quando parochi ad Missam parochialem applicandam obligantur?
IV. Estne obligatio applicandi pro populo personalis et realis?
V. Quid dicendum de parocho, qui duas parochias regit?
VI. Quid de parocho, qui simul est canonicus?
VII. Quomodo Missa parochialis a parocho celebranda est?
VIII. Quid de binatione Missæ parochialis?

CAPUT I.

Ex quo jure animarum pastores ad Missam pro populo tenentur?

Pastores, quibus animarum cura commissa est, tum **ex jure divino**, *tum* **ex jure ecclesiastico** *pro ovibus suis Missæ sacrificium offerre tenentur.*

1. Prima pars propositionis, quod nempe parochi ex jure divino tenentur, probatur a) auctoritate Concilii Tridentini *sess. 23. cap. 1. de Reform.*, ubi ait: „Cum *præcepto divino* mandatum sit omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere, *pro his sacrificium offerre*, verbique divini prædicatione etc." Illud jus divinum habetur tam in Vetere Testamento Lev. 9, 7., ubi Moyses ad Aaron dixit: „Accede ad altare, et immola pro peccato tuo: offer holocaustum et deprecare pro te et pro populo; cumque mactaveris hostiam populi, ora pro eo, sicut præcepit Dominus," quam in Novo Testamento, in quo legimus apud Joannem 21, 17., quod Dominus Petro præcepit: „Pasce oves meas" et in Actibus Apostolorum 20, 28.: „Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere ecclesiam Dei."

Probatur b) ex constitutionibus Romanorum Pontificum, præsertim Benedicti *XIV. Cum semper oblatas* [1]) et Pii IX. *Amantissimi* [2]), in quibus dicitur, hanc obligationem *ex præcepto divino descendere.*

Probatur c) ex resolutionibus S. Congregationis Concilii, in quibus hoc jure divino tamquam firmissimo fundamento et principio nititur. Prætereundo placet adnotare, decreta S. C. Concilii maximæ esse auctoritatis, ita ut destruant omnem contrariæ sententiæ probabilitatem, et tamquam decisivas declarationes et interpretationes Sacri Concilii Tridentini esse observandas, adeoque vim legis habere, et ut leges recipiendas esse. [3])

---

[1]) Die 19. Aug. 1744. Etsi constitutio *Cum semper oblatas* dumtaxat ad Italiæ episcopos directa est, in quantum tamen jus commune explicat, universalem vim habet ad jus illud probandum, et S. C. Concilii in dirimendis dubiis circa Missam pro populo extra Italiam exortis, secundum hanc constitutionem constanter judicavit; necnon S. C. de Propaganda fide in varias orbis partes, pro opportunitate, veluti legem servandam hanc constitutionem transmisit.

[2]) Die 3. Maji 1858.

[3]) Decreta vide ap. Zamboni v. *Parochus* p. 1. et 3.

Probatur d) ex communi sententia Canonistarum[4]) et Theologorum,[5]) qui dicunt, ex jure divino pastores animarum obligari non solum celebrare, sed etiam pro ovibus ipsorum curæ commissis aliquando sacrificium offerre.

2. Cum vero secundum divinam institutionem Ecclesiæ officium pastoris sua plenitudine in solis Episcopis resideat, *soli Episcopi* ad sacrificium pro populo offerendum *jure divino absolute* tenentur. Quod patet a) ex Epistola ad Hebræos, in qua dicitur cap. 5, 1.: „*Omnis pontifex* ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis;" et cap. 8, 3.: „*Omnis pontifex* ad offerendum munera et hostias constituitur." S. Paulus his locis non dicit: omnis sacerdos sed *omnis pontifex* (πᾶς ἀρχιερεύς), quod nomen competit solum episcopis. b) ex testimoniis Ss. Patrum v. gr. S. Hieronymi,[6]) S. Gregorii,[7]) S. Augustini[8]) et aliorum.

Ceteri autem curam animarum gerentes præter episcopos non habent officium pastoris veluti proprium, sibique inhærens ex jure divino, sed illud exercent ex delegatione et constitutione ecclesiastica. Quare, si in jure ecclesiastico dicitur, in parochos incumbere onus applicandi Missam pro populo ex præcepto divino, id intelligendum est *non* de jure divino *absolute*, sed de jure divino *hypothetice* spectato; nam Ecclesia committit parochis aliqua ratione animarum curam; non committit modo mere facultativo, ut v. gr. sacerdotibus, qui ex

---

[4]) Conf. Fagnan. in cap. *Fraternitatem* n. 92. seq. *de sepulturis*, Barbos. *de off. et pot. Episc.* cap. 24. n. 23., *de Paroch.* cap. 11. n. 10., Clericat. *de benef. discord.* p. 1. disc. 29. n. 1. seq., Reiffenstuel *de celebr. Miss.* n. 22.

[5]) S. Alphons. l. 6. n. 326., Suarez. III. p. t. 3. disp. 86. sect. 1., Bonacin. *de sacr.* disp. 4. qu. ult. p. 7. n. 4., Pasqual. *de sacrif. novæ leg.* qu. 851. n. 7.

[6]) Epist. ad Fabiol.

[7]) Lib. 1. ep. 25. ad Joann. Episc. Constantinop. sub init.

[8]) Contra ep. Parmen. lib. 2. c. 5. n. 15.

caritate curam animarum exercent, committere solet, sed modo, quo obligatio inducatur; committit hanc animarum curam sine ea limitatione, quæ obligationem applicandi Missam pro populo excludat. Itaque in constitutionibus supradictis Benedicti XIV. et Pii IX. non dicitur, obligationem applicandi Missam pro populo esse *absolute divinum præceptum*, sed eam *ex divino præcepto descendere.*

3. Secunda propositionis pars, quod pastores etiam *ex jure ecclesiastico* ad applicandam Missam pro populo obligantur, elucet tum ex unanimi Theologorum consensu,[8]) tum ex resolutionibus interpretum S. Concilii Tridentini „qui constanter edixerunt", uti Benedictus XIV. in const. *Cum semper* §. 2. ait, „eos, quibus animarum cura demandata est, non modo sacrificium Missæ celebrare, sed illius etiam fructum medium pro populo sibi commisso applicare debere," tum denique ex bullis atque encyclicis Summorum Pontificum, præsertim Innocentii XII., Benedicti XIV. et Pii IX.

CAPUT II.

Qui sub pastorum nomine comprehenduntur?

Nomine pastorum, *qui ad Missam pro populo applicandam obligantur*, **omnes et soli** *animarum curam* **actu** *exercentes comprehenduntur, nec ullus eximitur, quamvis contraria et immemorabili consuetudine fulciatur aut congruis reditibus destituatur.*

1. Sub dicta obligatione comprehenduntur omnes, qui *actu curam exercent*, sive perpetui sint, sive temporanei et ad nutum amovibiles. „Hæc vero requiruntur," docet S. C. Conc.,[1]) „ut verus quis dicatur parochus: quod potestatem nempe habeat fori pœnitentialis, quod

[8]) Vide supr. cit. et Salmant. de sacr. Miss. c. 5. n. 50. et 51.
[1]) In Egitan. Vis. S. Liminum die 27. Junii 1789.

certam *suo nomine* administret parochiam, quodque *de necessitate* administret, ab eoque parochiani *necessario* recipiant sacramenta."

Veniunt ergo nomine pastorum a) qui beneficium aliquod habent, quocum directe et principaliter ejusmodi officium connectitur, ut episcopi et parochi. b) Vicarii curati, qui nempe *actu* curam exercent, dum cura *habitualis* penes alium remanet. c) Vicarii, qui parochia vacante ad curam in ea exercendam deputantur. d) Curati ad nutum amovibiles. e) Regulares, qui parochi vel vicarii titulo curam exercent. f) Vicarii apostolici et missionarii, qui mittuntur ad regendam ecclesiam canonice erectam in sedem episcopalem vel parochialem; vel illi administratores ecclesiarum episcopalium aut parochialium, qui in loco episcopi aut parochi a divinis suspensi etc. ponuntur.

Hi omnes et soli a Benedicto XIV. in constitutione supradicta §. 4. enumerantur his verbis: „Mens nostra et sententia est, sicuti etiam pluries a prælaudatis congregationibus (Concilii) judicatum fuit ac definitum, quod *omnes et singuli, qui actu animarum curam exercent*, et non solum parochi aut vicarii sæculares, verum etiam parochi aut vicarii regulares, uno verbo omnes et singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicumque, etiam specifica et individua mentione digni, æque teneantur Missam parochialem applicare pro populo, ut præfertur, ipsorum curæ commisso."

Non autem obligantur ad Missam pro populo applicandam pastorum coadjutores, qui non subintrant in eorum locum, sed tantum coadjuvant, uti cooperatores seu capellani a parocho stipendiati,[2]) nec sacerdotes sæculares vel regulares, qui ex caritate sacramenta administrant et diebus dominicis et festivis in aliqua parochia derelicta celebrant, nec capellani Monialium curæ præ-

[2]) S. Rit. C. die 14. Junii 1845. in Monasterien. ad 3. l°. n. 5014.

positi, quum non sint parochi,[3]) denique nec Missionarii, qui ad propagandam fidem inter christianos in loca infidelium emigrant, in quibus nunquam parochia canonice erecta est, uti S. Congr. de Propaganda fide die 23. Maji 1863[4]) declaravit.

2. Parochi aliique supra allati, quamvis pro populo applicare teneantur, pro hujusmodi applicatione eleemosynam percipere non possunt.[5]) Quæ obligatio urget, etiamsi parochi congruis reditibus destituantur, ut S. C. Conc. die 10. Maji 1692. decrevit. Ad quæstionem nempe: „An parochus ad applicationem Missæ teneatur in diebus Dominicis et festis sive habeat congruam, sive non?" eadem S. Congregatio respondit: „Teneri, et iisdem diebus aliam eleemosynam non posse accipere." Quod Innocentius XII. in const. *Nuper* die 24. Aprilis 1699. confirmavit,[6]) et Benedictus XIV. denuo inculcavit. Sapientissimus Pontifex enim in memorata bulla *Cum semper oblatas* §. 5. dicit: „Nonnulli vero ad evitandum hujusmodi obligationis implementum allegare solent, congruos sibi parochiæ suæ reditus non suppetere: alii denique ad inveteratam consuetudinem confugiunt, sustinentes, id neque sibi neque decessoribus suis per longum tempus, quod immemorabile affirmant, umquam in usu fuisse. Nos autem ad præcedentes prædictæ Congregationis Concilii resolutiones nostram adprobationem et confirmationem extendimus: et quatenus opus sit, *auctoritate Apostolica iterum tenore præsentium decernimus et declaramus, quod, licet parochi seu alii*, ut supra, animarum curam habentes, *congruis præfinitis reditibus destituantur*, et quamvis antiqua seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum diœcesibus seu parochiis obtinuerit, ut Missa pro populo non ap-

---

[3]) S. Rit. C. die 7. Sept. 1844. in Quebecen. ad 1. n. 4988.
[4]) Ap. Acta S. Sedis tom. I. fol. 408.
[5]) Bened. XIV. *Cum semper* §. 2.
[6]) Ap. Merati p. III. tit. 12. n. 3.

plicaretur, eadem nihilominus *omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.*"

3. Neminem ergo ab hac obligatione liberat doctus Pâpa; est enim *divinum præceptum*, quod nulla contraria consuetudine aboleri potest, et *ex officio* convenit parochis, ideoque etsi minime habeant congruam; nam parochus hanc Missam applicare tenetur non ob congruam, sed ratione officii. Solum casum eximit:

Quodsi nempe parochi adeo sint pauperes, ut ferme ex eleemosynis, quas a fidelibus pro Missarum celebratione accipiant, vivere cogantur, tunc habent episcopi facultatem opportune dispensandi ad hoc, ut ejusmodi parochi diebus festis „eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere et pro ipso sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere et licite possint et valeant; dummodo ad necessariam populi commoditatem in ipsa ecclesia parochiali Missam celebrent; ea tamen adjecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis, infra eamdem hebdomadam occurrentibus, juxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint".[7])

CAPUT III.

Quando parochi ad Missam parochialem applicandam obligantur?

Parochi aliique curam animarum actu gerentes Missam pro populo applicare tenentur **omnibus Dominicis festisque de præcepto, necnon festis pro foro abrogatis,** *non obstante quacumque contraria consuetudine.*

1. Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 14. de Reform. præcipit, ut qui curam habeant animarum „tam *frequenter*, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent." Ejusmodi obligatio, utpote generalis et indeterminata,

[7]) Const. *Cum semper* §. 8. Conf. S. C. Conc. die 26. Mart. 1735. in Ferrentina.

fuit determinata et coarctata a Benedicto XIV. [1]) declarante, „eos, qui animarum curam exercent, sacrificium Missæ pro populo celebrare atque applicare debere, in *dominicis aliisque per annum diebus festis de præcepto.*“

2. Pro norma elenchi festorum constitutio Urbani *Universa per orbem* de die 13. Sept. 1432. sumenda est, uti ex encyclica Pii IX. *Amantissimi* de die 3. Maji 1858. clare patet, in qua Papa quoad festa in dictam Urbani VIII. Constitutionem episcopos sæpius remittit.

3. Festa nempe de præcepto, ab Urbano VIII. determinata præter Dominicas sunt sequentia: Circumcisionis, Epiphaniæ, Purificationis B. M. V., S. Mathiæ Ap., S. Joseph, Annuntiationis B. M. V., Paschatis cum duobus diebus subsequentibus, Ss. Philippi et Jacobi Ap., Inventionis S. Crucis, Adscensionis, Pentecostes cum duobus diebus subsequentibus, Corporis Christi, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Ss. Ap. Petri et Pauli, S. Jacobi Ap., S. Annæ, S. Laurentii Mart., Assumptionis B. M. V., S. Bartholomæi Ap., Nativitatis B. M. V., S. Matthæi Ap., Dedicationis S. Michælis Archangeli, Ss. Simonis et Judæ Ap., Omnium Sanctorum, S. Andreæ Ap., Immaculatæ Conceptionis B. M. V. (quod festum a Clemente XI. per constit. *Commissi nobis* die 6. Dec. 1708. huic catalogo additum est), S. Thomæ Ap., Nativitatis Domini, S. Stephani Protomartyris, S. Joannis Ap., Ss. Innocentium et S. Sylvestri Papæ et Confessoris. Præterea festum unius ex principalioribus Patronis in quocumque regno sive provincia et alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos Patronos haberi et venerari contigerit; non autem de *titularibus* ecclesiæ.

4. Pius VI. vero propter tempora procellosa suppressit plura festa quoad obligationem Missam audiendi et abstinendi a servilibus. Et sunt sequentia: Festa

[1]) Constit. cit. §. 6.

Apostolorum præter solemnitatem Ss. Petri et Pauli, duæ subsequentes feriæ post Pascha et Pentecosten, Inventio S. Crucis, festa S. Annæ, S. Laurentii, Dedicationis S. Michælis, S. Stephani, Ss. Innocentium, S. Sylvestri et S. Joseph.[2])

Porro per decretum Cardinalis Caprara die 9. Aprilis 1802, postea a Pio VII. confirmatum, in toto Gallicanæ reipublicæ territorio omnia festa de præcepto abrogata fuerunt, exceptis Nativitatis Domini, Adscensionis, Assumptionis B. M. V. et Omnium Sanctorum.

5. Obligatio ergo Missam parochialem celebrandi et applicandi exsistit non solum pro diebus, qui adhuc de præcepto servantur, verum etiam pro *diebus festivis*, auctoritate pontificia *suppressis*, eo quod, dum per Summos Pontifices christiana plebs ab audiendo Sacro eximitur prædictis diebus, ab onere applicandi Missam pro populo nequaquam exonerantur animarum pastores.

Quod constat ex sæpius jam citata constitutione *Cum semper oblatas* Benedicti XIV., in qua §. 7. dicit: „Et quia in nonnullis diœcesibus numerus dierum festorum de præcepto, de Apostolica nostra auctoritate et consensu, eatenus est minutus, ut nempe in aliquibus festis Christifideles et Missam audire et ab operibus servilibus abstinere debeant; in aliis vero populo permissum sit, opera servilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Missæ sacrificium: nos, ut obortæ jam dubitationes circa onus applicationis Missæ parochialis in hujusmodi diebus festis penitus eliminentur, *statuimus et declaramus, quod etiam iisdem festis diebus, quibus populus Missæ interesse debet et servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes Missam pro populo celebrare et applicare teneantur.*“

---

[2]) Bouix *de Parocho* p. 5. c. 6. solide probat, ad dignoscenda festa suppressa, quibus parochi ad applicandam Missam pro populo tenentur, standum esse elencho Urbani VIII., non autem a Clemente XIV. die 27. Aug. 1770. descripto.

Item probatur ex encyclica Pii IX. *Amantissimi*, ubi Papa fel. rec. stricte jubet: „Hisce Litteris declaramus, statuimus atque decernimus, parochos aliosque animarum curam actu gerentes sacrosanctum Missæ sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare debere tum omnibus Dominicis aliisque diebus, qui ex præcepto adhuc servantur, *tum illis etiam, qui ex hujus Apostolicæ Sedis indulgentia ex dierum de præcepto festorum numero sublati ac translati sunt*, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII. constitutio in pleno suo robore vigebat, antequam festivi de præcepto dies imminuerentur et transferrentur."

Patet etiam ex plurimis Sacræ Congregationis Concilii declarationibus, ex quibus duas sequentes referre juvat: „An reipsa, qui curam habent animarum, Missam pro fidelibus sibi commissis applicare teneantur diebus festorum suppressorum aut translatorum virtute indulti diei 9. Aprilis 1802?" S. C. Conc. respondit die 14. Junii 1841. in Cenomanen. ad 1.: „Juxta resolutiones alias editas ab eadem S. C. C. Missam pro populo esse a parochis applicandam omnibus diebus festis, etiam reductis." Et: „An parochi debeant S. Missæ sacrificium pro populo offerre diebus Dominicis, et iis etiam festis diebus, qui per indultum apostolicum die 9. Aprilis 1802. suppressi sunt, licet hujus obligationis nova promulgatio ab Episcopo diœcesano non fiat?" Et S. C. Conc. censuit rescribendum: „Affirmative." Die 25. Sept. 1847. in Mechlinien. ad 1.[3]) Eodem modo S. Rit. C. decernit. Cum enim in una Strigonien. die 9. Maji 1857. n. 5232. ad 6. hoc dubium propositum esset: „Jam dudum a Clemente Papa XIV. in Austria nonnulla festa abrogata, et fideles ab obligatione iis diebus Missam audiendi absoluti sunt. An parochi illis festis, ut dicitur, abrogatis, Missam pro populo applicare teneantur, cum in bulla

[3]) Conf. S. C. Conc. die 6. Aug. 1842 in Tolosan. et die 21. Junii 1879. (Acta S. Sed. tom. XII. fol. 518.)

diei 22. Junii 1771. desuper edita, obligationis hujus expressa mentio haud occurrat?" responsum prodiit: „Ad VI. Affirmative." Conf. S. Rit. C. die 14. Junii 1845. in Monasterien. ad 3. 2° n. 5014.

6. Contra hanc obligationem applicandi Missam pro populo Dominicis dictisque festis, etiam abrogatis, consuetudo introduci non licet, omnisque contraria consuetudo, quamvis inveterata, illegitima censenda est. Quod apparet ex declaratione S. C. Conc. die 25. Sept. 1847. in Mechlinien. ad 2.: „An consuetudo unquam legitima haberi possit, vi cujus parochi non applicant pro populo S. Missæ sacrificium, aut Dominicis aut saltem prædictis festis diebus suppressis?" Et eadem S. Congregatio respondit: „Ad secundam negative."

7. Hic notandum, quod, si tantum solemnitas festorum de præcepto, ut in Gallia et Belgia, ad sequentem Dominicam transferatur, parochus tum die festo abrogato, tum Dominica sequenti pro populo Missam applicare tenetur; tunc, quando una cum solemnitate officium ad Dominicam transferri contingat, unam tantum Missam pro populo applicare Pius IX. [4]) parochum obligat. „Quod attinet ad festos translatos dies, ait venerabilis Papa, id unum excipimus, ut scilicet quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in Dominicum diem, una tantum Missa pro populo sit a parochis applicanda, quandoquidem Missa, quæ præcipua divini officii pars est, una simul cum ipso officio translata existimari debet."

8. Quando vero festum alicui diei affixum propter festum altioris ritus vel dignitatis transferendum est, parochus ad applicandam Missam pro populo tenetur *in die*, ad quem transferantur *festivitas, officium et Missa;* at quando transferuntur tantummodo officium et Missa, tunc applicatio pro populo fit *ipso die festo impedito.* [5])

---

[4]) Encycl. *Amantissimi.*

[5]) S. C. Conc. die 24. Apr. 1875. (Acta S. Sedis tom. VIII fol. 605.) et S. Rit. Congr. die 11. Martii 1690. decr. gen. n. 3204. et die 5. Dec. 1868. in una Lingonen. ad 1. n. 5417.

Si in Dominica alter dies de præcepto occurrat, una Missa pro populo applicanda est, quia uno actu duplici præcepto satisfit.[6])

9. Hæc obligatio diebus Dominicis et festis, etiam abrogatis, celebrandi applicandique Missam pro populo, non potest transferri in alios dies, nisi ob rationem *paupertatis* parochorum, uti Benedictus XIV. l. c. §. 8. declaravit. Itaque nequaquam Missam parochialem transferre licet, ut Missa pro defuncto præsente cadavere celebrari possit, aut ut in festis Confraternitatum Missa pro sodalibus applicetur, ideoque parochis non licet intentionem commutare quoad Missam pro populo.[7]) De qua re in Fesulana die 16. Junii 1770. ad 1. S. Congregationi Concilii propositum est dubium: „An parochi in Dominicis aliisque festis diebus præsente cadavere possint celebrare Missam pro defuncto et in alium diem transferre Missam pro populo applicandam in casu?" et S. C. C. respondit: „Negative." Et juxta decisionem ejusdem Congregationis die 30. Martii 1867.[8]) non potest parochus in Dominicis aliisque festis diebus celebrare Missam solemnem Confraternitatum, quæ in ecclesia parochiali erectæ sunt, juxta mentem sodalium, quamvis ex antiqua consuetudine id fieret, neque consuetudo probatur, commutandi scilicet intentionem, ita ut Missa, quam diebus festivis solemniter pro aliquibus fidelibus celebrari contingat, pro populo applicetur, et pro iisdem fidelibus infra hebdomadam alia Missa celebretur et applicetur.

10. Quamvis aliquibus in diœcesibus episcopi a Sede Apostolica facultatem obtinuerint, parochis licentiam concedendi, ut festis suppressis, præsertim hujusmodi, quorum nulla solemnitas in populo superest, Missam pa-

[6]) S. Alphons. lib. 1. n. 166. Scavini theol. mor. tom. 1. tr. 2. disp. unica c. 7. qu. 4.

[7]) Conf. *Cavalieri* tom. III. cap. 8. decr. 15. n. 3.

[8]) Acta S. Sedis tom. III. fol. 97.

rochialem in sequentem diem remittere possint, si occurrant exsequiæ corpore præsente vel pridie sepulto, sponsorum benedictio etc., tamen regula generalis consideranda est sequens decisio S. C. Concilii die 29. Junii 1859.: „Ad tramites Encyclicæ SS. D. N. diei 3. Maji 1858. recurrendum esse a *singulis* parochis aliqua reductione *indigentibus* super applicatione Missæ pro populo diebus festis suppressis ad *S. Congregationem,* quæ perpensis peculiaribus rerum adjunctis, ac præsertim annuo reditu et oneribus tum congruæ parochialis, comprehensis incertis utriusque stolæ, tum legatorum Missarum aut quarumcumque obventionum, si quæ sint respectivis ecclesiis inhærentium, ac *requisito super singulis ejusmodi petitionibus voto episcopi,* eas edet provisiones seu responsa, quæ magis in Domino expedire judicaverit."

CAPUT IV.

Estne obligatio applicandi pro populo personalis et realis?

Hæc obligatio Missam pro populo applicandi dictis diebus Dominicis et festivis est **personalis** simul et **realis,** *nec parochus alium sacerdotem, qui id præstet, sibi substituere potest, nisi ex legitima causa.*

1. Ista parochi obligatio est *personalis,* quia hoc officium alteri absque legitima causa committere non potest; *realis,* quia si legitime impediatur, pro hujus Missæ applicatione in ecclesia parochiali alterum sibi substituere tenetur.

2. Sub *Tridentina* declaratione *sess. 23. cap. 1. de Reformatione* sine dubio parochi comprehenduntur, ad eosque protenditur obligatio, ut præceptorum divinorum memores factique forma gregis in munera pastoralia incumbant, inter quæ etiam munus adest, applicandi Missam pro populo sibi concredito; cui præcepto non

satisfacerent, qui pro libito aliis Missam pro populo celebrandam applicandamque committerent.

Cui consonat *Benedictus XIV.*[1]) dicens: „eos, quibus animarum cura demandata est, non modo sacrificium Missæ celebrare, sed illius etiam fructum medium pro populo sibi commisso applicare debere." Quod repetiit *Pius IX.*[2]) hisce verbis: „Parochos aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum Missæ sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare debere."

Cum itaque hoc officium dicatur proprium eorum, qui curam animarum habent actuque gerunt, officium *personale* considerandum est.

3. Quod confirmatur auctoritate Theologorum[3]) et Canonistarum,[4]) qui dicunt, hanc obligationem esse *personalem*, ita ut excepto casu legitimi impedimenti parochus per se ipsum Missam pro populo applicare teneatur.

4. Porro tam S. C. Concilii quam S. Rit. Congregatio eamdem sententiam in decisionibus tuebantur. Ita S. C. Conc. in causa Castri Albi visit. limin. die 18. Julii 1789. ad sequens dubium: „An parochi dictarum ecclesiarum (cathedralis et S. Mariæ) aliarumque collegiatarum diœcesis Castri Albi teneantur per se ipsos applicare diebus festis Missam pro populo, seu potius possint per beneficiatos, aliosque sacerdotes prædicto oneri satisfacere in casu?" respondit: „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam." — Item ad dubium a S. C. de Propaganda fide propositum S. C. Conc. vicario apostolico Sylvæ-ducis facultatem concessit, indulgendi parochis vicariatus, ut per sacellanos Missam pro populo applicare possint, *in casibus veræ necessitatis et dummodo ex canonica causa fiat.* — Pariter in Mechlinien. die

[1]) Constit. *Cum semper* §. 2.
[2]) *Encycl. Amantissimi.*
[3]) S. Alphons. lib. 6. n. 326., de Grassis *cas. consc.* lib. 2. c. 38. n. 7.
[4]) Fagnan. cap. *Exstirpandæ de Præb.*, Garzias *de Benef.* p. 3. n. 53.

25. Sept. 1847. ad dub. III.: „An parochi ipsi s. Missæ sacrificium pro populo offerre debeant, si legitima causa non impediantur; an vero per alium ex. gr. sacellanum aut presbyterum advenam huic officio satisfacere possint?" eadem S. C. Conc. rescripsit: „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, *excepto casu veræ necessitatis et concurrente causa canonica.*[5]) — Et novissime in Petrocoren. die 14. Dec. 1872. ad sequentia dubia proposita: „I. An parochus die festo a sua parœcia absens satisfaciat suæ obligationi Missam celebrando pro populo in loco, ubi degit, seu potius teneatur substituere alium, qui Missam pro populo dicat in propria ecclesia? Et quatenus negative ad secundam partem: II. An teneatur Missam applicare pro populo in loco, ubi degit, seu potius ad parochiam rediens teneatur applicare in propria ecclesia?" S. C. Conc. respondendum censuit: „Parochum die festo a sua parœcia legitime absentem satisfacere suæ obligationi Missam applicando pro populo in loco, ubi degat, dummodo ad necessariam populi commoditatem alius sacerdos in ecclesia parochiali celebret et verbum Dei explicet."[6])

5. Et sicut S. C. Conc. Missæ applicationem parochialis obligationem *personalem* parochi agnoscit, ita eloquitur S. Rit. C. Quamvis hæc Congregatio die 27. Febr. 1847. in Vicariat. Ruremond. in Hollandia ap. Gardell. n. 5079) ad dub. 4: „An parochus privatim celebrans possit applicare pro suis, vel teneatur applicare facere pro populo summum Sacrum?" responso: „Posse, vel per se vel per alium, quin requiratur Missa solemnis" in sensu contrario aliquatenus decidisse videatur, hujus dubii resolutionis sensum declaravit die 22. Julii 1848. in una Dubii (ap. Gard. n. 5129.) hisce verbis: „Responsionem datam die 27. Febr. 1847. intel-

[5]) Ap. Bouix l. c. vide dec. S. C. C. die 16. Junii 1770. in Fesulana ad II. ibid.

[6]) Acta S. Sedis tom. VII. fol. 191.

ligendam esse quoad Missam solemnem, de qua quærebatur; nam proprius ad casum, non obstantibus alias decretis, et in facto declaratis, rescribere rata est, posse quemlibet parochum, *accedente justa et legitima causa*, adimplementum Missæ pro populo applicandæ, alii sacerdoti committere, seu per alium sacerdotem hanc Missam celebrare facere."

6. Per hanc *justam et legitimam causam* non esse intelligendam quamlibet causam gravem v. gr. consuetudinem, sed causam canonicam requiri, clare patet ex sequenti dubio in una Camberien. die 20. Dec. 1864. (ap. Gardell. n. 5341.): „In diœcesibus Sabaudiæ opportunum visum est, ut illa Missa diebus Dominicis et festivis applicetur pro populo, cui populus ipse adstare consuevit, et idcirco hæc applicatio fit a Vicario, quando is alternative Missam parochialem celebrat. Hinc quæritur: 1. An ejusmodi usus servari et retineri possit? 2. Utrum applicatio fieri semper debeat a parocho etiam privatim celebrante?" Et S. Rit. C., omnibus accurate perpensis, rescribendum censuit: „Ad I. Negative. Ad II. Affirmative juxta alia decreta. Atque ita rescripsit ac servari mandavit."

7. Pariter S. C. Conc. *consuetudinem* non admittit, quæ vigeret, applicandi Missam pro populo per alium, uti ex causa Mechlinien. die 25. Sept. 1847. dub. IV. elucet: „Quid censeri debet de consuetudine, vi cujus parochus diebus dominicis et festis Missam privatam pro pio aliquo benefactore applicat, et nullo legitimo impedimento detentus, onus celebrandi Missam pro populo in alium sacerdotem transfert?" Et eadem S. C. Conc. respondit: „*Consuetudinem, de qua agitur, non esse attendendam.*" Item in Tiburt. die 21. Nov. 1801. et in Policastren. die 23. Maji 1857.

8. Hæc obligatio applicandi Missam pro populo non solum est personalis, sed etiam *realis*, quia occurrente legitimo impedimento parochus ipsius loco alium sacerdotem substituat oportet. Nam obligatio applicandi

Missam parochialem est una ex obligationibus muneri pastoris adnexis et „sicut pastor impeditus prædicare vel sacramenta administrare tenetur prædicare et administrare per alium, ita impeditus applicare per seipsum populo Missam tenetur per alium applicare sacrificii fructum, quod est pasculum utilius, quo populum juvare potest". [7])

Quod confirmatur decretis S. C. Conc. In causa nempe Fanensi die 11. Maji 1720. quæsitum est: „V. An occurrente, quod archipresbyter parochus celebret Missam conventualem vel alias legitime absit, seu sit impeditus, tam in diebus festivis quam ferialibus Quadragesimæ, teneatur celebrare facere per alium Missam parochialem pro populo ut supra?" Et S. C. C. respondit: „Affirmative, sed cum applicatione diebus festivis tantum." Porro die 14. Dec. 1859. Cum enim a Maupoint Ep. S. Dionysii (Bourbon) dubia sequentia proposita essent: 1. „Utrum parochus infirmitate detentus et diebus dominicis ac aliis festis ea de causa impeditus celebrare, teneatur per alium supplere his ipsis diebus, si adsit alius sacerdos, aut post recuperatam sanitatem Missas omnes sic non applicatas offerre ipse pro populo? 2. Utrum parochus iter aliquod die festo agens et eo die Missam celebrare prohibitus, Missam altero die pro populo supplere teneatur? 3. Utrum parochus pia peragens exercitia secessus ecclesiastici .... Missam die festo aut dominico non celebrans; teneatur Missas hoc tempore non oblatas pro populo deinceps supplere?" responsum fuit: „Ad 1. *Affirmative* ad primam partem, et negative ad secundam. Ad 2. et 3. Teneri die statuta per alium, citra speciale indultum S. Sedis."

Et cum in Petrocoren. die 14. Dec. 1872. [8]) quæsitum esset: „Dub. III. An parochus morbi causa legitime impeditus, ne Missam celebret, teneatur post recupera-

---

[7]) S. Alphons. l. 6. n. 326.

[8]) Acta S. Sedis tom. VII, fol. 191.

tam sanitatem tot Missas applicare pro populo, quot durante morbo omisit, sive in casu, quo nec per se nec per alium celebrare poterat sine gravi incommodo, sive in casu quo poterat per alium, sed ex aliquo vano timore vel negligentia non curavit, vel non obtinuit, ut alius pro se celebraret?" ex eadem Congregatione Concilii responsum prodiit: „Parochum utcumque legitime impeditum, ne Missam celebret, teneri eam die festo per alium celebrari et applicari facere pro populo in ecclesia parochiali: quod si ita factum non fuerit, quam primum poterit, Missam pro populo applicare debere."

9. Concludimus ergo: Obligatio applicandi Missam pro populo est *personalis* simul et *realis*, nec parochus alteri sacerdoti illam applicationem committere potest, nisi *intercedente causa canonica*; legitime vero impeditus, Missam pro populo per alium sacerdotem applicari facere tenetur; *nec est admittenda contraria consuetudo.*

10. Ex dictis insuper sequuntur hæc corollaria:

a) Parochus obligationi non satisfacit, si alteri presbytero honoris causa v. gr. festo Patrocinii, Dedicationis ecclesiæ etc., vel coadjutori absque ulla legitima causa applicationem Missæ parochialis committat, etiamsi id fiat ex consuetudine.

b) Eo minus parocho stipendium consuetum pro applicatione Missæ parochialis in alium locum transmittere licet, quia per seipsum huic obligationi satisfacere tenetur.

c) Legitime absens parochus potest vel ipse celebrare Missam pro populo in loco, ubi degit, vel alteri sacerdoti committere applicationem in ecclesia parochiali absque ulla alia causa.

d) Quamvis legitime absens parochus Missam pro populo applicare possit, ubi degat, tamen in diebus Dominicis et festis alium substituere tenetur, qui cetera necessaria munera in ecclesia parochiali peragat.

e) Diebus festis suppressis autem, quibus populus non obligatur ad audiendam Missam, alium substituere non tenetur.

f) Parochus non legitime impeditus *per se celebrare* debet Missam pro populo in sua ecclesia parochiali.[9])

g) Causae *canonicae* non applicandi Missam parochialem sunt, v. gr. qualibet absentia legitima, infirmitas, obligatio Missam conventualem celebrandi, si parochus simul sit canonicus; si cura animarum insit alicui capitulo, quae per vicarium exerceatur, atque canonici per turnum pro populo applicare consueverint: ejusmodi consuetudinem servari posse declaravit S. C. Conc. die 16. Dec. 1820. in Camerin.

CAPUT V.

Quid dicendum de parocho, qui duas parochias regit?

Parochus, qui **duas ecclesias parochiales** *regit, in diebus Dominicis et festis* **duas Missas** *pro populo applicare tenetur, sive per se, si binandi facultatem habeat, sive per alium sacerdotem, si ea careat facultate, sive alio die intra hebdomadam.*

1. Parochus duabus parochiis praepositus *duplicem Missam* pro populo in Dominicis et festis, etiam suppressis applicare tenetur: nam parochiani habent jus ad

---

[9]) [illegible] VII. [illegible], etiam per suos [illegible] Barbosa et Fagnanus et decis. S. C. C. die 11. Maji 1720. in Firman. parochum [illegible] diebus Dominicis et festis Missam pro populo in ecclesia parochiali celebrare debere. Sed cum S. C. C. die 14. Dec. 1872. declaraverit, parochum legitime absentem Missam pro populo celebrare posse etiam in loco, ubi degat, distinguendum est inter celebrationem et applicationem: nam parochus, legitime absens, per alium in ecclesia parochiali Missam diebus festis tantum *celebrari*, atque curam pastoralem exerceri, vel non *applicari* [illegible] facere debet, dum parochus non legitime impeditus in ecclesia *celebrare et applicare* tenetur.

applicandam Missam parochialem, singulis parochiis inhærens, nec interest, quod parochiæ unitæ fuerint alteri tamquam principali.

2. Excipitur solummodo casus, quo duarum unio parochiarum talis est, ut *suppressis quoque titulis* una prorsus ex duarum commixtione aut absorptione evaserit. Nec suffragatur contraria consuetudo, etiamsi immemorabilis, inducta; talis enim consuetudo adversaretur muneri pastorali, quod originem suam repetit a jure divino.

3. Quod plane constat ex decisionibus S. C. Concilii. Nam cum in Lucen. die 12. Mart. 1774. propositum fuisset hoc dubium: „An parochi duabus ecclesiis præpositi teneantur Dominicis aliisque festis diebus Missam in unaquaque ecclesia sive per se, sive per alios applicare pro populo in casu?“ eadem S. C. C. respondit: „Affirmative, exceptis tantum parochiis unitis, unione plenaria et exstinctiva, et scribatur episcopo juxta instructionem.“

Instructio vero continebat: „S. Congregationem numquam dubitasse, quod parochi teneantur applicationi supradictæ Missæ pro populo singulis diebus Dominicis et festis in unaquaque ex ecclesiis parochialibus, quæ vel æque principaliter, vel subjective conjunctæ sunt atque incorporatæ; cum applicatio unius tantummodo Missæ pro populo locum habeat in iis parochialibus, quæ invicem adeo unitæ et conjunctæ atque incorporatæ sunt, ut ex duabus una prorsus cum exstinctione tituli alterius evaserit.“ Conf. decr. die 4. Sept. 1869., ubi eodem modo decisum est.[1])

Nec aliter judicavit eadem S. C. in causa Cameracensi die 25. Sept. 1858., in qua interrogata: „I. An parochus, qui duas parochias regit, et ideo bis in die celebrat, utrique parochiæ suam Missam applicare teneatur, non obstante redituum exiguitate?“ respondit: „Ad I. Affirmative.“[2]) Idem declaratum invenitur in causa Salmantina die 22. Febr. 1822. et 21. Martii 1863.

[1]) Acta S. Sedis tom. V. fol. 131. [2]) ib. tom. I. fol. 11.

Iterum die 18. Junii 1873. [3]) quæsitum est: „I. Utrum parochus duas habens parochias, qui ob rationabilem causam non potuit die Dominica vel festo secundam Missam celebrare, teneatur per hebdomadam applicare Missam pro populo suæ secundæ parochiæ; vel utrum sufficiat, ut unicam Missam, quam die Dominica et festo celebrat, applicet pro populo duarum suarum parochiarum? II. Utrum diebus festis suppressis, in quibus binam Missam celebrandi non habet facultatem, sufficiat, ut solam Missam, quam dicere potest, applicet pro populo duarum suarum parochiarum, vel utrum altera die teneatur secundam Missam pro populo secundæ parochiæ applicare?" Et ex S. C. Conc. responsum prodiit: „Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam."

4. Etiam S. C. Rit. Congregatio sententiam tenet, quæ asserit, duas Missas pro populo esse applicandas dictis diebus, si parochus dua beneficia curata habeat. In una enim Asturicensi die 7. Sept. 1850. ad 4. (ap. Gardell. n. 4146.) quæsitum est: „Quum parochus orator præter suam parochialem ecclesiam, aliud beneficium curatum obtinuerit cum alia adnexa ecclesia parochiali, an in festis adigatur utramque Missam, quam celebrat, applicare pro populo, vel teneatur ad applicationem pro sibi commissis ovibus unius tantum de duobus sacrificiis, veluti diœcesanus Ordinarius, cui dubium proposuit, ei rescripsit?" Et S. Rit. C. respondit: „Utramque Missam applicare tenetur pro populo utriusque sibi commissæ parochiæ."

CAPUT VI.

Quid de parocho, qui simul est canonicus?

Si **parochus sit simul canonicus,** *eademque die Missam conventualem celebrare debeat, alium sacerdotem, qui Missam parochialem celebret et applicet, substituere tenetur.*

[3]) Acta S. Sedis tom. VIII. fol. 33.

1. Constat ex Constitutione *Cum semper* §. 17. Benedicti XIV. ubi Papa declarat: „Ali a Missa pro benefactoribus in genere applicanda se excusarios voluissent, ex eo quod alio quopiam Missarum onere obstricti inveniantur. . . . quia, præter munus canonici seu beneficiati aut mansionarii in ecclesia cathedrali seu collegiata, quum etiam in eadem vel in alia ecclesia parochialem curam exerceant, dum Missam conventualem canunt diebus festis de præcepto, debent pro populo sibi commisso eam applicare: ac proinde nequeunt eamdem pro ecclesiæ benefactoribus specialiter offerre. Sed his quoque obviam itum est, jubendo *singulis præfatis . . . at Missam conventualem quam canunt, pro . . . benefactoribus in genere applicent: pro aliis vero, pro quibus ipsi peculiariter Missam applicare teneantur, alterum substituant, qui ipsorum loco Missam hujusmodi celebret applicetque.*“

2. Porro patet ex resolutionibus S. C. Conc. Facrunt enim in Viterbien. 31. Mart. 1718. sequentia dubia proposita: „I. An parochi cathedralium et collegiatarum, qui sunt primæ dignitates vel membra earundem, excusentur ab applicatione sacrificii diebus Dominicis et festis per Missam conventualem, quæ in choro quotidie canitur, aut altra prædictam conventualem parochi suprædicti teneantur celebrare et applicare supradictis diebus pro parochianis? II. An, quando pel tuenum ad supradictos parochos spectat Missam conventualem cantare diebus Dominicis et festis, teneantur iidem celebrare facere pro parochianis aliam Missam propriis sumptibus?“ Et S. C. Conc. respondit[1]: „Ad I. negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam partem. Ad II. Affirmative.“[1] Ita pariter declaravit S. C. Conc. in Sutrina die 12. Jan. 1709., in Balneoregien. die 19. Aug. 1713., in Fanensi die 11. Maji 1720.

---

[1] Ap. Merati p. III. tit. 12. n. 2.

[illegible] conventualis vero pro benefactoribus. ut [illegible]

[illegible] suis parochianis."

CAPUT VII.

[illegible]

P[illegible] certa hora [illegible] Missam privatam satisfacit.

[illegible]

[illegible]

[2] De parocho l. c.

eum ad solemniorem Missam, quæ summum Sacrum dici solet, celebrandum et applicandum pro populo."

Attamen si diœceseos leges statuant, ut summum Sacrum simul sit Missa parochialis, et parochus tam universalem ecclesiæ legem applicationis personalis, quam speciale diœceseos statutum, applicationem Missæ pro populo in certam horam et solemnitatem restringens, observare possit, ad utramque legem tenetur; si vero causa canonica desit per seipsum applicandi Missam pro populo, bene tamen causa legitima adsit summum Sacrum non celebrandi, præceptum majus explere tenetur, ut scilicet *per seipsum Missam pro populo applicet, quamvis Missam privatam celebret.*

CAPUT VIII.

Quid de binatione Missæ parochialis?

Parochus, binationis licentiam habens, **pro Missa secunda stipendium accipere non potest:** *Missam vero secundam pro populo applicare non tenetur.*

1. Praenotamus, quod ex constitutione Benedicti XIV. *Declarasti* ad Episc. Oscensem in Arragonia die 16. Martii 1746. patet, parochos facultatem binandi arrogare non posse; sed episcopi licentiam requiri, cujus judicio relinquitur determinare, an justa et vera necessitatis ratio in casibus peculiaribus intercedat. Quoad vero licentiam binationis lectorem brevitatis causa remittimus ad instructionem S. Congr. de Propaganda fide super binatione die 24. Maji 1870,[1]) in qua principia et regulæ communiores pro usu hujus facultatis collectæ inveniuntur.

2. Ista facultas binandi semper solum sub expressa conditione conceditur, ut *pro secunda Missae applicatione eleemosyna non recipiatur.* Ratio in hoc posita

[1]) Ap. Konings Theol. mor. II. tit. T. — Conf. Acta S. Sed. tom. I. App. I. fol. 50.

est, ut quodlibet mercimonium a rebus sacris removeatur; et ideo non tantum directa stipendii perceptio pro secundæ Missæ applicatione, sed etiam quivis prætextus percipiendi stipendium, et quæcumque indirecta ejusdem stipendii perceptio est arcenda.

3. Quod constat ex decisionibus tum S. C. Concilii, tum S. Rituum Congregationis. Cum enim in causa Vintimilien. die 19. Dec. 1835. ageretur de concedenda facultate binandi, parocho, qui uni parochiæ præerat, ad dubium: „An sit consulendum Sanctissimo pro concessione petiti indulti in casu?“ S. C. Conc. respondit: „Affirmative ad decennium, ita tamen ut parochus non recipiat eleemosynam pro secunda Missa.“ Porro in causa Cameracensi die 25. Sept. 1858. eadem S. C. Conc. prohibitionem recipiendi eleemosynam pro applicatione secundæ Missæ sæpius inculcavit. Ad quæstiones enim: „II. An parochus, qui in una eademque parochia bis eadem die celebrat, utramque Missam populo sibi commisso gratis applicare omnino teneatur? III. An vicarii aut alii sacerdotes curam animarum non habentes, si quando bis in die celebrant, ut fit quandoque, seu ut numero sufficienti Missæ in ecclesia parochiali celebrentur, seu ut hospitalia, carceres, sanctimonialium conventus Missa non careant, secundam et ipsi Missam pro populo gratis applicare teneantur? IV. An et quomodo concedendum sit parochis, qui diebus Dominicis aliisque festis bis celebrant, ut unius Missæ liberam habeant applicationem, et stipendium pro ea recipere valeant in casu? V. An et quomodo concedendum sit sacerdotibus curam animarum non habentibus, quoad utramque Missam?“ responsum prodiit: „Ad II. Negative, firma prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda Missa. Ad III. Negative, quatenus curam animarum non habeant, firma semper prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda Missa. Ad IV. Negative, et episcopus provideat ad formam constit. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas* §. 8. Ad V. Provisum in tertio.“

Item declaravit S. Rit. Congr. in una Monasterien. ad 1. die 14. Junii 1845. (ap. Gardell. n. 5014.) secundam Missam pro populo applicari non debere.

4. Stipendium pro secunda Missa accipi *non* potest ea conditione, ut idem *in usum pium* expendatur. Ita S. C. Conc. in causa Coloniensi die 21. Martii 1863., in qua Pontifex archiepiscopo id indultum petenti non concessit.

5. Titulo remunerationis *pro speciali labore* atque *industria* eleemosyna permitti potest, non autem ratione celebrationis. Id patet ex causa Treviren. die 23. Martii 1861. Proposito enim secundo dubio: „Utrum parochi, qui pro necessitate circumstantiarum diebus Dominicis et festis sive in ecclesia parochiali sive filiali dissita bis celebrant, tradita simul doctrina christiana pro peculiari labore et industria certum salarium annuum a parochianis oblatum percipere valeant?“ S. C. Conc. respondit: „Posse permitti prudenti arbitrio episcopi aliquam remunerationem *intuitu laboris et incommodi* exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione Missæ.“

6. Nec potest applicari secunda Missa pro benefactore, qui certam pecuniæ summam ad fabricam ecclesiæ dedit cum onere peculiaris applicationis hujus secundæ Missæ. Nam ad quæstionem: „Utrum sacerdos, qui diebus Dominicis et festivis secundam Missam pro populi necessitate celebrat, nullam accipiens eleemosynam nec proinde ullum aliquatenus ex applicata altera Missa percipiens speciale emolumentum, possit hujus Missæ fructum applicare personæ, quæ ad illam celebrandam fabricæ dedit certam pecuniæ summam cum hac conditione apposita?“ S. C. Conc. die 1. Apr. 1876. respondit: „Non licere.“ [2])

7. Solummodo *ratione pacti*, quod inter sacerdotes convenit, ut unus pro altero post mortem Missam ce-

[2]) Acta S. Sedis tom. IX. fol. 302.

lebret, hæc secunda Missa pro tali defuncto applicari potest; nam nullo jure prohibetur, ut quis secundam Missam applicet pro illis, erga quos non lege justitiæ, sed vinculo caritatis obstringitur. Ita declaravit S. C. Conc. die 14. Sept. 1878. Episcopus quidam enim in Gallia exposuit, ab anno 1842. institutam fuisse in sua diœcesi sacerdotum congregationem S. Josephi, indulgentia a S. Sede ditatam, cujus sodales semel pro unoquoque sacerdote confratre defuncto, Missam celebrare debent. Sacerdotes, quibus binare concessum est diebus Dominicis et festis, secundam litarunt Missam pro defunctis confratribus, arbitrantes id se facere posse tuta conscientia. Attamen cum dubium exortum fuisset circa ejusmodi agendi modum, Ordinarius quæsivit: „an Missa binationis offerri possit, ut in casu, pro defunctis confratribus?“ Et eadem S. C. Conc. respondendum censuit: „Licere.“ [3])

[3]) Acta S. Sedis tom. XI. fol. 284.

APPENDIX TERTIA.

DE MISSIS VOTIVIS.

Missa votiva proprie loquendo dicitur ea, quæ extra ordinem officii diei celebratur juxta proprium formulare ex voto vel devotione sive celebrantis sive eleemosynam offerentis, aliqua tamen necessitate vel rationabili causa interveniente, *quin a Rubricis præscribatur.*

2. Missæ, quæ non correspondent officio, sed quæ *a Rubricis præscribuntur*, uti Missa principalis de S. Maria in Sabbatis Adventus, Missæ feriarum et vigiliarum, infra octavam occurrentes atque in ecclesiis cathedralibus et collegiatis præter Missam festi præscriptæ, in sensu stricto votivæ dici non possunt, quamvis a nonnullis Auctoribus in sensu latiori votivæ nominentur.[1])

3. Ad quas Missas votivas in sensu latiori sumptas numeranda est Missa, quæ de festo per indultum Card. Caprara Legati a Latere die 9. Aprilis 1802. quoad solemnitatem translato in sequenti Dominica celebratur, et Missa, quæ per indultum apostolicum ad recolendam memoriam alicujus Sancti concessa et ad Dominicam fixa est.

4. Missa votiva duplex est: *solemnis* et *privata.*

Solemnis est ea, quæ cantatur assistentibus ministris pro re gravi vel publica Ecclesiæ causa et ex præcepto vel saltem permissu Ordinarii. Quod si ministri sacri desint, saltem cum aliqua solemnitate, qua a privata distinguatur, in canto celebretur.

---

[1]) Conf. Guyet. lib. IV. c. 21. qu. 1.

Privata est ea, quæ celebratur ex minori et privata, sed semper rationabili causa sive ex devotione celebrantis, sive ex petitione eleemosynam dantis, sive ex præscripto Ordinarii, sed non pro re gravi, sive solemniter cantetur, sive privatim legatur.

CAPUT I.

De Missis votivis solemnibus.

Quod causam gravem in Missis votivis solemnibus attinet, non sufficit quælibet causa, quamvis gravissima, sed talis requiritur, quæ per se vel per accidens communitatem aut saltem majorem ejus partem tangat. [1]) Causæ ergo graves et sufficientes videntur esse ad cantandam Missam votivam solemnem: obtinendum beneficium commune, uti pacis, pluviæ, serenitatis; avertenda afflictio communis v. gr. belli, morbi, pestis, terræmotus; recuperanda sanitas Summi Pontificis, Episcopi, Regis; gratiæ agendæ pro impetrato magno beneficio communi ex. gr. post messem peractam. Quod confirmatur decreto S. R. C. diei 19. Maji 1607. in Placent. ad 14. n. 351., ubi quæritur: „An sit res gravis propter pluviam petendam, pro serenitate, pro quacumque necessitate, pro principe infirmo et similibus, si Missa solemniter celebratur?“ Et S. R. C. respondit: „In omnibus casibus propositis potest dici res gravis, quando ab episcopo et universo clero et civitate Missa solemniter celebratur cum interventu magistratus et populi.“ Ad hoc decretum *Meratus* l. c. notat: „Verba illa: pro qua convenit totus clerus cum episcopo, subintelligenda sunt, ubi hic reperitur, ut notat Hagerer.“

Item comitia generalia et provincialia apud religiosos pro electione Superioris Ordinis vel Provinciæ enumeranda sunt inter causas graves et sufficientes ad

[1]) Vide Merat. p. I. tit. 4. n. 52.; Gardellini Commentar. ad Instr. Clement. §. 12. n. 26.

cantandam Missam votivam solemnem, quia ad bonum communitatis religiosæ maxime conducunt.[2])

2. Causæ ergo graves ad celebrandam Missam votivam solemnem non sunt reputandæ: a) *Electio abatissæ;*[3]) b) *vestitio* vel *professio* religiosa, etiamsi ea sit loci consuetudo;[4]) c) *ordinatio* ad sacrum ministerium;[5]) d) *primitiæ* Neo-presbyterorum vel *jubilæum 50* annorum, juxta communem sententiam; e) *processio,* quæ instituitur ratione Ss. Sacramenti sive in Dominica infra octavam Corporis Christi,[6]) sive alia die designata per annum habetur,[7]) sive propter confraternitatem in aliqua Dominica fieri solet;[8]) f) *novena,* quamvis solemniter celebrata;[9]) g) *Rorate* per Adventum;[10]) h) *Missa in honorem Ss. Sacramenti feriis quintis* cantanda, etiamsi sit fundata;[11]) i) *Missa pro sponsis,*[12]) de qua infra; k) *Missa votiva Sanctorum,* sub quorum titulo erectæ sunt scdalitates, non obstante antiqua consuetudine et concursu populi;[13]) l) *solemnitas alicujus Sancti* vel Mysterii extra proprium diem peragenda, quamvis infra ejusdem octavam;[14]) m) *adoratio perpetua,* vel alia expositio Ss. Sacramenti, nec preces

---

[2]) S. R. C. die 16. April. in una Ord. Minor. ad 26. n. 5183; vide *Meratum* l. c., *Martinucci* Man. Decret. cap. 1. n. 152.

[3]) S. R. C. die 28. Apr. 1708. in Brachar. ad 6. n. 4897.

[4]) S. R. C. die 24. Julii 1683. in Ruremond. ad 5. n. 3029; die 26. Aug. 1702 in Camerien. n. 3631; die 11. Mart. 1837. Roman. n. 4812.

[5]) Pontif. Roman.

[6]) S. R. C. die 8. Mart. 1749. in Lisbonen. n. 4200.

[7]) S. R. C. die 10. Sept. 1769. in Brachar. ad 6. n. 4469.

[8]) S. R. C. die 6. Dec. 1653 in una Fanen. n. 1692.

[9]) S. R. C. die 2. Sept. 1690. in Panormitan. ad 5. et 6. n. 3232.

[10]) S. R. C. die 29. Jan. 1752. Ord. Carmelit. ad 6. n. 4223.

[11]) S. R. C. die 24. Julii 1683. Ruremund. ad 6. n. 3029.

[12]) S. R. C. die 3. Mart. 1818. decr. gen. n. 4544.

[13]) S. R. C. die 11. Maji 1754. Ord. Minor. ad 1. n. 4244.

[14]) S. R. C. die 24. Julii 1660 in Aretin. n. 2071.

ad instar Orationis XL Horarum;[15]) n) *sepultura parvulorum*[16]) et similia.

Si autem deest gravis causa, non potest cantari Missa votiva solemnis, sed sumitur Missa diei occurrentis.

3. Missa votiva solemnis pro re gravi permittitur omnibus diebus per annum, exceptis a) festis duplicibus I. classis; b) Dominicis I. classis, nempe Dom. I. Adventus, Dom. I. Quadrag., Dom. Passionis, Palmarum, in Albis et Trinitatis; c) feriis Cinerum et majoris Hebdomadæ; d) vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes.[17]) Si his diebus exceptis Missa votiva ab Ordinario præcipiatur, illa erit de Officio currenti, ejusque orationi principali adjungi potest oratio Missæ votivæ sub una conclusione,[18]) et deinde dicuntur aliæ Orationes a Rubricis præscriptæ et quidem sub distincta conclusione. Conf. infra II. de Miss. vot. priv. n. 3. d.

Hæc Missa votiva solemnis insuper celebrari potest, cum licentia tamen Ordinarii, in festis duplicibus II. classis, aut etiam I. classis non festivis et minus solemnibus;[19]) item in Dominicis privilegiatis II. classis;[20]) dummodo in illa ecclesia jam celebrata fuerit Missa conventualis de officio currenti, quæ in ecclesiis, in quibus non est consuetudo quotidie illam canendi, legi potest.[21])

4. Adest alia Missa votiva solemnis, sed minoris privilegii, quæ occasione solemnis Orationis XL Horarum celebratur, dummodo ad amussim servetur Instructio Clementina; de qua infra cap. 5. dicetur.

---

[15]) S. R. C. die 12. Sept. 1840. in Brugen. ad 6. n. 4897. Conf. Gardell. Instr. Clement. §. 33. n. 4.

[16]) S. R. C. die 23. Mart. 1709. Camerin. ad 1. n. 3800.

[17]) S. R. C. die 27. Mart. 1779. Ord. Minor. ad 20. n. 4393.

[18]) S. R. C. die 12. Sept. 1767, in Urbevet. n. 4342; die 27. Mart. 1773. Ord. Carmelit. ad 7. n. 4361.

[19]) S. R. C. die 4. Sept. 1745. in Aquen. ad 2. n. 4175.

[20]) S. R. C. die 11. Mart. 1837. Leodien. ad 1. n. 4806.

[21]) S. R. C. die 29. Jan. 1752. Ord. Carmelit. ad 9. n. 4223.

5. Alia causa, ob quam Missa votiva solemnis permittitur, est: festum titularis Ecclesiæ, quod proprio die ex Rubricarum præscripto celebrari non potest;[22]) vel extraordinarius[23]) concursus populi ad celebrandum festum, quod, licet eo die occurrat, in Officio tamen et Missa transferendum est;[24]) imo etiam de festo simplici ratione extraordinarii concursus Missa votiva solemnis cantari potest.[25])

Rubrica enim Missalis p. I. tit. 6. habet: „In ecclesiis, ubi Titulus est ecclesiæ vel concursus populi ad celebrandum festum, quod transferri debet, possunt cantari duæ Missæ, una de die, alia de festo: excepta Dominica I. Adventus, feria IV. Cinerum, Dominica I. Quadragesimæ, Dominica Palmarum cum tota Hebdomada majori, Dominica Resurrectionis et Dominica Pentecostes cum duobus sequentibus diebus, die Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis et festo Corporis Christi." His diebus addenda sunt festum Ss. Apost. Petri et Pauli,[26]) et festa Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum, Titularis, S. Joannis Baptistæ et Dedicationis propriæ ecclesiæ,[27]) in quibus diebus sumitur Missa diei, et non licet collectam seu commemorationem festi, quod transfertur, adjungere.[28])

Secundum Rubricam Missalis et decreta S. R. C. modo allata, hæc Missa solemnis votiva etiam in Dominica in Albis,[29]) Ss. Trinitatis et Vigiliis Nativitatis et Pentecostes, in quibus alias Missa votiva solemnis pro re gravi non permittitur, permitti videtur in die festo

---

[22]) S. R. C. die 24. Jan. 1665. in Parmen. n. 2311.

[23]) S. R. C. die 23. Sept. 1837. in Mutin. ad XII. 4. n. 4815.

[24]) S. R. C. die 13. Junii 1671. in Angelopolit. ad 2. n. 2542; die 3. Sept. 1746. Massæ ad 1. n. 4185.

[25]) Decr. cit. n. 2542.

[26]) S. R. C. die 12. Mart. 1836. in Lucan. n. 4775.

[27]) S. R. C. die 16. Apr. 1853. in una Ord. Minor. ad 29. n. 5183.

[28]) Decr. cit. n. 5183. ad 13.

[29]) S. R. C. die 10. Mart. 1714. Urbis n. 3865.

cum concursu extraordinario populi celebrato, si festum transferendum est.[30])

Porro juxta citatam Missalis Rubricam, talis Missa votiva solemnis tunc tantum permittitur, si duæ Missæ cantantur, una de die, altera de festo transferendo ad instar Missæ votivæ solemnis; quod, ut S. R. C.[31]) declaravit, de iis tantum ecclesiis intelligendum est, quæ quotidie ad Missam conventualem obligantur; et tunc non requiritur, ut duæ Missæ cantentur, sed sufficit, ut prior Missa de die legatur, si tamen Missa de festo translato omnino in cantu celebretur. In his ecclesiis Missam solemnem votivam celebrari oportet cum unica Oratione et Evangelio S. Joannis in fine. In ecclesiis autem, ubi nec Missa de die legi potest, hanc Missam solemnem votivam celebrare non licet.

6. Ex Indulto, a Card. Caprara die 9. Aprilis 1802. et 21. Junii 1804. promulgato, solemnitas Epiphaniæ Domini, Ss. Corporis Christi, Ss. Apost. Petri et Pauli, Ss. Patronorum cujuslibet diœceseos et parochiæ in proxime sequentem Dominicam transfertur, non solum in ecclesiis parochialibus, sed etiam in oratoriis publicis, in quibus Missa diebus festivis cantari solet, nisi hæc Dominica sit privilegiata I. classis, quales sunt Dominicæ I. Adventus, I. Quadragesimæ, Passionis, Palmarum, Paschæ, in Albis, Pentecostes et Ss. Trinitatis, vel etiam festo altioris ritus aut dignitatis sit impedita. In utroque casu solemnitas et Missa votiva in Dominicam sequentem transfertur.[32]) In die anniversario Dedicationis Missa votiva de Patrono cantari potest, si ejus festum incidat in hanc diem.[33]) Quando solemnitas Patroni incidit in Dominicam I. Adventus aut Quadrage-

[30]) Conf. *Pavone* La guida liturgica II. n. 213.

[31]) Die 23. Aug. 1704. Ord. Eremit. S. Aug. ad 3. n. 3704.; die 17. Aug. 1709. in Bergomen. ad 1. n. 3814. et die 3. Sept. 1746. Massæ ad 1. n. 4183.

[32]) Instr. Caprar.

[33]) S. R. C. die 22. Julii 1855. in una Suessionen. ad 1. n. 5215.

simæ, in Missa solemni Oratio Patroni sub una conclusione addi potest Orationi diei, nisi solemnitas ulterius transferri libeat.[34]) Si festum commemorationis S. Pauli sub ritu duplicis I. classis incidat in Dominicam, Missa solemnis principalis cantatur votiva de Ss. Apost. Petro et Paulo.[35])

In tali Dominica celebratur Missa solemnis festi translati ad instar Missæ votivæ solemnis. Si duæ cantentur Missæ, uti in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, solemnior est de festo translato, et in ea dicitur unica Oratio cum ultimo Evangelio *In principio*, prior vero et minus solemnis cantatur de Officio occurrente, vel saltem legi debet. In aliis autem ecclesiis, ubi unica tantum Missa cantatur, hæc erit de festo translato cum commemoratione duplicis occurrentis et Dominicæ, cujus Evangelium in fine dicitur.[36])

Si unum ex festis supradictis cadat in Dominicam, plene ita agitur, ut ante indultum reductionis festorum. Si autem ad nimium distantem Dominicam post festum Patroni, solemnitas ejus amandanda foret, solemnitas anticipari potest, et Missa votiva Dominica præcedenti celebretur, uti ex decretis S. R. C. erui potest; sed in pluribus Galliæ diœcesibus privilegia specialia pro hoc casu exstant.

7. Aliquando Missa votiva solemnis ex speciali Sedis apostolicæ gratia permittitur: et in hoc casu accurate attendendus est tenor privilegii; nam hæc privilegia sunt odiosa, quia Rubricis generalibus et legibus statutis maxime contradicunt, ergo sunt stricte interpretanda.

Aliæ ecclesiæ majoribus, aliæ minoribus privilegiis auctæ sunt. Ratio principalis, ob quam talis gratia concedi solet, sunt consuetudines piæ locorum, præsertim si sunt immemorabiles. Sic confirmata est Benedi-

---

[34]) S. R. C. die 12. Sept. 1840. Mechlinien. ad 4. n. 4910.

[35]) S. R. C. die 22. Maji 1841. Mechlinien. ad 2. n. 4920.

[36]) S. R. C. die 22. Julii 1848. Tornacen. ad 1. n. 5137.

etinorum Bohemiæ, Moraviæ et Silesiæ consuetudo immemorabilis cantandi quotidie, paucis tantum festis solemnibus, dominicis et feriis privilegiatis exceptis, Missam votivam de B. Maria V.;[37]) item pro ecclesia metropolitana Posnaniensi ab antiquissimis temporibus Missæ votivæ fundatæ de Ss. Trinitate, de Ss. Eucharistia, de Passione, de Cruce, de Beata *Rorate,* de S. Alberto et de S. Francisco, quæ per singulos hebdomadæ dies distributæ quotidie cantantur, concessæ sunt, exceptis diebus in Rubr. gen. tit. 6. allatis.[38]) Sic pariter probata est consuetudo, in Polonia aliisque locis vigens, ut quotidie per Adventum, solemnioribus tantum festivitatibus exceptis, Missa votiva *Rorate* de B. M. V. cantetur, dummodo canatur sine symbolo, et solum cum *Gloria in excelsis* in Sabbatis et infra Octavam ejusdem B. M., non omissa Missa conventuali.[39]) Et pro Novemdiali ante Nativitatem Domini S. R. C. ratione consuetudinis et concursus populi sæpius permisit, ut unica Missa solemnis votiva de B. M. V. celebraretur, etiamsi occurrat festum S. Thomæ Ap. et Dominica III. et IV. Adventus, non omissa tamen conventuali.[40]) Quod vero hic de privilegiis specialibus vel consuetudinibus etiam immemorabilibus dicitur, minime regulam efformat, sed uti exceptio adnotatur.

CAPUT II.

De Missis votivis privatis.

Rubrica generalis Missalis p. I. tit. 4. n. 3. habet: „Missæ votivæ in Missis privatis dici possunt pro arbitrio sacerdotum, quocumque die officium

[37]) S. R. C. die 19. Aprilis 1749. n. 4201.

[38]) S. R. C. die 20. Mart. 1869. in una Gnesnen. et Posnanien. ad 1. n. 5428.

[39]) S. R. C. die 22. Aug. 1744. in una Cracovien. ad 8. n. 4160.

[40]) S. R. C. die 28. Sept. 1658. in Agrens. n. 1931; die 9. Dec. 1713. in Catanien. n. 3863; die 12. Sept. 1716. S. Montis Sion n. 3890; die 10. Sept. 1718. Ord. Minor. n. 3919: et die 10. Dec. 1718. in una Urbis n. 3921.

non est duplex aut Dominica, cum commemoratione ejus, de quo factum est Officium, et commemoratione item festi simplicis, si de aliquo occurrat eo die fieri commemorationem in Officio. Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa. Et quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniat."

Ad hanc Rubricam adnotat *S. Alphonsus* theol. moral.:[1] „Nota tò: *nisi rationabili de causa;* unde ait *Merati.*[2] non sufficere pro causa ad passim Missas votivas celebrandas, ut sacerdos cito se expediat, vel alia similis levis occasio. Verum sine dubio petitio, facta a dante eleemosynam alicujus Missæ votivæ, erit justa causa eam celebrandi. Necnon probabiliter etiam censet *Tamburinus,*[3] sufficientem esse causam specialem devotionem erga aliquod mysterium vel sanctum; hoc enim (ut ait) faciunt viri timorati sine scrupulo."

Sententiæ Roncaglia, qui putat, supradictam Rubricam esse tantum de consilio et nullo modo obligare, quia in ea dicitur, Missas votivas celebrari posse *pro arbitrio sacerdotum,* contradicit S. Doctor his verbis: „Huic tamen opinioni non acquiesco, si quis passim vellet sine ulla causa Missas votivas recitare; rubrica enim per illa verba: *id vero passim non fiat,* restringit arbitrium, ita ut ipsæ passim nequeant celebrari, nisi adsit rationabilis causa."

2. Missæ votivæ privatæ permittuntur a) in omnibus festis semiduplicibus, exceptis diebus infra octavas privilegiatas Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi et Nativitatis Domini[4] et in commemoratione omnium fidelium defunctorum; b) in omnibus festis simplicibus; c) in omnibus feriis (etiam in Dominica anticipata, quia ad instar cujuscumque alterius feriæ per annum celebratur) et vigiliis, exceptis feria IV. Cine-

[1] Lib. 6. n. 419.
[2] P. 1. tit. 4. R. 3. n. 12.
[3] Lib. 2. c. 2. §. 1. n. 11.
[4] S. R. C. die 28. Sept. 1675. in una Vercellen. n. 2753.

rum, tota Hebdomada majori, vigiliis Epiphaniæ,[5]) Pentecostes et Nativitatis Domini.

3. Missæ ergo votivæ privatæ (excepta Missa pro Sponsis, de qua infra) sive cum cantu sive sine cantu celebrandæ, sive fundatæ sive non fundatæ[6]) prohibentur: a) in omnibus duplicibus; b) in Dominicis per annum; c) omnibus diebus supra allatis, in quibus præter Vigiliam Epiphaniæ etiam Missæ votivæ solemnes pro re gravi prohibentur.[7]) Notamus hic breviter, quando ritus non permittat celebrationem Missæ votivæ,[8]) *non licere* Missæ occurrenti commemorationem addere Sancti vel Mysterii, in cujus honorem ab erogantibus eleemosynam Missa votiva postulatur. Si autem Dominicis tertia Oratio ad libitum præscribatur, hanc orationem tertio loco dicendam *decet* sed *non oportet* (quia nullibi id præcipitur) *Orationem congruam voto petentis* sive ex Missis votivis sive ex Orationibus diversis; d) porro prohibetur Missa votiva iis diebus, in quibus juxta Kalendarium aliud festum aut officium de die infra Octavam alicujus mysterii vel sancti correspondens Missæ votivæ celebrandæ locum habet: tunc enim celebranda est Missa festivitatis aut diei infra octavam tamquam non votiva cum commemorationibus, *Gloria*, *Credo*, prout Missa exigit, si de eadem octava recitetur officium: si vero infra octavam recitetur Officium alterius festi semiduplicis, celebranda est pariter Missa de infra Octavam, sed more votivo i. e. sine *Credo*, attamen cum *Gloria* propter festivitatem ut infra dicetur.[9]) Idem valet pro Missis votivis solemnibus.

[5]) S. R. C. die 10. Dec. 1718. in una Aesin. n. 3918.

[6]) S. R. C. die 24. Julii 1683. in una Rurenund. ad 6. n. 3029; die 15. Febr. 1727 Catanien. n. 3969. et die 22. Dec. 1753 in una Wilnen. ad 6—9. n. 4237.

[7]) S. R. C. die 27. Mart. 1779. Ord. Minor. ad 20. n. 4393.

[8]) S. R. C. die 7. Sept. 1850. in una Asturicen. ad 3. n. 5146.

[9]) S. R. C. die 26. Jan. 1793. Babien. seu Ord. Minor. ad 2. n. 4447; die 12. Nov. 1831. Pistorien. ad 1. et 2. n. 4670; die 20. Mart. 1869. Gnesnen. et Posnanien. ad 1. n. 5428; die 3. Julii 1869. Derthusen. ad 4. et 5. n. 5441.

Eadem ratio est, si infra octavam officium alicujus Vigiliæ, feriæ Quatuor Temporum aut feriæ 2. Rogationum (aut feriæ Quadragesimæ pro privilegiatis) celebretur; Missa enim diei in his casibus est de vigilia vel feria, ergo Missa votiva est celebranda de octava sed more votivo sine *Credo*, sine Evangelio vigiliæ vel feriæ in fine, sed cum *Gloria* propter festivitatem.[10])

e) In Vigilia Assumptionis B. M. V. si quis Missam votivam de B. M. V. in implementum oneris celebrare teneatur, celebrare debet Missam de Vigilia: „ex quo (declaravit S. R. C.)[11]) Missa de Vigilia prædicta sit de ipsa Beatissima Virgine, laudabilius videtur, ut celebret Missam de Vigilia, in qua et universalis Ecclesiæ ritui, et particularis oneris implemento consulatur.“[12]) Hinc sequitur, gaudentibus privilegio quotidie Missam votivam de B. M. V. celebrandi, in Vigilia Immaculatæ Conceptionis pariter Missam Vigiliæ esse sumendam loco Missæ votivæ.

f) Denique Sedes apostolica variis ecclesiis, diœcesibus, regnis, ordinibus regularibus specialia privilegia concessit, juxta quæ Missæ votivæ celebrari possunt diebus, in quibus alias licitæ non sunt. In his privilegiis tenor indulti accuratissime attendendus est, uti supra diximus de Missis votivis solemnibus. Ita Pius IX. per Breve apostolicum diei 5. Aprilis 1856. concessit singulis sacerdotibus Ordinis S. Francisci Min. quovis Sabbato, quod non impediatur duplici I. et II. classis, aut die vel Vigilia privilegiata, ut in ecclesiis proprii Ordinis Missam votivam de Immaculata Conceptione celebrare possint, non omissa tamen Missa conventuali de Officio currenti; item pro insignibus ecclesiis (qualis est domus Lauretana, ecclesia Assisiensis, ubi corpus S. Francisci depositum est), in quibus ex privilegio apostolico diebus duplicibus per annum, imo etiam primæ classis, paucis

[10]) Conf. Merat. p. I. tit. 3. n. 4.
[11]) Die 3. Sept. 1661 in una Urbis n. 2133.
[12]) Vide decr. diei 22. Julii 1848. in Arimen. n. 5122.

tantum festivitatibus exceptis. Missa votiva privata permittitur.

4. Diebus semiduplicibus non licet cantare eodem die eademque in ecclesia duas Missas votivas ejusdem Sancti.[17]) De quo S. R. Congregationi super propositum est sequens dubium:[18]) „Cum decretis S. R. C. diei 3. Aug. 1662. in una Aurien. et in una Mediolanen. dicatur: „„non licere cantare eadem die eademque in ecclesia duas Missas ejusdem Sancti,““ quaeritur, num verba illa sic litteraliter intelligenda sint, ut duae Missae ejusdem Sancti, de quo festum peragitur, tantum prohibeantur in eadem ecclesia sive cathedrali sive quavis alia, in quocumque altari seu capella ambae vel alterutra cantentur, etiam ante vel post divina officia, adeo ut, praeter unam cantatam sive conventualis sit, sive non sit, non liceat aliam ejusdem festi cantare?“ Et S. R. C. respondit: „Juxta decreta non licere.“

CAPUT III.

Quaenam et quomodo Missae celebrari possint votivae.

In ecclesiis cum obligatione ex Rubricarum praescripto in Sabbatis non impeditis festo duplici vel semiduplici, octava, vigilia, feria Quadragesimae aut Quatuor Temporum vel officio alicujus Dominicae in Sabbatum anticipatae celebranda est Missa conventualis de B. Maria juxta diversitatem temporis, ut in fine Missalis ponitur. In Adventu vero, licet officium non fiat de S. Maria in Sabbato, dicitur tamen Missa principalis de ea, nisi fuerint Quatuor Temporum vel vigilia. Item diebus infra Hebdomadam, quando de feria fit officium, et non est resumenda Missa Dominicae praecedentis, quae fuerit impedita a festo duplici (exceptis feriis Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum, Ro-

[17]) S. R. C. die 3. Aug. 1662 in una Aurien. et die 11 Sept. 1847. Angelopolitan. ad 18. n. 5102.

[18]) Die 3. Julii 1869. in una Derthusen. ad 1. n. 5441.

gationum et vigiliarum) potest dici aliqua ex Missis votivis, quæ habentur in fine Missalis post Commune Sanctorum; cuique autem diei hebdomadæ propria Missa assignari potest, ut feria II. de Ss. Trinitate, feria III. de Angelis, feria IV. de Apostolis, feria V. de Spiritu sancto vel de Ss. Eucharistiæ Sacramento, feria VI. de Cruce vel de Passione Domini, Sabbato de S. Maria. Hic ordo dierum assignatus valet pro Missa conventuali,[1]) pro non conventuali autem Missæ præcedentes pro sacerdotis devotione quacumque die dici possunt per hebdomadam, quando festum duplex non occurrit; hoc tamen passim, nisi rationabili de causa, fieri non debet.[2])

a) Post Missam votivam de Ss. Trinitate apponitur sequens Rubrica: „Pro gratiarum actione dicitur Missa de sancta Trinitate vel de Spiritu sancto, vel de B. Maria, additis sequentibus Orationibus sub una conclusione." Quoad hujus Rubricæ expositionem Auctores non conveniunt; Quarti[3]) vult unionem Orationum sub una conclusione tam in solemnibus Missis pro re gravi, quam in privatis, sed hic auctor sibi ipsi dissentire videtur, alibi[4]) dicens: „3. In votivis privatis pro gratiarum actione 2. Oratio erit de Officio, 3. pro gratiarum actione. Idem fiat in Missa ad postulandam gratiam Spiritus sancti." S. Alphonsus autem scribit:[5]) „hoc tamen procedit in Missa solemni pro re gravi vel publica causa ecclesiæ, non vero in privatis, in quibus secunda oratio erit diei et tertia de gratiarum actione, ita Merati p. 1. tit. 4. nov. observ. n. 24. cum Gav., Bisso, Guyeto etc." Hoc tamen intellige, nisi interponenda sit commemoratio simplicis, octavæ, feriæ vel vigiliæ, quia tunc Oratio *Deus, cujus misericordiæ* ultima erit post Orationes a Rubricis præscriptas, sed ante imperatas et votivas locum habet.

---

[1]) Rubr. gen. tit. 4. n. 3.
[2]) Rubr. ante Miss. vot.
[3]) P. I. tit. 7. dub. 4.
[4]) P. I. tit. 4. dub. 1. in fine.
[5]) Theol. moral. l. 6. n. 423. Advertendum IV.

b) Praeter Missam votivam de *Ss. Angelis* in fine Missalis contentam, celebrari potest, ut Rubrica in fine hujus Missæ dicit, Missa votiva de S. Michaële Archangelo, prout in ejus Dedicatione die 29. Sept. servatis servandis. Si post Septuagesimam celebretur, sumitur Tractus ex Missa votiva de Ss. Angelis. Sic etiam Missa votiva dici potest de Ss. Angelis custodibus, quæ habetur die 2. Octobris in Missali, uti ex Missæ formulari patet, necnon de S. Gabriele (die 18. Martii) et S. Raphaële (die 24. Octobris) Archangelis, ubi eorum festum est concessum.

c) Si de sancto Apostolo Petro, vel seorsum de S. Paulo postuletur Missa votiva, legi potest votiva utrique communis cum intentione eum colendi, in cujus venerationem petitur; numquam enim separandi sunt ii, quos Ecclesia conjungit.[6])

Si Missa votiva in honorem Conversionis S. Pauli petatur: vel dicatur Missa votiva communis utrique Apostolo, vel si dicatur Missa Conversionis S. Pauli, fiat Commemoratio S. Petri.[7])

Si legi debeat Missa votiva de quopiam Apostolo, sumitur Missa festi, mutato nomine *Nativitatis* in *Commemorationis* et omisso verbo *Hodie*, si in Missa habeatur. Tempore autem paschali sumitur Missa ex festo S. Marci die 25. Aprilis cum Orationibus, Epistola et Evangelio ex Missa propria. Votiva autem S. Joannis Apostoli et Evangelistæ tempore paschali erit, uti in festo *ante portam latinam* die 6. Maji. Econtra si Missa votiva alicujus Apostoli, cujus festum tempore paschali celebratur, extra hoc tempus legenda sit, sumitur Missa votiva de Ss. Apostolis Petro et Paulo cum Orationibus, Epistola et Evangelio propriis, excepta Missa votiva Ss. Apost. Philippi et Jacobi, quæ dicitur, ut in fine ejus Missæ festi notatur, et S. Marci Evangelistæ,

---

[6]) *Merat.* l. c. n. 25.
[7]) *Merat.* l. c.

quæ, uti Missale notat, legitur ut in festo S. Lucæ Evangelistæ (die 18. Octobris) præter Orationes et Epistolam, quæ ex Missa propria sumendæ sunt.

Si de omnibus Apostolis simul petatur Missa votiva, sumitur Missa votiva de Ss. Ap. Petro et Paulo cum Orationibus ut in Missa Ss. Ap. Simonis et Judæ omissis propriis nominibus, vel sumi possunt Orationes pro commemoratione Omnium Apostolorum in festo Ss. Petri et Pauli, ubi concessæ sunt.

d) Si petatur Missa votiva de Spiritu sancto ad postulandam gratiam Spiritus sancti, loco Orationis *Deus, qui corda* dicenda est Oratio: *Deus, cui omni cor patet.*[8])

Hic notare juverit decisiones S. R. C. quoad Missam votivam de Spiritu sancto, quæ tempore Concilii œcumenici Vaticani ubique præscripta fuit. In una Urbis et Orbis n. 5443. dicitur: „De Missa Spiritus sancti, quam Sanctissimus D. N. Pius PP. IX. litteris apostolicis in forma Brevis datis die 11. Aprilis anni 1869. omnibus ecclesiis capitularibus et conventualibus Urbis et Orbis præter consuetam conventualem celebrandam qualibet feria V. injunxit, et de Collecta de eodem Spiritu sancto in Missis quotidie addenda, sequentia dubia S. R. Congregationi exhibita fuerunt, nimirum: *Dub. I.* An prædicta Missa votiva de Spiritu sancto debeat esse cantata vel lecta? *Dub. II.* An huic Missæ addi debeat *Gloria* et *Credo? Dub. III.* An hæc Missa omittenda sit in Octavis privilegiatis Paschatis et Epiphaniæ, itemque Nativitatis et Corporis Christi, præsertim si est lecta? *Dub. IV.* Qua hora hæc Missa celebrari debeat? *Dub. V.* An in hac Missa unica Oratio vel plures, ut in Missis votivis, dici debeant? *Dub. VI.* An sit onus impositum Canonicis vel potius ecclesiæ? *Dub. VII.* In ecclesiis præsertim Sanctimonialium, in quibus attentis temporum circumstantiis una Missa vix potest celebrari,

[8]) Rubrica post Miss. vot. de Spir. s.

quid fieri debeat? quænam omittenda? *Dub. VIII.* An collecta de Spiritu sancto debeat omitti in diebus primæ et secundæ classis?" Et S. R. C. rescribendum censuit: „*Ad I.* In omnibus cathedralibus et in collegiatis, ubi quotidie canitur Missa conventualis, cantari debet etiam Missa de Spiritu sancto; in aliis ecclesiis in Brevi apostolico designatis hæc Missa debet legi aut cani prout legitur aut canitur Missa conventualis. *Ad II.* In casu tam in Missa cum cantu quam in Missa sine cantu addatur *Gloria* et *Credo*. *Ad III.* Standum est præscriptioni Brevis, ideoque singulis feriis V., in quibus non occurrat duplex primæ vel secundæ classis est celebranda, etiamsi celebretur lecta. *Ad IV.* Cantetur aut legatur post Nonam, et etiam post omnes Missas a Rubricis eadem die præscriptas. *Ad V.* In casu dici debet una tantum Oratio tam in Missa cum cantu, quam in Missa sine cantu. *Ad VI.* Est onus ecclesiæ et haberi debet ut pars servitii choralis. *Ad VII.* Moniales non comprehendi. *Ad VIII.* Negative, et in festis primæ classis dici debet sub unica conclusione; in festis vero secundæ classis cum propria conclusione." Atque ita (Eminentissimi Patres) rescripserunt die 3. Julii 1869. Quæ responsa Pius IX. adprobavit, confirmavit ac servari mandavit die 8. ejusdem mensis et anni.

Iterum in una Tornacen. n. 5480. dubium propositum est: „In Missa solemni coram Ss. Sacramento fidelium venerationi exposito dicenda est commemoratio Sanctissimi Sacramenti, et tempore Concilii œcumenici Vaticani in eadem quoque Missa addenda est oratio de Spiritu sancto. Quum inter Liturgistas circa has commemorationes gravis exorta sit controversia, quæritur: 1. An commemoratio de Sacramento præmittenda vel postponenda sit Orationi de Spiritu sancto? 2. An in festis duplicibus primæ classis tres Orationes, scilicet de die, de Sanctissimo Sacramento et de Spiritu sancto sub unica conclusione, vel potius duæ collectæ de Sacramento et de Spiritu sancto sub diversa conclusione dicendæ

sint?" Sacra vero Rit. Congregatio rescribendum censuit: „Ad I. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam. Ad II. In casu Oratio Ss. Sacramenti conjungenda est cum Oratione festi; Oratio vero de Spiritu sancto dicenda est sub distincta conclusione." Atque ita rescripsit et servari mandavit die 22. April. 1871.

De Missa votiva de Ss. Sacramento tempore Orationis XL Horarum vide infra cap. 5.

e) Missa votiva de Inventione et Exaltatione S. Crucis non est sumenda, sed legitur Missa votiva propria de Cruce; tempore autem paschali loco primæ Orationis, dicitur *Deus qui pro nobis*, uti in fine hujus Missæ votivæ notatur.

Pro Missis votivis Instrumentorum Passionis Domini v. gr. de Corona Spinea, Lancea et Clavis, Quinque Vulneribus etc. si postulentur, legitur Missa de Cruce vel de Passione Domini, cum intentione illa Passionis Instrumenta venerandi; ubi autem Missæ propriæ ab apostolica Sede concessæ sunt, hæ Missæ festorum votivæ celebrari possunt.

Præter Missam de Ss. Trinitate, de Spiritu sancto, de Ss. Sacramento, de Cruce et Passione Domini, quæ in fine Missalis continentur, aliæ Missæ votivæ de festivitatibus et mysteriis Domini non possunt assumi, quia ita solemnitatum sunt propriæ, typumque anni ecclesiastici exprimunt, ut veritas in verbis servari nequeat, nisi tamquam votivæ in Rubricis Missalis vel in Indulto assignantur. Itaque numquam possunt legi Missæ votivæ de Nativitate Domini, Circumcisione, Epiphania, Resurrectione, Ascensione D. N. J. C., sed quando Missa in honorem ejusmodi mysteriorum petitur, aut ex tenore fundationis dicenda est, non ideo sunt violandæ Rubricæ imperitorum laicorum causa,[9]) et fit satis celebrando Missam diei cum intentione colendi hoc vel

[9]) S. R. C. die 29. Jan. 1752. in Ord. Carmel. ad 7. n. 4223.

illud mysterium,[10]) vel, juxta Guyetum,[11]) sumi potest Missa votiva de Ss. Trinitate, cum intentione venerandi mysterium, cujus petitur Missa.

Excipiuntur autem Missæ a) Ss. Nominis Jesu, Ss. Cordis Jesu et Pretiosissimi Sanguinis; nam in istis Missis ipsis in Proprio Sanctorum jam assignatur, quomodo Missa festiva pro votiva celebranda sit, b) Ss. Redemptoris, ubi ejus festum concessum est; post Septuagesimam Tractus sumendus est ex Missa de Passione; itemque tempore paschali Alleluja cum duobus sequentibus versibus ex eadem Missa, uti Missalia novissima a S. R. C. adprobata indicant.

Missas de Dominicis vel de Feriis vel de Vigilia per annum tamquam votivas celebrari non licet.[12])

f) Missale quinque Missas votivas in honorem B. M. V. *pro diversitate temporis* habet. Missæ enim propriæ de festivitatibus B. M. V. non possunt celebrari ut votivæ nisi infra earum octavas, quas habent. Si quis ergo roget de Purificatione, Annuntiatione, Visitatione, Assumptione, Mercede, Præsentatione, Maternitate, Puritate aliisque festis B. M. V. Missam votivam, substituenda est una ex quinque votivis B. M. V. in fine Missalis juxta congruentiam temporis cum intentione honorem tribuendi Purificationi, Annuntiationi etc.[13])

Si ergo petatur Missa votiva in honorem B. M. V. *α) in aliquo festo* B. M. V., sumitur Missa festi.[14]) Si *β) infra octavas B. M. V.* exigatur Missa votiva de B. M. V. die qua fit de octava, legenda est Missa de Octava cum *Gloria* et *Credo,* non autem votiva. *γ)* Si autem

---

[10]) S. R. C. die 22. Dec. 1753. in Wilnen. ad 7. n. 4237.

[11]) Lib. 4. cap. 21. qu. 2.

[12]) S. R. C. die 21. Junii 1855. Patr. Basil. Vatic. n. 5210. et die 4. Martii 1866. Dubior. n. 5338.

[13]) S. R. C. die 12. Mart. 1678. in Mexicana ad 8. n. 2859; die 22. Dec. 1753. in Wilnen. ad 5. n. 4237.

[14]) S. R. C. die 12. Nov. 1831. in Pistorien. ad 1. et 2. n. 4670; die 3. Julii 1869. Derthusien. ad 4. et 5. n. 5441.

infra Octavam B. M. V. fiat de semiduplici, tunc quidem loco Missæ votivæ dicitur Missa de Octava, sed more votivo i. e. cum *Gloria*, uti novissime S. R. C. in una Ratisbonensi die 15. Apr. 1880. declaravit. Ad dubium III. enim: „An qui diebus infra aliquam Octavam B. Mariæ V. excepto Sabbato, recitat Officium de aliquo Sancto ritu semiduplici eo die occurrente et Missam votivam de B. Maria V. celebrare vult, teneatur celebrare Missam votivam infra hanc octavam *cum Gloria?*" S. R. C. rescribere rata est: „Affirmative, juxta decreta in Angelopolitana diei 13. Junii 1671. ad 2.; in una Ord. Canonic. Regular. Lateranens. diei 2. Dec. 1684. ad 7.; et in Cracovien. diei 22. Aug. 1744. ad 3." *δ)* Quoad Vigiliam Assumptionis et Immac. Concept. vide supra cap. II. De Missis votiv. priv. n. 3. e. *ε)* in reliquis omnibus casibus sumenda est una ex quinque Missis votivis in fine Missalis positis.

Excipiuntur tamen Missæ sequentes: *α)* Septem Dolorum B. M. V., quæ semper ut votiva celebrari potest cum Oratione propria in Missali post Missam vel post Orationem festi (feria 6. post Dominicam Passionis) posita, sed *sine* Sequentia. *β)* Immaculatæ Conceptionis B. M. V., quæ in præsens sonat: *Gaudens gaudebo*, in cujus Secreta loco *Solemnitate* dici debet: *Commemoratione.*[15]) *γ)* Ss. Cordis B. M. V. ubi hoc festum cum Missa propria *Omnis gloria* a S. Sede concessum est, in qua Missa hujus festi etiam Missæ votivæ ratio habita est. *δ)* Sanctissimi Nominis B. M. V., ubi ex indulto Missa votiva concessa est, mutato tamen Graduali in Adventu et addito Tractu post Septuagesimam.[16]) Hæc Missa votiva sine speciali indulto apostolico celebrari non potest, uti ex decreto S. R. C. diei 12. Sept. 1840. Ord. Carmelit. Calceat. ad 1. n. 4901. erui potest. *ε)* Juxta *Meratum*[17]) Missæ B. M. V. de monte Carmelo

[15]) S. R. C. die 16. Sept. 1865. in una Ratisbon. n. 5352.
[16]) S. R. C. die 27. Martii 1773. Carmelit. Polon. ad 3. n. 4361.
[17]) P. I. tit. 4. n. 30. et p. IV. tit. 17. n. 2.

et Ss. Rosarii votivæ celebrari non possunt, quo modo ordini Carmelitarum et Prædicatorum concessæ sunt, sed bene potest dici Missa festi, ut in Missali in Proprio Sanctorum posita. — Quum vero Missale Romanum nihil de tali Missa votiva indicet, neque speciale privilegium alicui ordini concessum ad alios ordines vel sæculares presbyteros sine novo indulto extendi debeat, de hac concessione recte dubitari potest, et ideo melius est, ut una ex quinque votivis juxta temporis qualitatem eligatur cum intentione honorem tribuendi illis mysteriis.

2. Post prædictas Missas votivas inveniuntur aliæ ad diversos fines, quibus præponitur sequens Rubrica: „Aliæ Missæ votivæ pro diversis rebus, quæ dici possunt quacumque die, nisi fuerit Dominica, vel Officium duplex: sed tamen passim non dicantur, nisi urgenti de causa, ut supra dictum est de aliis Missis votivis." Sunt autem sequentes: 1. pro eligendo Summo Pontifice. 2. „in die creationis et coronationis Papæ et ejusdem die anniversario dicitur Missa ut in Cathedra beati Petri die 18. Jan. cum Oratione *Deus omnium*, omissis Orationibus Ss. Petri et Pauli et dicitur *Credo*," ut in Rubrica in fine præcedentis Missæ notatur. 3. in anniversario electionis seu consecrationis episcopi. 4. ad tollendum schisma, 5. pro quacumque necessitate. 6. pro remissione peccatorum. 7. ad postulandam gratiam bene moriendi. 8. contra paganos. 9. tempore belli, 10. pro pace. 11. pro vitanda mortalitate. 12. pro infirmis, 13. pro peregrinantibus et iter agentibus, et 14. pro sponso et sponsa.

Pro eligendo Summo Pontifice sumi potest aut Missa votiva de Spiritu sancto aut Missa propria *Suscitabo*.

De Missa votiva in anniversario electionis seu consecrationis episcopi vide infra cap. 6.

In Rituali Romano[18]) pro ritu absolvendi et benedicendi populos et agros ex apostolicæ Sedis indulto præscribuntur duæ Missæ votivæ: 1. in Dominica prima

[18]) Tit. VIII. cap. 31. n. 2. et 12.

in diplomatis publicatione et exsecutionis inchoatione *pro remissione peccatorum* sine *Gloria*, cum unica Oratione et *Credo* in paramentis violaceis: 2. in sequenti Dominica post tres præcedentes dies jejunii in elargienda benedictione et indulgentia plenaria *pro quacumque necessitate* sine *Gloria*, cum unica Oratione et *Credo* in paramentis violaceis.

In Missa votiva pro infirmis mutantur Orationes, si infirmus proximus est morti, ut in fine hujus Missæ notatur.

De Missa pro sponso et sponsa vide infra cap. 7.

Gregorius XVI.[19]) omnibus diœcesibus, in quibus vel nunc adest, vel in posterum aderit Societas propagationis fidei, facultatem concessit, ut propria Missa votiva *pro fidei propagatione* diebus non impeditis celebrari possit; porro ut illius Missæ collectas addere liceat in Missis, quæ recurrentibus ejusdem Societatis festis celebrabuntur, ita tamen ut collectæ istæ, quando festum celebratur ritu duplici I. classis, recitari debeant sub unica conclusione.

3. S. Alphonsus in theol. mor.[20]) dicit: „Advertendum III., quod bene possunt dici Missæ votivæ de quocumque Sancto, modo de ejus canonizatione constet ex Martyrologio vel aliunde: non vero de iis, qui non coluntur publico et universali ecclesiæ cultu. Unde Missæ de Beatis, concessæ alicui religioni aut loco, non possunt celebrari ab aliis personis, ecclesiis et diebus, quam conceduntur in diplomate."

Ex quibus S. Doctoris verbis patet, Missam votivam celebrari posse de quocumque canonizato, in Martyrologio relato; de Sanctis contra in Martyrologio non descriptis, aut quibus a S. Sede non specialiter fuerit concessum Officium et Missa, Officium recitare et Missas celebrare non licet.[21]) Si autem pro aliquo Sancto tole-

[19]) S. C. de propag. fide die 21. Aug. 1841.

[20]) Lib. 6. n. 423.

[21]) S. R. C. die 11. Aug. 1691. decr. gen. n. 3246.

rato ab apostolica Sede Missa festiva concessa est, vel ab immemorabili celebrata fuit, etiam Missa votiva per annum permittitur.

4. De *Beatis* vero non canonizatis nequit sine indulto Apostolico Missa festiva celebrari; et si Officium et Missa conceditur, *non* tamen *Missam votivam* celebrare *licet.*[22]) Ratio est, quia Beatificatio non tribuit plenum et universalem cultum, sed tantum quantum in Beatificationis Bulla exprimitur, et licentia non tribuitur, eos publice recitatione Officii et celebratione Missæ colendi, nisi determinatis personis, et pro diebus et locis determinatis; ergo non est licitum prædictos limites excedere, et quacumque die, in quacumque ecclesia pro cujuslibet devotione Missam votivam alicujus Beati celebrare.[23])

5. Quodsi Missa votiva in honorem alicujus Sancti petatur, videndum est, utrum in Proprio Sanctorum habeatur Missa propria annon. In priori casu sumenda est Missa propria de festo, si veritas in verbis formularis Missæ servatur, vel servari potest, pauca omittendo v. gr. *Hodie, hodierna die, hanc diem, annua* vel aliquid simile, ubicumque reperitur, aut pauca mutando, ut in orationibus verba *solemnitas, natalitia, festivitas* in verba *commemoratio, memoria, honor.*[24]) Introitus *Gaudeamus*, si adest, omittitur et alter adhibetur de Communi, v. gr. in Missis votivis S. Agathæ, S. Annæ etc. sumitur Introitus *Loquebar, Cognovi*, nisi aliter in proprio loco adnotetur; omittitur quoque *Sequentia*, si invenitur;[25]) Graduale, Versiculi et Tractus, si deficiunt

[22]) S. R. C. die 5. Oct. 1652. decr. gen. approb. ab Innoc X. die 16. Dec. ejusdem anni n. 1654. et die 27. Sept. 1676. in una Bonon. ad 1. et 2. n. 2781, ubi Missa festiva de B. Catharina de Bononia conceditur, Missa autem votiva prohibetur.

[23]) Vide Meratum p. I. tit. 4. n. 16. et *Bened. XIV.* de Beatific. lib. 4. p. 2. cap. 1. n. 12.

[24]) S. R. C. die 22. Dec. 1653. in una Wilnen. ad 5. n. 4237 et die 16. Sept. 1865. in una Ratisbon. n. 5352.

[25]) S. R. C. die 16. Sept. 1673. in una Corduben. ad 2. n. 2656.

in propria Missa, sumuntur de Communi et juxta temporis qualitatem variantur. Quæ Sancti alicujus propriissima sunt, ea etiam in Missis votivis adhibentur v. gr. versus S. Andreæ Ap., S. Martini, S. Francisci, Communio S. Ignatii Mart., S. Agathæ V. M. etc.[26]) Sed si veritas in verbis non potest facile obtineri, sumitur Missa votiva de Communi Sanctorum.

In posteriori autem casu si pro festo alicujus Sancti in Proprio Sanctorum Missa de Communi assignetur, eadem Missa pro votiva sumitur juxta temporis rationem et eligatur prima vel secunda Missa juxta *Orationem* vel *Evangelium*, quod assignetur de Communi.[27]) Si vero Orationes et Evangelium non sunt de Communi vel in Proprio Sanctorum de Sancto, de quo Missa votiva celebranda est, Missa sumi potest ex primo vel secundo loco.

6. Si tempore paschali Missa votiva alicujus Martyris celebrari debet, cujus festum extra tempus paschale recurrit, Missa sumitur ex Communi respectivo pro tempore paschali, iis tamen semper retentis, quae propria sunt ejusdem Missæ: e converso vero res se habet, cum votiva Missa celebrari contigerit extra tempus paschale alicujus Martyris, cujus festum tempore paschali fit; tunc Evangelium si habeat proprium, retineri debet.[28]) Missa autem sumenda est ex Communi respectivo extra tempus paschale juxta qualitatem Martyris.

7. Sequentes casus ponit Meratus l. c. n. 20—23.

„20. Si dicenda sit Missa votiva de Sanctis, quorum habentur Reliquiæ insignes; si fuerint omnes ejusdem qualitatis, puta omnes Martyres vel omnes Confessores, Missa dicatur de Communi Martyrum vel Confessorum. Si vero fuerint Martyres alii, alii vero

---

[26]) Vide *Meratum.* p. I. tit. 4. n. 18.

[27]) S. R. C. die 11. Sept. 1841. in una Namurcen. ad 6. et 7. n. 4930.

[28]) S. R. C. die 29. Nov. 1738. in una Carthagenen. ad 2. n. 4080.

Confessores aut Virgines, Missa erit dicenda de Communi Martyrum, nisi quod in Orationibus tacenda erit qualitas Martyrum, vel sumendæ erunt Orationes de Missa S. Callisti Papæ et Martyris 14. Octobris. Ita Guyetus lib. 4. cap. 21. qu. 3."

„21. Tandem si sit celebranda Missa votiva de omnibus Sanctis, erit dicenda Missa de festo omnium Sanctorum, excepto, quod loco Introitus: *Gaudeamus* apte satis reponi possit Introitus: *Timete Dominum* ut in festo Ss. Cyriaci etc. Mart. 8. Augusti; Oratio vero *Concede quæsumus,* quæ est prima inter Orationes diversas ad libitum. Quodsi supradicta Missa votiva de omnibus Sanctis sit celebranda tempore paschali, poterit dici Missa, quæ ponitur in Missali pro Communi plurimorum Martyrum tempore paschali i. e. *Sancti tui* cum Oratione *Concede quæsumus.* Ex Guyeto et Bisso loc. cit."

„22. Pro Missa votiva S. Joannis Baptistæ poterit dici Missa ut in festo Nativitatis ejusdem: verum cum hac exceptione, quod Oratio, Secreta et Postcommunio ex ejusdem Sancti Vigilia commodius assumi poterunt absque ulla mutatione . . . Tractus talis Missæ post Septuagesimam erit *Desiderium;* versus alter tempore paschali *Justus germinabit* ex Missa posita 2. loco in Communi Confessoris non Pontificis. De ejusdem Sancti Præcursoris Decollatione poterit dici Missa votiva eadem, quæ est in ipsomet festo: at tempore paschali Missa *Protexisti* ut in festo S. Marci, retentis Orationibus, Epistola et Evangelio. Ex Guyeto supra. etc."

Notamus hic ex Guyeto,[29]) Missas votivas de festis secundariis Sanctorum non excludi, quando illa festa apta sint, ut ecclesiæ titulum imponant; ad quæ numerat festa Conversionis S. Pauli, S. Petri ad vincula, S. Joannis ante portam latinam, Decollationis S. Joannis, de qua supra, et similia.

---

[29]) Lib. 4. cap. 21. qu. 2.

„23. Si requiratur Missa votiva in honorem Ss. Innocentium tempore paschali, poterit dici Missa, quæ habetur in Missali pro pluribus Martyribus tempore paschali, cujus Introitus incipit: *Sancti tui Domine*, sed Psalmus erit *Laudate pueri Dominum*, retinendo tamen semper ea, quæ in Missa propria sunt peculiaria huic festo, puta Orationem et Versum post Epistolam, omissis verbis *Hodie, festivitatis, solemnitatis* etc. Bissus tom. 2. lit. M. n. 181. §. 2."

8. Missæ impressæ S. Gregorii pro vivis et defunctis, quindecim Auxiliatorum, Missa de Æterno Patre prohibitæ sunt.[30]) Quomodo autem hæc prohibitio sit intelligenda, declarat S. R. C.[31]) his verbis: „Quo vero ad Missas S. Gregorii dictum fuit, quod prohibitio in decreto non intelligatur quoad Missas numero triginta institutas pro defunctis a S. Gregorio in Dialogor. cap. 55., sed solum illas Missas impressas, et non approbatas, quæ circumferuntur sub nomine S. Gregorii pro vivis et defunctis, sicut aliæ quindecim Auxiliatorum et de Patre æterno." Juxta Lohner[32]) sunt Auxiliatorum nomina: Ss. Georgius, Vitus, Blasius, Dionysius, Pantaleon, Erasmus, Cyriacus, Christophorus, Achatius, Eustachius, Aegidius, Catharina, Margarita et Barbara. „Hi tantum quatuordecim sunt, notat Cavalierus,[33]) non quindecim, quot esse ex decreto discimus . . . An reapse quatuordecim sint, vel quindecim, et in casu quinam sit quintusdecimus, nos curiosius pervestigare nolumus." De his celebrari potest Missa votiva de Communi plurimorum Martyrum 1. vel 2. loco non expresso nomine: major enim eorumdem pars est ex numero Martyrum et omnes sunt in Martyrologio descripti.

---

[30]) S. R. C. die 8. Apr. 1628. in una Urbis ad 4. n. 740.
[31]) Die 28. Oct. 1628. in una Urbis n. 772. in fine.
[32]) P. IV. tit. 2. §. 2. n. 3.
[33]) Tom. III. cap. 13. decr. 1. n. 3.

CAPUT IV.

De colore paramentorum adhibendo et ritu observando in Missis votivis.

A. De colore paramentorum.

In Missis votivis Mysteriorum et Sanctorum idem color adhibetur, ac in eorum festis;[1]) in Missa votiva autem Ss. Innocentium color rubeus est adhibendus;[2]) ideoque adhibetur:

1. *Color albus* in Missis votivis de Confessoribus, Virginibus et non Virginibus; in votivis in fine Missalis per hebdomadam distributis in Missa de Ss. Trinitate, de Ss. Angelis, de Ss. Eucharistia, de B. Maria V.,[3]) in qua ultima Missa votiva numquam est adhibendus color cæruleus,[4]) pro Sponso et Sponsa, in creatione et coronatione Papæ et ejusdem anniversario, sicut in anniversario electionis et consecrationis Episcopi. Item in votiva de Ss. Nomine et Ss. Corde Jesu et de Ss. Redemptore. Item in votivis S. Petri ad vincula et conversionis S. Pauli Ap.

2. *Color rubeus* in Missis votivis de Apostolis (excepta votiva S. Joannis Evangelistæ, in qua color *albus* adhibetur, si *extra* tempus paschale celebranda est;[5]) infra autem tempus paschale color *rubeus*, quia pro Missa votiva hoc tempore Missa ut in festo S. Joannis ante portam latinam sumenda est, (quod capite præcedenti n. 1. c. diximus) de Martyribus, Virginibus et non Virginibus, si eædem fuerint Martyres; in votiva de Spiritu sancto, de Cruce et pro eligendo Summo Pontifice sive dicatur Missa de Spiritu sancto, sive illa, quæ exhibetur in fine Missalis pro dicta causa. Item in votiva de Pretiosissimo Sanguine D. N. J. C. et de

---

[1]) S. R. C. die 13. Aug. 1667. in una Civit. Quench. ad 3. n. 2417.

[2]) *Merat.* p. I. tit. 4. n. 36.

[3]) S. R. C. die 18. Dec. 1779. Ord. Min. S. Franc. ad 4. n. 4395.

[4]) S. R. C. die 23. Febr. 1839. in Congr. Oblat. B. M. V. ad 2. n. 4847.

[5]) Rubr. Miss. p. I. tit. 18. n. 2.

Instrumentis Passionis Domini, ubi Missæ propriæ festivæ a S. Sede concessæ sunt.[6])

3. *Color violaceus* in Missa votiva de Passione Domini,[7]) et in reliquis votivis in fine Missalis positis a Missa *ad tollendum schisma* usque ad Missam pro *iter agentibus*. Item in votiva pro fidei propagatione.

B. De ritu observando.

1. De *Introitu* jam in capite præcedenti diximus; hic notamus tantum quoad Missam votivam de Ss. Corde Jesu sequentia: In Introitu *Miserebitur* extra tempus paschale omittitur utrumque *Alleluja*,[8]) et post Septuagesimam et tempore paschali Tractus et Alleluja cum ℣℣. sumendum est ex altera Missa *Egredimini*.[9])

2. *Gloria* dicitur in Missis votivis *solemnibus* pro re gravi seu publica Ecclesiæ causa; in illis, quæ cantantur ratione tituli vel concursus populi; in anniversario electionis et consecrationis Episcopi; in adoratione XL. Horarum et similibus; si vero in colore *violaceo* celebrentur, omittendum est *Gloria*.

In Missis votivis *privatis* numquam dicitur *Gloria*, etiamsi in cantu et cum solemnitate celebrentur;[10]) excipitur tamen:

a) Missa votiva B. Mariæ V. in Sabbato, quamvis non fiat Officium de ea,[11]) aliis vero diebus per hebdomadam *Gloria* non est sumendum.[12])

b) Missa ejusdem B. Mariæ V. et aliorum Sanctorum, si infra eorum octavam more votivo celebretur. S. R. C. die 15. Apr. 1880. in una Ratisbon. ad 3. Conf. Caput præcedens n. 1. f.

---

[6]) S. R. C. die 23. Apr. 1875. in Venezuela n. 5607.
[7]) S. R. C. die 12. Martii 1678. in una Mexican. ad 9. n. 2859.
[8]) S. R. C. die 16. Sept. 1865. in Cameracen. ad 5. n. 5351.
[9]) S. R. C. die 1. Sept. 1838. in Mechlin. ad 3. n. 4839. et die 29. Febr. 1868. in una Ratisbon. ad 1. n. 5393.
[10]) S. R. C. die 2. Sept. 1690. in una Panormitan. ad 1. n. 3232.
[11]) S. R. C. die 30. Julii 1689. in Ord. Capuccin. n. 3191.
[12]) S. R. C. die 17. Maji 1692. in una Forosempron. n. 3280.

c) Missa votiva de aliquo Sancto in ejusdem *die*, propter festivitatem.[13])

d) Missa votiva Ss. Angelorum, sive Angelorum custodum, sive S. Michaëlis, seu Gabrielis, seu Raphaëlis, quocumque die celebretur, quia iidem initium hymni *Gloria* in Nativitate Domini cecinerunt.

3. *De Orationibus* hæc notanda sunt. I. a) In Missis votivis *solemnibus pro re gravi* seu *publica Ecclesia causa* **unica** tantum Oratio dicitur sine ulla commemoratione Dominicæ, feriæ majoris etc. etsi *una* tantum Missa cantatur.[14])

b) Item in votiva, quæ cantatur in aliqua ecclesia ratione tituli vel concursus populi ad celebrandum festum, quod transferri debet, *unica* dicenda est Oratio, quamvis alia Missa conventualis non cantetur in locis, in quibus onus ejusdem non adest.[15])

c) In aliis Missis votivis minus privilegiatis, ad instar Missæ votivæ pro re gravi v. gr. in adoratione XL. Horarum,[16]) in Dominicis, in quas solemnitas festorum juxta indultum apostolicum reductorum transfertur, similiter *unica* tantum Oratio dicenda erit, si præter votivam Missa conventualis aut in locis choro adstrictis cantetur, aut, ubi non viget chori obligatio, legatur; si vero alia Missa non cantetur vel legatur, ut in ecclesiis parochialibus, in quibus unus sacerdos adest, in Missa votiva commemorationes officii occurrentis, Dominicæ etc. addendæ erunt, et legetur Evangelium Dominicæ in fine, si occurrat.[17])

---

[13]) S. R. C. die 13. Junii 1671. in Angelopolitan. ad 2. n. 2542.

[14]) S. R. C. die 29. Jan. 1752. Ord. Carmelit. Excalc. ad 9. n. 4223.; die 23. Apr. 1875. in Venezuela ad 6. n. 5607. et die 7. Aug. 1875. in Clodien. ad 4. n. 5622.

[15]) S. R. C. decr. cit. n. 5622. ad 4. qu. 2.

[16]) Vide Gardellini Instr. Clement. §. 12. n. 17.

[17]) S. R. C. die 18. Febr. 1754. Addit. Pro. mem. n. 4512.; die 2. Maji 1801. in Carthag. ad 17. n. 4474.; die 22. Julii 1848. in Tornac. ad 1. n. 5137. et decr. cit. n. 5622. ad 4. qu. 2. Conf. cap. I. n. 5. et 6. huj. App.

d) In Missa votiva solemni *pro gratiarum actione* additur sub una conclusione Oratio: *Deus cujus misericordiæ.*

II. In Missis votivis *privatis,* quamvis solemniter celebrentur, vel ex privilegio legantur in duplicibus (ritus enim Officii diei non mutat naturam Missæ votivæ quæ ab illo omnino differt), saltem tres Orationes dicuntur,[18]) scilicet prima de Missa votiva ipsa, secunda de Officio diei, tertia, quæ secundo loco in Missa diei recitanda esset. Si ergo Missa diei dicenda sit de Octava, tertia Oratio erit, quæ secundo loco infra ipsam Octavam ponitur; si de Vigilia, tertia Oratio dicenda erit, quæ secundo loco in ipsa Vigilia assignatur; si de semiduplici, simplici aut feria, vel etiam de duplici (apud privilegiatos vel in Missa pro Sponsis) tertia Oratio recitabitur, quæ secundo loco de tempore dicenda præscribitur: nempe in Adventu usque ad Nativitatem: *Deus, qui de B. M. V.,* ab octava Epiphaniæ usque ad Purificationem: *Deus, qui salutis,* a Purificatione usque ad Dominicam Passionis et ab octava Pentecostes usque ad Adventum: *A cunctis,* in hebdomada Passionis: *Ecclesiæ tuæ,* tempore paschali: *Concede.*

Excipiuntur tamen casus sequentes: a) In Missis votivis B. M. V. tertia Oratio erit de Spiritu sancto; quod etiam valet pro votiva Septem Dolorum, Immaculatæ Conceptionis et Ss. Cordis B. M. V. Pariter in Missa votiva Omnium Sanctorum tertia Oratio dicenda erit *de Spiritu sancto.* b) In Missa votiva S. Petri Apostoli tantum, vel S. Pauli solius, secunda Oratio erit de alterutro, et tertia de Officio diei; si Missa votiva sit utrique communis, et in Missa diei eo tempore dicenda esset Oratio *A cunctis,* ejus loco dicitur *Concede* de B. M. V.[19]) c) In votiva S. Joseph, quo tempore

[18]) S. R. C. die 24. Jan. 1682. in Granaten. ad 2. et 3. n. 2972. et die 28. Febr. 1818. decr. gen. n. 4544., decr. cit. n. 4512. et n. 5622. ad 4.

[19]) Rubr. gen. tit. IX. n. 15.

Oratio *A cunctis* dicenda veniet, tertio loco recitanda erit eadem Oratio *A cunctis,* omisso tamen nomine S. Joseph.[20]) d) Si in Missa votiva de *Patrono* tertio loco dicenda esset Oratio *A cunctis,* vel omittitur nomen Patroni in hac Oratione, vel legitur Oratio „ad poscenda suffragia Sanctorum" (prima inter diversas), quæ incipit: *Concede, quæsumus, omnipotens Deus.*[21]) e) Si Missa votiva pro Sponsis celebretur in aliquo festo B. M. V. et eodem tempore tertia Oratio *A cunctis* dicenda sit, omittenda sunt verba: *beata et gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria,* et dicendum: *intercedente beato Joseph, cum beatis Apostolis* etc. f) Si in feria *tertia* Rogationum Officium fiat de hac feria, in omni Missa votiva, quæ celebratur, secunda Oratio sumitur non de Officio scil. de Dominica præcedente, sed de Rogationibus, et tertia est *Concede,* ut in Missa Rogationum præscribitur. g) In Missa votiva pro gratiarum actione, tertio loco dicenda est Oratio: *Deus, cujus misericordiæ,* ut jam dictum est.[22]) h) Quando in ecclesiis cathedralibus et collegiatis præter Missam conventualem ex fundatione vel alio titulo Missa votiva cantatur, in hac votiva non fit commemoratio festi, de quo cantatur Missa conventualis, nec alia quæ in officio facta est, sed secunda et tertia Oratio dicitur *de tempore.*[23])

Si plures Orationes in Officio diei præscribuntur, eædem et eodem ordine in Missa votiva faciendæ sunt. In quocumque autem casu, si adsit commemoratio de aliquo festo simplici, omittitur tertia Oratio et ejus loco ponitur commemoratio simplicis.

Hic notandum est decr. in una Clodien.: „Dub. VI. Ecclesia parochialis S. Jacobi Ap. gaudet privilegio

---

[20]) S. R. C. die 1. Junii 1876. in Ruremunden. ad 3. n. 5664.

[21]) S. R. C. die 15. Maji 1819. in Assisien. ad 3. n. 4560.

[22]) Cap. 3. n. 1. a. hujus Append.

[23]) S. R. C. die 13. Junii 1671. in Angelopolitan. ad 2. n. 2542; die 23. Junii 1736. in Brugen. ad 10. n. 4049. et die 16. Febr. 1737. in Mechlin. ad 10. n. 4056.

paucis abhinc annis obtento, quolibet die Sabbati (diebus excipiendis exceptis) Missam de B. M. V. canendi. Quæritur, an in hac Missa Orationi B. M. V. adjungi debeant Oratio officii et aliæ Orationes præscriptæ, vel an ipsa cum *Credo* et unica Oratione sit celebranda?" Et S. R. C. respondendum censuit die 7. Aug. 1875. ad 6. n. 5622.: „In Missis votivis B. M. V., ut in casu, Commemorationes esse faciendas juxta Rubricas, et *Credo* omittendum."

In Missa votiva privata celebrans potest plures Orationes, quinque aut septem superaddere, non tamen tenetur.[24])

4. *Credo* dicitur in omnibus Missis votivis *solemnibus*, etiamsi in colore *violaceo* in Dominicis celebrentur, et Sanctus, de quo Missa votiva solemnis cantatur, in ipso festo *Credo* non admittat.[25]) Quando vero extra Dominicam in Missis votivis solemnibus paramenta *violacea* adhiberi debent, omittitur *Credo*.[26])

In Missis votivis privatis *Credo* numquam dicitur, quamvis solemni modo celebrentur,[27]) et mysterium vel sanctus, de quo dicitur votiva, in suo festo habeat *Credo*.[28])

5. *Præfatio.* In Missis votivis dicitur Præfatio propria, si propriam habeant; id valet etiam infra octavam Nativitatis Domini in votiva solemni pro re gravi;[29]) si vero Præfatio propria desit, sumitur de octava propriam Præfationem habente; si plures ejusmodi octavæ simul occurrant, de digniori; si talis octava non occurrat, dicitur Præfatio de tempore, alioquin sumitur communis. Numquam vero dicatur Præfatio festi occur-

---

[24]) S. R. C. die 2. Dec. 1684. in una Ord. Can. Reg. Lateran. ad 9. n. 3073.

[25]) S. R. C. die 13. Aug. 1667. in Civit. Quench. ad 3. n. 2417.

[26]) S. R. C. die 13. Febr. 1666. decr. ad Missal. ad 6. n. 2363.

[27]) S. R. C. die 2. Sept. 1690. in Panormit. ad 1. et 2. n. 3232.

[28]) S. R. C. die 30. Aug. 1687. in Forosempron. n. 3144. et die 21. Mart. 1795. in Conimbr. ad 1. n. 4464.

[29]) S. R. C. die 25. Sept. 1706. in una Urb. et Orb. ad 2. n. 3754. et die 16. Junii 1708. in Parisien. ad 1. n. 3788.

rentis, in quo celebratur Missa votiva, vel de quo in votiva fit commemoratio.[30]) Si Missa votiva solemnis cantetur in Dominica, et ipsa Missa votiva vel octava, vel tempus propriam Præfationem non habeat, Præfatio dicitur **non** de Ss. Trinitate, sed *communis.*[31])

Missa votiva Ss. Cordis Jesu, cujus Introitus incipit *Miserebitur* habet Præfationem de Cruce; in altera autem cum Introitu *Egredimini* dicitur Præfatio de Nativitate Domini a Dominica Trinitatis usque ad Septuagesimam; a Septuagesima vero usque ad Pentecosten Præfatio de Cruce juxta specialem Missalis dispositionem pro hac Missa.

6. *Communicantes* et *Hanc igitur* propria Octavæ dicuntur in omni Missa votiva, quæ infra eamdem Octavam celebratur, etiamsi Missa votiva Præfationem propriam habeat.[32])

7. *Ite Missa est* dicitur, quoties in Missa votiva recitatur *Gloria;* secus substituitur *Benedicamus Domino,* in quocumque colore votiva celebretur.

8. In fine cujuscumque Missæ votivæ semper dicendum est *ultimum Evangelium secundum Joannem,* quamvis in Dominica, vel Vigilia, vel Feria proprium Evangelium habente celebretur;[33]) solummodo casu excepto supra cap. I. n. 6. allato.[34])

9. Ad majorem sacerdotum commoditatem adjungimus ex Directorio Romano sequentem tabellam ordinis in celebrandis Missis votivis privatis servandi.

---

[30]) S. R. C. die 2. Dec. 1684. in Ord. Canon. Lateran. ad 8. n. 3073.

[31]) S. R. C. die 16. Apr. 1853. in una Ord. Minor. Observ. ad 27. n. 5183.

[32]) S. R. C. die 16. Junii 1663. in Granaten. ad 3. n. 2223.

[33]) Rubr. Miss. p. I. tit. 13. n. 2. in fine.

[34]) S. R. C. die 13. Jan. 1674. in Lauretana. ad 2. n. 2674. et die 28. Febr. 1818. decr. gen. n. 4544.

Ordo

in celebrandis Missis votivis privatis servandus.

Missæ Votiv.	Color Param.	Missa	Gloria	Orationes	Credo	Præfatio	Benedic. Domino vel Ite.
SS. Trinit.	Albus	Prop.	Omitt.	Ut infr. (d)	Omitt.	Prop.	Benedic. Domino
Spiritus Sancti	Rubeus	Prop.	Omitt.	Ut infr. (d)	Omitt.	Prop.	Benedic. Domino
SS. Sacram.	Albus	Prop.	Omitt.	Ut infr. (d)	Omitt.	De Nativ.	Benedic. Domino
Passionis Domini	Violaceus (a)	Prop.	Omitt.	Ut infr. (d)	Omitt.	De Cruce	Benedic. Domino
S. Crucis	Rubeus	Prop.	Omitt.	Ut infr. (d)	Omitt.	De Cruce	Benedic. Domino
B. M. V.	Albus	Prop.	Omitt. nisi in Sabb. et inf. oct. B. M. V. (c)	Ut infr. (e)	Omitt.	Prop.	Benedic. vel in Sab. et inf. oct. B. M. V. Ite
Angelór.	Albus	Prop.	Semper dicitur	Ut infr. (d)	Omitt.	Ut infr. (g)	Ite Missa est
Apostol.	Rubeus (b)	Prop.	Omitt.	Ut infr. (f)	Omitt.	Prop.	Benedic. Domino
Sanctorum	Ut in eorum Festo	Prop. vel de Commun.	Omitt.	Ut infr. (d)	Omitt.	Prop. si adsit, vel ut inf. (g)	Benedic. Domino
Pro quac. Necess.	Violaceus	Prop.	Omitt.	Ut infr. (d)	Omitt.	Ut infr. (g)	Benedic. Domino
Pro infirmis	Violaceus	Prop.	Omitt.	Ut infr. (d)	Omitt.	Ut infr. (g)	Benedic. Domino
Pro Sponsis	Albus	Prop.	Omitt.	Ut infr. (d)	Omitt.	Ut infr. (g)	Benedic. Domino

(a) In Missis votivis de Instrumentis Passionis Domini adhibetur color rubeus, ubi Missæ propriæ in eorum festis indultæ sunt; aliter violaceus. S. R. C. n. 3607.

(b) Excepta Missa votiva S. Joannis Ap. et Ev. extra tempus paschale, S. Petri ad vincula et conversionis S. Pauli, in quibus color albus adhibendus est.

(c) Juxta dec. S. R. C. die 15. Apr. 1880. in una Ratisbon. ad 3.

(d) 1. Oratio Missæ votivæ, 2. vero Officii currentis, 3. autem, quæ aliunde dicenda foret secundo loco in Missa dici, nempe vel octavæ, vel feriæ majoris (si occurrat tempore Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum etc.), vel Vigiliæ, vel Simplicis occurrentis vel *A cunctis*, vel alia B. M. V. pro tempore respectivo.

(e) 1. et 2. Oratio ut supra ad (d); 3. vero de Spiritu sancto.

(f) In Missis votivis Ss. Apostolorum Orationes dicuntur ut supra ad (d); sed in votiva Ss. Ap. Petri et Pauli, quo tempore Oratio *A cunctis* dicenda esset, ejus loco dicitur *Concede*.

(g) De octava currente, vel de tempore, alioquin communis.

Nb. In fine cujuscumque Missæ votivæ semper dicitur Evang. S. Joannis.

CAPUT V.

De Missis votivis Ss. Sacramenti in Oratione XL Horarum et in aliis expositionibus per annum.

Certum est, a Clemente VIII. sub finem sæculi decimi sexti statutum esse, ut in Urbe Oratio XL Horarum per singulas designatas ecclesias esset perpetua diu noctuque. Verum pro hac expositione, adoratione, processione et repositione certas regulas in Urbe omnino observandas præscripsit et die 21. Januarii 1705. publicavit Clemens XI., a quo, primo auctore, hujusmodi Instructio *Clementina* dicitur; dein vero ab ejus successoribus Innocentio XIII., Benedicto XIII. et Clemente XII. fuit confirmata.

2. In hac Oratione XL Horarum Missa tam pro expositione quam pro repositione pluribus gaudet privilegiis, dummodo hæc Oratio ad amussim juxta Instructionem Clementinam peragatur, et etiam nocte non interrumpatur. Nam, ait *Gardellini* in suo Commentario in Instr. Clement. §. 33. n. 4., „quodsi alicubi fiat hujusmodi expositio ad formam quidem Orationis XL Horarum, ita ut ad tertium usque diem protrahatur, nocte tamen recondatur Sacramentum, non amplius locum habebunt sanctionis regulæ ... Improprie namque dicitur ad formam XL Horarum, cum desit id, quod præcipuum est Instituti: *perpetuitas scilicet Orationis per XL successive horas numquam interruptas*, licet per tres dies fiat.“ Ubi autem Instructio Clementina non observatur, privilegia pro Missa non sunt concessa, sine speciali indulto S. Sedis.[1])

3. Privilegia quoad Missam juxta §. 12. et 13. præfatæ Instructionis sunt sequentia:

a) Tam in expositione, quam in repositione (i. e. prima et tertia die) cantatur Missa votiva solemnis de Ss. Sacramento pro re gravi (cum Gloria et Credo,

[1]) S. R. C. die 12. Sept. 1840. in Brugen. ad 6. n. 4897.

unica Oratione, Præfatione de Nativitate; — in Missa expositionis duæ hostiæ offerri et consecrari debent, quarum altera in fine Missæ fidelium adorationi proponenda est) singulis diebus, exceptis: *α)* Dominicis I. et II. classis, *β)* festis duplicibus I. et II. classis, *γ)* feria IV. Cinerum et tota majori Hebdomada, *δ)* diebus infra octavas privilegiatas Epiphaniæ, Paschatis et Pentecostes, *ε)* in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes. Porro diebus, quibus duplicia I. et II. classis excluduntur.[2]) Hisce diebus exceptis cantatur Missa de die cum adjuncta Oratione Ss. Sacramenti sub una conclusione; deinde sub distincta conclusione fiunt aliæ commemorationes occurrentes, et in reliquis Missa celebratur cum Gloria et Credo, vel sine illis, prout ritus et qualitas Missæ diei exigunt.[3])

In ecclesiis, ubi hæc Missa votiva de Ss. Sacramento unica est, quæ celebratur, ideoque Missa conventualis de die vel festo non cantatur vel saltem legitur, fiunt commemorationes Officii de die aliæque occurrentes juxta Rubricas in Missis privatis.[4])

Si hæc Missa pro exponendo vel reponendo Ss. Sacramento cantetur die infra octavam Corporis Christi (exceptis duplicibus I. et II. classis), Missa celebranda est ut in festo Corporis Christi.[5])

Animadvertendum, Missam aliam celebrare in altari, in quo Ss. Sacramentum est expositum, tantum licere *α)* pro eo reponendo;[6]) *β)* si desint alia altaria, in quibus celebrari potest;[7]) *γ)* si necessitas celebrandi urgeat vel positivum præceptum audiendi sacrum diebus

[2]) *Gardell. in Instr. Clement.* §. 12. n. 8. et 11.

[3]) *Gardell.* l. c. n. 9. et 10.

[4]) S. R. C. die 18. Febr. 1794. Addit. Pro-memor. n. 4512. et Gard. l. c. n. 17.

[5]) S. R. C. die 13. Febr. 1666. Not. gen. ad Missale Fratr. Min. ad 7. n. 2362.

[6]) S. R. C. die 13. Junii 1671. in Angelopolit. ad 6. n. 2542, die 11. Martii 1837. in Feretran. n. 4811. — Conf. adnot. Gardell. ad dec. S. R. C. die 12. Nov. 1831. in Tarentin. n. 4677.

[7]) S. R. C. die 9. Aug. 1670. in una Bononien. n. 2508.

festivis, ubi una est ecclesia unumque altare; *δ)* si alia non sit longe ecclesia, ubi celebrari possit, timendum tamen, ne populus ad illam confluat, et vacua sine adoratoribus fiat ecclesia, in qua expositum est Ss. Sacramentum, *ε)* si longæva exstet consuetudo late diffusa, quæ difficillime sine offensione populi abrumperetur. Nam in iis, quæ ad disciplinam pertinent, multam vim habet locorum consuetudo, et satius quandoque est, aliquid tolerare, quod ab aliarum ecclesiarum consuetudine dissentire videtur, quam ciere turbas, quæ non sine magno religionis detrimento quandoque etiam ex bona causa excitantur.[8]) Itaque etiam S. R. C.[9]) ex inveterata et immemorabili consuetudine concessit, ut in altari, in quo Sanctissimum est expositum, alia Missa celebrari valeat.[10])

b) Die autem secunda expositionis cantatur Missa votiva solemnis *pro Pace*, vel alia a Sua Sanctitate præscripta.[11]) Hæc Missa celebranda est ad instar votivæ solemnis iis diebus, quibus licet, non autem aliis diebus supra sub a) exceptis. Nec propterea, si fas non sit, votivam dicere, prorsus est omittenda ejusdem commemoratio, sed addenda Missæ de die currenti sub unica conclusione.[12]) Extra Urbem Missa votiva *pro Pace* suppleri potest per aliam Missam *votivam* ex iis, quæ continentur in Missali Romano, arbitrio Episcopi.[13]) Hæc Missa celebrari debet in colore violaceo *sine* Gloria

---

[8]) Conf. Gardell. l. c. §. 12. n. 2.—7.

[9]) In una De Nicaragua die 27. Sept. 1864. ad dub. 2. et 3. n. 5336.

[10]) Vide etiam decr. die 20. Apr. 1641. in Smirnen. n. 1321. et decr. Innocentii XI. d. d. 20. Maji 1682 ad Archiep. Mechlin., S. R. C. die 7. Maji 1846. in Warsavien. ad 9. et 10. n. 4181. et die 9. Maji 1857. in Limburgen. ad 9. et 10.

[11]) *Instr. Clem.* §. 13.

[12]) Gardell. l. c. §. 13. n. 1.

[13]) S. R. C. die 23. Maji 1835. in Mexicana n. 4744; die 9. Maji 1857. in Cadurcen. ad 3. n. 5241. et die 4. Junii 1874. in Lisbonen. ad 3. n. 5585.

et Credo (nisi dicenda sit in die Dominica) et cum commemoratione Ss. Sacramenti sub unica conclusione.

4. Supradicta Instructio Clementina extra Urbem non obligat, laudandi tamen sunt, qui se illi conformare student, nisi aliud ab ordinariis locorum statutum sit.[14])

5. Quum in permultis locis extra Urbem expositio et adoratio Ss. Sacramenti per XL Horas continuas, etiam nocte non interruptas fieri non consueverit, sed tribus diebus immediate succedentibus, dempta nocte, peragi soleat, ideoque Instructio Clementina ad amussim servari non possit, idcirco Missam *votivam solemnem* de Ss. Sacramento cantare *non* licet,[15]) sed sequentes regulæ serventur.

a) Primo die summo mane cantetur vel legatur Missa, in qua duæ hostiæ consecrantur, quarum altera post Communionem in Ostensorio ponatur. Missa dicitur de Ss. Sacramento iis tantum diebus, quibus Missæ votivæ privatæ permittuntur; aliis diebus in Missa juxta Kalendarium celebrata addatur commemoratio Ss. Sa-

---

[14]) S. R. C. die 12. Julii 1749. in una Patavin. n. 4203.

[15]) Quoad indulgentiam occasione Orationis XL Horarum lucrandam hæc notare juvat. Quamvis per S. C. Episc. et Reg. die 5. Apr. 1657. declaratum sit, indulgentias in Oratione XL Horarum lucrari non posse, nisi expositio Ss. Sacramenti continua sit diu noctuque, tamen Benedictus XIV., ne populus spirituali illo bono privetur, episcopo Warmiensi in Constitutione *Accepimus* die 16. Apr. 1746. rescripsit: „Equidem veteris disciplinæ severitate remissa, nunc easdem indulgentias concedi intelligitur, etiamsi Sacramentum Eucharistiæ per horas quadraginta continuas gravissimis de causis minime prostet, *modo tamen horis diurnis semper expositum* publice relinquatur.“ Porro triduo Septuagesimæ, Sexagesimæ et Quinquagesimæ, imo etiam sola feria quinta infra hebdomadam Sexagesimæ (Clemens XIII. die 23. Julii 1765.), universis Christi fidelibus confessis et sacra communione refectis, qui eas ecclesias, in quibus expositio Ss. Sacramenti instituitur, devote visitaverint et per tempus quoddam pias ad Deum preces effuderint, plenaria indulgentia conceditur. Ad hanc indulgentiam consequendam requiritur, ut expositio fiat diebus dictis et per tres dies, nisi sit feria V. Sexagesimæ, non autem ut per XL Horas, vel diu noctuque Ss. Sacramentum exponatur, ut patet ex Const. Bened. XIV. *Inter cetera* de die 1. Jan. 1748.

cramenti. Post Missam Ss. Sacramentum in throno collocatur hoc modo:

Celebrans, dicto ultimo Evangelio et facta cum Ministris sacris genuflexione in medio altari, descendit cum iisdem in planum, ubi, depositis manipulis et facta in infimo gradu genuflexione utroque genu, sacerdos imponit incensum in thuribulo, et incensat genuflexus Ss. Sacramentum, quod deinde a Diacono, factis debitis genuflexionibus, in throno collocatur. Postea, cantato *Tantum ergo* etc., Sacerdos cantat Versiculos cum Orationibus præscriptis et facta genuflexione utroque genu in plano cum Ministris sacris ab altari recedit.

Si autem Sacerdos sine Ministris sacris celebraverit, ipse, dicto ultimo Evangelio et deposito manipulo, facta genuflexione in medio altari, Ss. Sacramentum in throno collocat. Deinde, repetita genuflexione in suppedaneo, descendit in planum, ubi incensat Ss. Sacramentum, ut supra, et cantantur vel dicuntur *Tantum ergo* et Versiculi cum Orationibus præscriptis.

b) Ubi vero Missa pro expositione cantari aut legi non potest, hora præscripta exponitur Ss. Sacramentum modo solemni, et deinde cantato vel recitato hymno *Tantum ergo* dicuntur Orationes, ut supra.

c) Secunda et tertia die exponitur Ss. Sacramentum summo mane modo simplici vel *post* Missam lectam in eodem altari, vel *ante* Missam in altero altari (si adsit) celebrandam, vel etiam absque Missa.

6. In aliis solemnibus expositionibus, quæ per annum fiunt, potest pro expositione vel repositione Missa votiva solemnis de Ss. Sacramento celebrari, si id fiat jubente vel permittente loci ordinario pro publico Ecclesiæ bono, gravique causa, vel ad implorandum divinum auxilium in urgenti aliqua communi necessitate, et convenit, ut quoad hanc Missam pro Ss. Sacramento exponendo vel reponendo observetur regula Instructionis Clementinæ.[16])

---

[16]) *Gardell.* l. c. §. 12. n. 24.

Si tamen Ordinarius maluerit, potest etiam servari norma communis pro Missa votiva *solemni*.

7. Si autem expositio Ss. Sacramenti fiat vel ex devotione, vel ex instituto, vel ex pia aliqua fundatione, vel ex aliqua quavis privata causa, etiamsi hæc expositio conjuncta sit cum processione, locum non habet Missa votiva de Ss. Sacramento.[17]) Quod etiam patet ex decisionibus S. R. C. Cum enim in una Fanen.[18]) quæsitum esset, num occasione Processionis cum Sanctissimo, quæ Dominica tertia cujuslibet mensis fieri soleat, deberet cantari Missa de eodem Ss. Sacramento cum commemoratione Dominicæ, S. R. C. respondit: „Missam in dicto casu celebrandam esse de Dominica, seu de festo duplici, si illa die occurrat, cum commemoratione Sanctissimi ad formam Rubricarum Missalis."[19]) Si autem Rubricæ eo die Missam votivam privatam admittunt, tunc laudabiliter in ejusmodi expositionibus Missa votiva de Ss. Sacramento celebratur, sed modo et ritu Missæ votivæ *privatæ*.

8. Quando in Dominica infra Octavam Corporis Christi aut alia designata per annum, in qua recitatur Officium ritus duplicis et solet fieri processio Ss. Sacramenti, *non* potest Missa celebrari de Ss. Sacramento, sed debet dici de Dominica aut festo occurrente cum commemoratione Ss. Sacramenti.[20]) Quod valet etiam pro *aliis* diebus *infra dictam Octavam*, in quibus occurrit festum duplex.

9. Ubi processio Ss. Sacramenti in aliquam Dominicam extra octavam Corporis Christi transferatur, Missa præcedens, in qua hostia pro processione consecranda est, non de Ss. Sacramento celebrari debet, sed de die occurrente cum commemoratione Ss. Sacramenti.[21])

---

[17]) *Gardell.* l. c.
[18]) Die 6. Dec. 1653. n. 1692.
[19]) Conf. decr. die 20. Dec. 1692. in una Galliar. ad 12. n. 3301.
[20]) S. R. C. die 10. Sept. 1796. in Bacharen. ad 6. n. 4469.
[21]) S. R. C. die 8. Maji 1749. in Lisbonen. n. 4200.

10. In ecclesiis, in quibus ob erectam Ss. Corporis Christi confraternitatem in singulis Feriis V. per annum ob longævam consuetudinem infra Missam cantatam Ss. Eucharistia exponitur, hæc Missa celebrari debet de festo occurrente vel de die, juxta Kalendarium, cum commemoratione Ss. Sacramenti, exceptis diebus, quibus per Rubricas Missæ votivæ *privatæ* permittuntur; et tunc Missa de Sanctissimo celebranda est *sine* Gloria et Credo et cum tribus saltem Orationibus.[22])

11. Non licet in Missis coram Ss. Sacramento addere Gloria et Credo, si Missa iis caret, vel Præfationem de Nativitate dicere diebus, quibus in Kalendario non præscribitur.[23])

12. Quoad commemorationem Ss. Sacramenti in Missa faciendam, conf. supra Cærem. Missæ in fine capitis 15.

13. *Color* paramentorum debet etiam in Missa coram exposito Ss. Sacramento celebrata convenire festo vel diei, de quo Missa celebratur;[24]) neque ratione hujus expositionis licet adhibere colorem album;[25]) neque in Dominicis Adventus et Quadragesimæ ratione expositionis Sanctissimi in Missa solemni a Ministris sacris adhiberi licet dalmaticam et tunicellam, quando Rubricæ eas prohibent.[26])

Hic notanda est decisio novissima S. R. C.:[27]) „Exposito Ss. Sacramento, si canitur Missa pro quacumque tribulatione, et statim sequuntur Litaniæ, Benedictio et Repositio Ss. Sacramenti, omnia in paramentis violaceis sunt peragenda: si vero Missa non habeatur, sed tantum preces, tunc in expositione et repositione Ss. Sacramenti color albus est adhibendus."

---

[22]) S. R. C. die 25. Sept. 1852. in Eystetten.
[23]) S. R. C. die 4. Sept. 1745. in Aquen. ad 9. n. 4175.
[24]) S. R. C. die 27. Sept. 1864. in Nicaragua ad 4. n. 5336
[25]) S. R. C. die 29. Jan. 1752. in Carmelit. ad 3. n. 4223.
[26]) S. R. C. die 31. Aug. 1867. in Malacitana ad 2. n. 5385.
[27]) Die 27. Julii 1868. in Limana ad 4. n. 5401.

Velum humerale tamen in *Processione* cum Ss. Sacramento semper albi coloris esse debet.[28])

In expositione Ss. Sacramenti, sive pro Oratione XL Horarum, seu alia quavis de causa, amovendæ omnino sunt tres tabellæ ab altari expositionis.[29])

Usus *machinæ*, cujus ope elevatur ac deponitur Ostensorium, dum salutaris Hostia populo adoranda exponitur, non potest admitti.[30])

CAPUT VI.

De Missa votiva pro eligendo Summo Pontifice, in anniversario creationis et coronationis ejusdem, et in anniversario electionis et consecrationis Episcopi.

Missa votiva pro eligendo *Summo Pontifice* dicitur vel propria in fine Missalis vel de Spiritu sancto. Celebratur ut Missa votiva solemnis, quando ab Ordinario, Sede apostolica vacante, imperatur; potest tamen legi uti Missa votiva privata, quando Rubricæ Missam votivam privatam admittunt.

2. Quoad Missam in anniversario *creationis et coronationis Summi Pontificis* notandum, eam extra statum ecclesiasticum non celebrari, nisi Ordinarius præceperit, et tunc in ecclesiis cathedralibus et collegiatis celebretur Missa votiva solemnis i. e. Missa ut in Cathedra S. Petri, mutata Collecta, cum Gloria et Credo, uti in Missali notatur.

Missa in anniversario Summi Pontificis celebrari non potest tamquam Missa votiva privata diebus, quibus Rubricæ Missam votivam privatam permittunt; in omnibus tamen Missis vivorum in universa Ecclesia collecta *Deus*

---

[28]) S. R. C. die 9. Julii 1678. in Taggen. ad 6. n. 2864. et die 26. Martii 1859 in una Tarnov. ad 5. n. 5285.

[29]) S. R. C. die 20. Dec. 1864. in una Tertii Ord. S. Franc. ad 3. n. 5343.

[30]) S. R. C. die 7. Julii 1877. in una Taurin. n. 5701.

omnium fidelium ex præcepto addi debet.[1]) Attamen in duplicibus I. classis, et in Missis, quæ unam dumtaxat Orationem admittunt, omittitur hæc collecta; in duplicibus II. classis vero sumitur sub una conclusione cum Oratione festi, nisi alia commemoratio sub distincta conclusione sit facienda, cui tunc adjungitur.[2])

3. In anniversario *electionis et consecrationis Episcopi* in ecclesiis Cathedrali et Collegiatis suæ diœceseos, præter Missam conventualem, celebrari debet Missa votiva solemnis, quemadmodum in Missali habetur. Hæc Missa est præceptiva accedente mandato Episcopi, licet Cæremoniale Episcoporum lib. 2. cap. 35. solum dicat: *celebrare convenit:*[3]) et celebretur post Nonam cum paramentis albis, unica Oratione, Gloria, Credo, Præfatione communi, nisi alia de tempore vel octava occurrat, et in fine Evangelio S. Joannis. Si Episcopus ipse hanc Missam celebret, in Oratione dicat: *Me indignum famulum tuum, quem huic Ecclesiæ* etc.[4]) Hæc Missa votiva celebrari non potest Dominicis et festis duplicibus I. et II. classis et diebus, quibus hæc duplicia excluduntur juxta regulam a *Gardellini*[5]) traditam, quæ generaliter statuit, quando Missa votiva in duplicibus I. et II. classis prohibetur, eam etiam esse prohibitam diebus, quibus duplex I. vel II. classis vel occurrens vel translatum fieri nequit. Si enim ejusmodi dies privilegiati ista duplicia non admittant, potiore jure nec Missa supradicta admitti poterit, quæ iisdem diebus locum cedit.[6])

---

[1]) S. R. C. die 12. Martii 1836. in Trident. ad 11. n. 4777. et die 14. Aug. 1858. in Granaten. ad 7. n. 5274.

[2]) S. R. C. die 22. Maji 1841. in Baltimor. ad 8. n. 4928.

[3]) S. R. C. die 23. Maji 1835. in Namurcen. ad 7. n. 4746. decr. cit. n. 5274. a 1. et 2. et die 23. April. 1875. in Venezuela ad 3. n. 5607.

[4]) Cærem. Episc. l. c. et S. R. C. die 17. Sept. 1785. in Portugallen. ad 3. n. 4421.

[5]) In nota ad dec. S. R. C. de die 20. Apr. 1822. in Derthon. ad 5. n. 4587. et in Instr. Clement. §. 12. n. 8. et 11.

[6]) Cærem. Episc. l. c. et S. R. C. decr. cit. n. 4421., die 12. Sept. 1840. in Cenomanen. ad 3. n. 4898. et in Mechlin. ad 3. n. 4911.

His diebus cantatur tantum Missa conventualis de die vel festo cum paramentis convenientibus, cum Gloria et Credo vel sine illis, prout Missa exigat, et cum Orationibus occurrentibus; principali tamen Orationi addatur commemoratio pro Episcopo ex Missa anniversaria sub una conclusione, nisi celebretur in duplicibus I. classis, in quibus de commemoratione anniversarii nihil fit.[7])

4. Hoc anniversarium celebrandum est eo die mensis, quo accidit, non autem Dominica vel aliquo festo mobili, quo electio vel consecratio peracta est.[8]) „De episcopo translato celebranda est Missa in ecclesia, cui fuit ultimo loco præpositus, recurrente die, quo Papa eum tali ecclesiæ præfecit; festumque hujusmodi erit annuntiandum cum termino *translationis*.“[9]) In eadem ecclesia seu diœcesi etiam fieri debet anniversarium *consecrationis* Episcopi ad eam translati.[10]) De Episcopo vero Administratore non debet fieri anniversarium ejus consecrationis cum Missa cantata per capitulum et clerum.[11]) Dies electionis est dies consistorii secreti.[12])

5. Si anniversarium Episcopi ea die occurrat, qua in universa Ecclesia de anniversario creationis vel coronationis Summi Pontificis agi debet, anniversarium Episcopi celebratur die sequenti.[13]) Si dies anniversarii sit impedita, quia incidit v. gr. infra hebdomadam majorem, vel in die Paschæ, Pentecostes, vel alio die solemniori, eo anno Missa non anticipatur, nec transfertur, sed omittitur.[14])

---

[7]) S. R. C. die 4. Apr. 1705. in Lycien. ad 2. n. 3718.; die 8. Junii 1709. in Bracharen. ad 7. n. 3809; decr. cit. n. 4898.; 4911. et n. 5274. ad 1. et 2.

[8]) S. R. C. die 12. Sept. 1840. in Cenoman. ad 1. n. 4898.

[9]) S. R. C. die 2. Sept. 1741. in Aquen. ad 11. n. 4119.

[10]) Decr. cit. n. 5274. ad 6.

[11]) S. R. C. die 22. Aug. 1722. in una Sarsinaten. ad 5. n. 3952.

[12]) S. R. C. die 19. Dec. 1829. in una Florentina ad 3. n. 4651.

[13]) S. R. C. die 20. Dec. 1864. in una Dubii n. 5344.

[14]) S. R. C. die 22. Sept. 1703. in Viennen. in Austria ad 1. et 2. n. 3664. et die 4. Apr. 1705. in Lycien. ad 2. n. 3718.

6. Extra Cathedralem et Collegiatas Missa votiva solemnis in ejusmodi anniversario non cantatur;[15]) nec potest celebrari hæc Missa tamquam votiva privata diebus, quibus Missæ votivæ privatæ permittuntur, quum ipsa non sit votivis accensenda nisi in sensu latiori.[16])

7. In omnibus autem ecclesiis et oratoriis etiam exemptis totius diœceseos in singulis Missis, quæ non sunt de Requie in anniversario tam electionis quam consecrationis [excepta Missa conventuali, in qua omittitur hæc commemoratio, ubi post Nonam cantatur Missa votiva eorumdem anniversariorum][17]) Oratio pro Episcopo ex Missa anniversaria sumenda est, quæ in festis I. classis omittitur, in Dominicis et festis II. classis sub una conclusione recitatur, nisi alia commemoratio facienda sit, cui tunc adjungitur.[18])

Vide Cærem. Missæ cap. V. adnot. 21. in medio.

CAPUT VII.

De Missa votiva pro Sponso et Sponsa.

Matrimonii celebratio et Nuptiarum benedictio non ita connexæ sunt, ut ab uno eodemque sacerdote fieri debeant, sed post Nuptias coram parocho celebratas cum ejus consensu etiam ab alio sacerdote benedictio impertiri potest. Inter Missam votivam tamen pro Sponso et Sponsa et benedictionem eorumdem in sacra liturgia talis connexio exsistit, ut una ab altera separari non valeat. Nam Nuptiarum benedictio conferri non potest nisi in Missa,[1]) et Missa votiva pro

[15]) S. R. C. die 24. Apr. 1706. in Civit. Pleb. n. 3743.

[16]) S. R. C. die 12. Sept. 1840. in Mechlin. ad 2. n. 4911.

[17]) S. R. C. die 17. Sept. 1785. in Portugall. ad 3. n. 4421. et die 23. Maji 1835. in Namurcen. ad 7. n. 4746.,

[18]) S. R. C. decr. cit. n. 4911. ad 3. et n. 5274. ad 3—5.

[1]) S. R. C. die 23. Junii 1853. in Limburgen. ad 1. n. 5190.; die 14. Aug. 1858. in Monte Alban. ad 1. n. 5275.; die 26. Mart. 1859. in Imolen. n. 5289.; die 31. Aug. 1867. in Ambianen. ad IV. 3. n. 5382. et die 31. Aug. 1872. in Rupellen. n. 5514. Conf. dec. S. C. Conc. die 13. Julii 1630. ap. Cavalieri tom. 4. cap. 15. decr. 5.

Sponsis econtra celebrari nequit, nisi in eadem fiat benedictio sponsorum, etiam diebus, quibus Missæ votivæ privatæ permittuntur. Quod patet ex rubrica tam Missalis, quæ sonat: „Si benedictio nuptiarum facienda sit . . . dicitur Missa votiva," quam Ritualis Romani,[2]) quod præscribit: „Si benedicendæ sint nuptiæ, parochus Missam pro sponso et sponsa ut in Missali celebret;" porro ex decisione S. R. C.,[3]) in qua dicitur: „Missa in nuptiis semper debet esse votiva pro sponso et sponsa ut in Missali, præterquam in festis de præcepto et dup. I. et II. classis."

2. Missa votiva pro Sponso et Sponsa *prohibetur:*

a) Toto tempore clauso i. e. a Dominica I. Adventus usque ad diem Epiphaniæ inclusive, et a feria IV. Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusive.[4]) Neque temporibus vetitis solemnitates nuptiarum permitti queunt, eo quod habeantur non in ecclesia parochiali seu in alia ecclesia publica, ubi magna est populi frequentia, sed in aliquo sacello, quod ad instar Oratorii privati considerari possit, et alias illud ecclesiæ parochiali aut publicæ adnexum sit.[5]) Etsi Episcopus tempore vetito facultatem concedere potest, ut matrimonium in facie ecclesiæ contrahatur, *benedictio* tamen sponsorum omnino prohibita est,[6]) ideoque neque Missa votiva pro sponsis licita neque pro eis additur commemoratio in Missa de die, neque preces adjiciuntur post *Pater noster* etc.[7]) Hæc omnia et singula tempore vetito elapso resumi aut suppleri nequeunt.[8])

Si Sponsi tempore clauso Missam exposcant, cele-

---

[2]) Tit. VII. cap. 2. n. 4.

[3]) Decr. cit. n. 5190. ad 1.

[4]) Rituale Rom. tit. VIII. cap. 1. n. 18.

[5]) S. R. C. die 25. Sept. 1875. in Mexican. ad 3. n. 5640.

[6]) S. R. C. decr. cit. n. 5275. ad 3. et 4.

[7]) S. R. C. decr. cit. n. 5190. ad 3.

[8]) S. R. C. die 31. Aug. 1839. in Mont. Pesulan. n. 4868. et decr. cit. n. 5275. ad 3. et die 7. Aug. 1875. in Clodien. ad 11. n. 5622.

branda est Missa diei sine benedictione sponsorum et sine commemoratione in Missa pro eis.[9])

b) Si mulier sit vidua et jam in primis nuptiis benedicta fuerit, pariter Missa votiva pro sponsis necnon aliæ Orationes pro ipsis omittendæ sunt.[10]) Si vero mulier in primis nuptiis non fuerit benedicta, quia v. gr. nuptias contraxit sine parocho in locis, in quibus Tridentinum non est promulgatum, vel in hæresi, et post mortem conjugis conversa ad secundas nuptias commigrat, benedicenda et Missa votiva pro sponsis dicenda est.[11]) Nihil tamen refert ad benedictionem impertiendam, an mulier sit virgo necne; si adhuc non sit benedicta, benedictio ei conferenda est.[12])

c) Quando sponsi benedictionem intra Missam recipere nolunt. Admonendi sunt, ut, si nullum impedimentum obstet, benedictionem intra Missam recipiant, sed non cogendi.[13])

Si matrimonium extra Missam celebretur, preces in Missa votiva pro sponsis in Missali Romano contentæ adhiberi non debent,[14]) sed aliæ preces, quæ pro hoc casu in rituali diœcesis proponuntur, recitandæ sunt.

d) In celebrandis matrimoniis *mixtis*. Juxta Instructionem S. Sedis apostolicæ *Etsi Sanctissimus Dominus*. de die 15. Nov. 1858.[15]) hæc matrimonia mixta *extra ecclesiam, absque parochi benedictione alioque ecclesiastico ritu* celebrari debent, et, etiamsi omnes conditiones de hisce nuptiis implentur, tantum tolerari potest mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis

[9]) Conf. Bened. XIV. Instit. 80.

[10]) S. R. C. die 3. Martii 1761. in Aquen. ad 4. n. 4299.

[11]) Cavalieri tom. IV. cap. 15. n. 2.

[12]) S. C. Conc. die 2. Oct. 1593. ap. Caval. l. c. n. 1. et 5.

[13]) S. R. C. die 1. Sept. 1838. in Eystetten. ad 2. n. 4840.

[14]) S. R. C. die 23. Junii 1853. in Limburgen. ad 2. n. 5190; die 20. Aug. 1870. S. C. de Propag. Fide ad 1. n. 5460. et die 4. Jan. 1877. in Syren. ad 2. n. 5678.

[15]) V. Acta S. Sed. vol. 6. fol. 456.

in diœcesano rituali legitime præscriptum, *exclusa tamen semper Missæ celebratione.*

3. *Permittitur* hæc Missa votiva omnibus diebus per annum etiam in duplicibus majoribus et minoribus; exceptis a) omnibus Dominicis et festis de præcepto; b) in duplicibus I. et II. classis;[16]) c) infra octavam privilegiatam Epiphaniæ et Pentecostes; d) in Vigilia Pentecostes; e) in die octava Corporis Christi; diebus vero infra hanc octavam in iis tantum ecclesiis, in quibus hæc octava ex privilegio celebratur ad instar octavæ Epiphaniæ; f) aliisque diebus duplicia secundæ classis excludentibus.[17])

Quamvis die Commemorationis omnium fidelium defunctorum (2. Nov.) Missa pro vivis legi nequeat, tamen pro Sponsis in nuptiarum benedictione Missa votiva dici potest.[18]) In Missa de Requie benedictio nuptiarum non est licita, sed potius transferenda benedictio in aliam diem.[19])

Diebus, quibus Missa votiva pro Sponsis non permittitur, celebranda est Missa diei cum commemoratione Missæ pro sponso et sponsa. Hæc commemoratio semper sub conclusione distincta dicenda est etiam in festis duplicibus I. et II. classis; si plures Orationes dicendæ sint, additur ultimæ Orationi a Rubricis præscriptæ.[20])

Quomodo autem hæc commemoratio in Vigilia et in festo Pentecostes cum duobus sequentibus diebus facienda sit, non conveniunt auctores, cum dies dicti al-

---

[16]) S. R. C. die 20. Dec. 1783. decr. gener. n. 4415. et Rubr. Missal. ante hanc Missam.

[17]) S. R. C. die 20. Apr. 1822. in Derthonen. ad 5. n. 4587. et Gardell. in nota ad hoc decr. et in Instr. Clement. §. 12. n. 8. et 11.

[18]) S. R. C. die 7. Sept. 1850. in Veronen. ad 4. Hoc decretum, quamvis non sit promulgatum, est authenticum et hujus tenoris: „An in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum legi possit Missa pro vivis ex. gr. pro sponsis, infirmis?“ Et S. R. C. respondit: „Affirmative pro sponsis, in reliquis negative.“

[19]) S. C. Inquis. die 1. Sept. 1841.

[20]) S. R. C. die 20. Apr. 1822. in Derthonen. ad 6—8. n. 4587.

teram commemorationem non admittant. Alii dicunt[21]) hanc commemorationem esse omittendam, alii[22]) vero, esse faciendam sub unica conclusione. Nobis magis placet sententia eorum, qui hanc commemorationem sub unica conclusione faciendam volunt, quia nullibi præscribitur, ut istis diebus commemoratio pro sponsis omittatur, econtra Missale diebus duplicibus I. classis eam fieri expresse jubet. Et quamvis isti dies unicam tantum Orationem in Missa admittant, nihil obstat, quin commemoratio pro sponsis sub unica conclusione cum Oratione diei fieri possit, cum decretum de die 20. Apr. 1822. ad hunc specialem casum non respiciat. Si autem commemoratio pro sponsis his diebus omittenda esset, forent etiam omittendæ reliquæ preces post *Pater noster*, quæ cum Missa pro sponsis inseparabiliter connexæ videntur; ergo benedictio sponsorum his diebus fieri non posset, quod nullibi præscribitur.

4. Missa pro Sponso et Sponsa est votiva privata, cum sit pro privato nubentium bono, proindeque semper celebranda est uti alia quævis Missa votiva privata, etiamsi celebretur in cantu et solemni apparatu.[23]) in colore *albo, sine* Gloria, *sine* Credo, cum saltem tribus Orationibus, et reliquis commemorationibus, si in Missa diei faciendæ occurrant.[24]) Prima ergo Oratio erit hujus Missæ votivæ propria, secunda officii diei, et tertia, quæ secundo loco in Missa diei notatur ex. gr. commemoratio simplicis, diei infra octavam, feriæ, vigiliæ. Si autem juxta Kalendarium unica sit dicenda Oratio, sicut plurimum contingit in festis duplicibus, tunc Oratio tertia erit, quæ secunda de more ponitur in semiduplicibus pro varietate temporis. Numquam vero tertio loco dici potest Oratio imperata, quæ quarto loco in

---

[21]) Vide De Herdt. tom. III. n. 281.

[22]) Carpo in Biblioth. liturg. p. I. art. 16. n. 40.

[23]) S. R. C. die 31. Aug. 1839. in Eystetten. n. 4869.

[24]) S. R. C. die 18. Febr. 1818. decr. gen. n. 4544. et 28. Julii 1832. in Civit. Castell. ad 4. n. 4691.

casu dicenda erit. Quoad Præfationem in hac Missa votiva *Gardellini* non satis clare se explicat in nota ad decr. gen. diei 18. Febr. 1818. dicens: „Præfatio (sumitur) vel de Missa diei, si habeatur propria, sin minus, communis." Nam in Missis votivis nunquam dicitur Præfatio festi occurrentis, in quo celebratur Missa votiva, vel de quo fit commemoratio, uti cap. IV. n. 6. notatum est. Melius ergo dicendum est: *Semper dicitur Præfatio communis, nisi propria alicujus octavæ vel de tempore in Kalendario assignetur.* In fine dicitur *Benedicamus Domino* et ultimum Evangelium S. Joannis *In principio.*[25])

Si hæc Missa votiva celebretur in aliquo festo B. M. V. et eodem tempore tertia Oratio *A cunctis* dicenda sit, in hac Oratione omittuntur verba: *beata et gloriosa semper Virgine Dei genitrice Maria*, et solum dicitur: *intercedente beato Joseph, cum beatis* etc.

5. Non licet Missam pro sponsis et benedictionem ad diem proxime sequentem vel in aliam multo remotiorem differre, si conjuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo cohabitent:[26]) si vero antea non cohabitaverint in eadem domo, hæc solemnis benedictio dari potest.[27])

6. Missa votiva pro sponso et sponsa dici et in ea benedictio nuptialis fieri potest, etiam in casu, quo sponsi infra hanc Missam sacram Communionem non percepturi sint; curent tamen parochi et animarum rectores, adhortari fideles nupturos, ut in Missa, in qua benedictiones nuptiales impertiuntur, communicent.[28])

7. Sacerdos non tenetur Missam applicare pro sponsis, nisi stipendium accipiat. Quamvis vero eleemosynam pro Missa non accipiat, diebus tamen, quibus

---

[25]) S. R. C. decr. gen. cit. n. 4544. Conf. Guyet. lib. IV. cap. 21. qu. 14. et 15.

[26]) S. R. C. die 14. Aug. 1858. in Monte Alban. ad 2. n. 5275.

[27]) S. R. C. die 25. Sept. 1875. in una Mexican. ad 4. n. 5640.

[28]) S. R. C. die 21. Martii 1874. in Lavantin. n. 5582.

Missa votiva pro sponsis permittitur, hanc votivam celebrare debet, quia benedictio nuptiarum tantum infra Missam pro Sponsis conferri potest, uti ex Rubrica Missalis et Ritualis ac decisionibus S. Rit. et Conc. Congr. supra n. 1. cit. patet.

8. In eadem Missa plures sponsi benedici possunt;[29]) preces tamen non dicuntur in plurali, sed recitantur, prout in Missali ponuntur.

9. Quoad ritum benedictionis in Missa pro sponsis observandum sequentia breviter notamus: a) Missa peragitur usque ad *Pater noster*. Responso a ministro *Sed libera nos a malo* sacerdos submissa voce respondet *Amen*, genuflectit et convertit se versus cornu Epistolæ, ne tergum vertat Sacramento, ubi conversus ad sponsos ante altare genuflexos junctis manibus dicit super eos Orationem: *Oremus. Propitiare.* et alteram: *Oremus. Deus, qui potestate.*, ministro prope sinistram ejus Missale sustinente. Dum in fine Orationum dicit *Jesum Christum*, versus Sacramentum caput inclinat. b) Quibus completis, sponsi ad locum suum redibunt, et sacerdos convertit se ad medium altaris, genuflectit et dicit *Libera nos* et reliqua more solito. c) Si adsit consuetudo, pax cum instrumento suo loco dari potest, numquam vero cum patena.[30]) d) Sacerdos postquam sumpserit Sanguinem, communicet sponsos et prosequatur Missam. e) Dicto *Benedicamus Domino*, vel si Missæ illius diei conveniat, *Ite Missa est*, sacerdos, antequam dicat *Placeat* conversus ad sponsum et sponsam dicit Orationem: *Deus Abraham. (sine* Oremus), ministro librum tenente. *Gavantus*[31]) et *Cavalieri*[32]) putant hanc Orationem dicendam esse eodem modo in cornu Epistolæ, quo aliæ ante *Pater noster;* sed Rubrica

[29]) S. C. Inqu. die 1. Sept. 1841.

[30]) S. R. C. die 10. Jan. 1852. in Cenoman. ad 8. Conf. *Gavant.* p. IV. tit. 17. n. 23. et *Caval.* tom. IV. cap. 15. n. 9.

[31]) l. c.

[32]) l. c. n. 11.

Missalis nihil habet de hac positione; *Martinucci*[33]) similiter nihil dicit de procedendo ad cornu Epistolæ, sed solum scribit: *stabit conversus ad populum*, et non immerito; nam in prioribus Orationibus recedit sacerdos ad cornu Epistolæ propter reverentiam erga Ss. Sacramentum in altari jacens, ne tergum eidem vertat, in recitanda vero hac Oratione eadem ratio non adest, ideoque ad populum more solito se vertere potest. f) Oratione finita moneat sponsos sacerdos sermone gravi, ut sibi invicem servent fidem: Orationis tempore, et præsertim jejuniorum ac solemnitatum casti maneant: et vir uxorem atque uxor virum diligat: et in timore Dei permaneant. g) Postea eos adspergat aqua benedicta cum adspergillo in modum crucis nihil interim dicens.[34]) Deinde tradit adspersorium ministro, revertitur ad altare, dicit *Placeat*, dat benedictionem more solito et legit Evangelium S. Joannis, vel aliud prout Missa exigat.

CAPUT VIII.

De Missa votiva B. Mariæ V. a sacerdote cæcutiente celebranda.

Sacerdos cæcutiens seu tali visivæ potentiæ debilitate laborans, ut legere non possit, a Summo Pontifice seu S. C. Concilii, nisi Episcopus apostolica facultate fuerit munitus, dispensationem seu privilegium obtinere potest a) Missam votivam B. M. V. singulis diebus festis et duplicibus b) diebus vero ferialibus Missam defunctorum celebrandi.

2. Conditiones in hujusmodi privilegio appositæ *non sunt meræ ritualitatis et styli, sed obligatoriæ in conscientia.*[1]) Si ergo a) in privilegio dicatur: *Dummodo orator non sit omnino cæcus* et interea plane cæcus

---

[33]) *Man. Cærem.* tom. IV. cap. 12. n. 12.

[34]) *Caval.* l. c. n. 11.

[1]) S. R. C. die 16. Mart. 1805. in Oriolen. ad 4. n. 4498.

evadat, tunc a celebrando abstinere debet, donec novum indultum impetraverit; quo obtento sub gravi tenetur assistentia alterius sacerdotis uti, quamvis hæc obligatio in indulto non expresse fuerit apposita.[2]) b) Si dicatur: *cum alio assistente sacerdote,* debet talem omnino adhibere.[3]) Sacerdos assistens, superpelliceo indutus, in hac Missa omnia facere potest, quæ aliter in Missa solemni per diaconum fieri solent v. gr. pedem calicis ad crucisignationes tenere, initia Orationum dicere, præsertim diligenter attendere, ne particulæ S. Hostiæ in patena et corporali relinquantur etc.

3. Cæcutiens dispensatus ergo potest singulis diebus festis et duplicibus Missam votivam B. M. V. celebrare. Hoc valet pro festis solemnioribus duplicibus I. et II. classis et diebus privilegiatis ex. gr. Nativitate Domini, Pentecoste, Dominica Palmarum;[4]) porro pro omnibus festis B. M. V., ita ut etiam in his cæcutiens non ad Missam festi teneatur.[5])

4. Hæc Missa est celebranda in colore albo, sine *Gloria* [in Sabbato autem et infra octavas B. M. V. dicendum est *Gloria*][6]) et sine *Credo,* etiam in Dominicis et festis solemnioribus.[7]) Secunda Oratio in hac votiva est semper de Spiritu sancto, et tertia *Ecclesiæ* vel pro Papa, neque addenda est alia commemoratio, neque Collecta ab Ordinario præscripta.[8]) In fine semper dicitur *Benedicamus Domino,* nisi recitatum sit *Gloria.*

---

[2]) S. R. C. decr. cit. n. 4498. ad 3., die 20. Sept. 1806. in Corduben. ad 5. n. 4501. et die 12. Apr. 1823. in Panormitan. ad XI. n. 4594.

[3]) S. R. C. decr. cit. n. 4594. ad XI. 2.

[4]) S. R. C. decr. cit. n. 4501. ad 5. et 28. Apr. 1866. in Nolana ad 1. n. 5364.

[5]) S. R. C. die 11. Sept. 1847. in Angelopolit. ad 8. n. 5102.

[6]) S. R. C. die 23. Febr. 1839. Congr. Oblat. B. M. V. ad 1. n. 4847. et die 15. Apr. 1880. in Ratisbon. ad 3.

[7]) Decr. cit. n. 5364. ad 2. et 3.

[8]) S. R. C. decr. cit. n. 5364. ad 4. et 5.

5. Per hanc „Missam votivam B. M. V.“ intelligitur illa, quæ in Missali assignatur a Pentecoste usque ad Adventum, vel assignata secundum tempus. [9])

6. Die Nativitatis Domini cæcutienti non licet celebrare tres Missas votivas de B. M. V. [10]) Potest tamen in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, ubi adest indultum, uti in Hispania, tres Missas celebrare, ut in quotidianis. [11])

7. Si dispensatus privilegium sit assecutus Missam votivam de S. Cruce celebrandi diebus solemnibus, quibus ecclesia, ubi celebrat, utitur colore rubro, in hac Missa secundam Orationem de B. M. V. et tertiam *Ecclesiæ* vel pro Papa recitare debet. [12])

8. Per *dies feriales* intelligi debent tantum illi dies, quibus Missas privatas pro defunctis celebrari licet, non autem octavæ et vigiliæ privilegiatæ et feriæ majores, quæ prohibent Missas privatas defunctorum; his feriis a cæcutiente Missa votiva B. M. V. [13]) dicenda est.

9. Missa de Requie, quam privilegiatus celebrare potest, est quotidiana cum Orationibus in Missali assignatis.

10. Episcopus cæcutiens dispensatus, ut Missam votivam B. M. V. quotidie celebrare valeat, hoc privilegio etiam diebus illis uti potest, quibus sacros Ordines confert, *quatenus* ex concessione apostolica poterit habere sacras ordinationes extra tempora. [14])

---

[9]) S. R. C. die 12. Apr. 1823. in Panormit. ad XI. n. 4594.

[10]) S. R. C. die 14. Apr. 1840. in Barchinonen. ad 4. n. 4878. et 28. Apr. 1866. in Nolana ad 6. n. 5364.

[11]) S. R. C. die 20. Sept. 1806. in Corduben. ad 5. n. 4501.

[12]) S. R. C. die 11. Aug. 1860. in Granaten. ad 8.

[13]) S. R. C. decr. cit. 20. n. 4501. ad 5.

[14]) S. R. C. die 9. Febr. 1867. in Dianen. n. 5374.

APPENDIX QUARTA.

DE MISSIS DEFUNCTORUM.

CAPUT I.

De Missis pro Defunctis in genere.

In fine Missalis quatuor Missæ pro Defunctis assignantur, quarum una ab alia non differt nisi in Orationibus, Epistola et Evangelio; imo differentia in Epistola et Evangelio de præcepto servanda non videtur, quia Rubrica specialis in fine quartæ Missæ dicit: *Epistolæ et Evangelia superius posita in una Missa pro Defunctis, dici possunt etiam in alia Missa similiter pro Defunctis.* In qua Rubrica explicanda Auctores non conveniunt. Cavalieri[1]) enim putat, demptis orationibus sacerdoti liberum esse, quamcumque Missam pro quocumque et in qualibet circumstantia dicere. Guyetus[2]) vero asserit, illud *dici possunt*, non intelligi pro nutu sacerdotis, sed juxta quod Missale ipsum in sequentibus declaret aut alias ex pari ratione opportunum judicetur. „Declarat enim," ait Auctor laudatus, „in die depositionis et anniversario Summi Pontificis dicendam primam Missam, cujus est Epistola *Ecce mysterium* et Evangelium *Amen, amen dico vobis.* Itidemque pro defuncto Episcopo. Pari ratione judicat Gavantus p. IV. tit. 18. n. 8., eamdem primam Missam dici debere pro Cardinali etiam Diacono defuncto. *Sunt quippe*, ait, *Cardinales Episcopis majores.*" Hanc explicationem nimis violentam Cavalieri arguit, et con-

---

[1]) Tom. III. cap. 10. n. 16.

[2]) Lib. 4. cap. 23. qu. 27.

cedit, ut sacerdos etiam in die depositionis et anniversario Summi Pontificis Epistolam et Evangelium ad libitum sumere possit; „dum enim," inquit, „in casu hujusmodi per particularem Rubricam determinate assignatur prima Missa, id accipiendum est cum subordinatione ad Rubricam alteram, quæ ut supra libertatem facit." Quidquid autem Cavalieri asseveret, juxta decreta S. R. C. dicendum est: *Sacerdos in Missis Defunctorum Epistolam et Evangelium ad libitum eligere potest, excepta die depositionis et anniversarii Summi Pontificis et Episcoporum.* Quamvis enim Rubrica supra citata sacerdotem non impediat, ut Epistolam et Evangelium ad arbitrium legat, Rubrica tamen ipsa immediate sequens præcedentem restringit: „In die depositionis et anniversario Summi Pontificis *dicitur* prima Missa ... Pro defuncto Episcopo *dicitur* prima Missa ..." Quod patet ex decreto S. R. C. die 31. Junii 1817. in una Dubior. ad 13. 3⁰. n. 4536., in quo ad quæstionem: „An dicta Missa (sc. tertia in ordine) et Oratio *(Deus indulgentiarum)* legi possit (in anniversario Summi Pontificis)?" responsum fuit: „Negative, et in casu dicendam primam Missam cum Oratione: *Deus, qui inter summos Sacerdotes* etc." Ad hanc decisionem notat Gardellini, auctoritate Gavanti et Merati pro hac re allata: „Quid tamen interest ad Scriptorum auctoritatem confugere, dum clara est, nec indiget interpretatione rubricarum regula? In illa, quæ præmittitur Orationibus diversis pro defunctis, ita legitur: *In die depositionis et anniversario Summi Pontificis dicitur prima Missa, præter Orationes, quæ dicuntur ut infra:* Deus, qui inter summos Sacerdotes etc. Cum igitur per hanc Rubricam regula servanda tradatur cum in exsequiis tum in anniversario Summi Pontificis, eadem tenenda est, neque licet pro arbitrio præscriptæ aliam sufficere Missam, ac diversas Orationes recitare." Porro in una Olomucen. die 5. Martii 1870. ad 5. n. 5445. quæsitum est, utrum aliquæ Missæ solemnes fundatæ quotannis celebrandæ

pro benefactoribus, pro Archiepiscopis, pro fundatoribus etc. celebrari debeant ut in anniversario defunctorum, an potius ut in Missis quotidianis? Et S. R. C. respondit: „Ad primam partem affirmative, *excepta Missa pro Episcopis defunctis, quæ celebrari debet, ut in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum:* ad secundam negative."

Quod dictum est de depositione et anniversario Summi Pontificis et Episcoporum, valet etiam pro die tertia, septima et trigesima eorumdem Defunctorum. Aliis diebus tamen sacerdos, quamvis pro iisdem celebret, Epistolam et Evangelium pro libitu eligere potest.[3]) Ceterum decet, Epistolas et Evangelia dici in diebus et circumstantiis prout in Missali sunt distributa, non dempta tamen celebranti libertate assumendi, utram Epistolam, et utrum Evangelium velit.[4])

2. Quamlibet ex quatuor Missis Defunctorum cum respectiva Epistola et Evangelio diebus infra assignandis dicendam esse, titulus ipse abertim evincit.

Prima ergo celebratur a) in die commemorationis omnium fidelium defunctorum; porro b) in die obitus seu depositionis et in die, nuntio accepto de die obitus, necnon in die tertia, septima et anniversaria Summi Pontificis, Cardinalium etiam Diaconorum[5]) atque Episcoporum, adhibeantur tamen orationes cuique propriæ, quæ post Missas Defunctorum in Missali reperiuntur; c) pro sacerdotibus defunctis diebus præfatis dici potest prima vel secunda Missa, dummodo Oratio *Deus qui inter apostolicos sacerdotes* omnino adhibeatur.[6]) d) Nonnulli Auctores[7]) primam Missam attribuunt Prælatis Re-

[3]) Cavalieri l. c. n. 14.

[4]) Cavalieri l. c. n. 17.

[5]) Gavant. p. IV. tit. 18. n. 6., Merat. ib. n. 2 Quarti p. I. tit. 5. dub. 1. n. 12. Guyetus l. c. q. 27. Tonellius lib. II. tit. 13. n. 5.

[6]) S. R. C. die 29 Jan. 1752. Ord. Carmelit. Exalc. ad 14. n. 4223. et die 23. Sept. 1837. in Mutinen. ad 11. 3°. n. 4822.

[7]) Guyetus l. c., Merat. l. c. n. 3., Quarti l. c.

gularibus, Imperatoribus, Regibus, Principibus et Magnatibus, quod a Cavalieri[8]) rejicitur.

Secunda dicitur in die obitus seu depositionis sacerdotum, ut supra jam notatum est, clericorum sacerdotibus inferiorum et laicorum, atque in die tertia, septima et trigesima eorumdem, cum Orationibus in fine hujus Missæ assignatis.

Tertia celebratur in anniversario clericorum sacerdotibus inferiorum ac laicorum.

Quarta in Missis quotidianis seu in omnibus aliis Missis, quæ dicuntur extra præfatos dies et circumstantias. Itaque a) prima die cujusque mensis et feria secunda cujuslibet hebdomadæ, quando officium fit de feria et juxta Rubricam[9]) Missa principalis pro defunctis celebratur; b) quando extra diem obitus seu depositionis, tertiam, septimam, trigesimam et anniversariam pro quocumque defuncto, etiam pro Summo Pontifice, Cardinali, Episcopo etc. Missa de Requie dicitur;[10]) c) quando infra annum pro omnibus fidelibus defunctis in paramentis nigris Missa legitur.[11])

3. Circa *Orationes* et *Sequentiam* in Missis de Requie lectorem remittamus ad adnotationem in fine capitis XIV. Cærem. Miss. et claritatis causa sequentia addamus.

a) In Missis quotidianis pro defunctis Oratio prima semper debet esse *Deus qui inter apostolicos*, in hac Missa primo loco assignata, etiamsi pro uno Episcopo vel Sacerdote defuncto celebretur, et alia: *Deus qui inter apostolicos* pro Episcopo seu sacerdote ex diversis Orationibus dici nequit, quamvis in verbis fere eadem sit, et tantum numero singulari differat.

Nam sancta Ecclesia vult, ut sicut in tertia Oratione hujus Missæ omnes fideles defuncti generatim

---

[8]) l. c. n. 15.
[9]) P. I. tit. 5. n. 1. et 2.
[10]) Cavalieri tom. III. cap. 10. n. 14.
[11]) Meratus p. I. tit. 5. n. 12.

commemorentur, ita in prima Oratione eorum pastorum et ministrorum, scil. episcoporum et sacerdotum generalis commemoratio fiat. Præterea id ex decreto ipso supra cit. n. 5355. elucet, in quo quæsitum est: „Debetne (sacerdos) *indiscriminatim* dicere primam Orationem *Deus, qui inter apostolicos* etc. primo loco in Missali assignatam: an potius loco dictæ primæ Orationis tenetur *aliam* dicere *ex diversis* in eodem Missali positis, quæ conveniat ei, aut iis determinatis personis, pro quibus Missam applicet?" Et S. R. C. respondit: „Affirmative ad primam partem: Negative ad secundam."

Si quis autem loco secundæ Orationis pro Episcopo vel Sacerdote commemorationem facere velit, quod interdum licet, sumenda erit Oratio pro Episcopo: *Da nobis,* pro Sacerdote: *Præsta* (inter diversas 3. et 4.), non vero *Deus qui inter apostolicos.*

b) Cavalieri[12]) cum aliis auctoribus putat, secundam Orationem in Missa quotidiana *Deus veniæ largitor* ad libitum Sacerdotis commutari posse: sed errat; nam juxta decreta S. R. C.[13]) loco hujus secundæ Orationis alia ex diversis tantum **aliquando** ponenda est. Hoc clarius patet ex decisione ejusdem S. R. C. nuper publicata in una Visen. die 10. Decembr. 1870. n. 5464., ubi quæstiones sequentes propositæ sunt: „I. Utrum in prædictis Missis (quotidianis pro defunctis) secunda Oratio semper mutari possit arbitrio celebrantis? II. An citata decreta 1741. et 1854. taxative loquantur, ita ut subrogatio secundæ Orationis locum habere possit tantum quoad Orationem pro patre et matre et non aliam; et hinc quibus in casibus determinatis hæc subrogatio locum habere possit?" Et S. R. C. respondendum censuit: „Stetur decretis jam datis." Est ergo concluden-

---

[12]) Tom. III. cap. 9. decr. 7. n. 10.

[13]) Die 2. Sept. 1741. in Aquen. ad 4. n. 4119.; die 27. Aug. 1836. in Veronen. ad 7. n. 4782., die 22. Sept. 1837. in Mutinen. ad 11. qu. 1. n. 4815., die 12. Aug. 1854. in Briocen. ad 10. n. 5208., in quibus decretis constanter dicitur, 2. Orationem *aliquando* commutari posse.

dum: *regulariter* secundam Orationem *Deus veniæ largitor* in Missa quotidiana sumendam esse, *aliquando* vero aliam ex diversis subrogari posse, quæ non semper pro patre et matre esse debeat, quia in dec. Aquensi n. 4119. hæc Oratio exempli gratia proponatur.

4. „*In altari, ubi* publice *exponitur Sanctissimum Sacramentum* sive in Pyxide sive in Ostensorio, Missæ *de Requie* tempore, quo expositio perdurat, omnino prohibentur.“ [14])

Et non solum in altari expositionis Missæ defunctorum prohibentur, sed etiam *in omnibus ecclesiæ altaribus,* quando Ss. Sacramentum expositum est *ob publicam causam.* „Dedecet enim,“ ait Gardellini, [15]) „quod cum lugubri apparatu celebrentur defunctorum Missæ, ubi Sacramentum est triumphaliter expositum, præsertim, quia in his haud adjici potest commemoratio Sacramenti, quam in Missis privatis omnibus, si per Rubricas liceat, eadem Instructio demandat.“ Et quamvis S. R. C. per decreta diei 12. Decembr. 1684. in una Canonic. Regular. Lateran. ad 5. n. 3073. et diei 27. Apr. 1697. in Eugubina n. 3422. alio in sensu decidisse videatur, cum in his decretis dicatur: *congruentius* abstinendum nec *regulariter* celebrari Missas de Requie, advertendum est, ea prodiisse decreta, multo antequam Instructio Clementina emanaret, quæ vetustiora decreta corrigit, revocat atque abrogat.“ [16])

Quando autem Ss. Sacramentum expositum est *ex causa privata* in Pyxide, in aliis altaribus et capellis (excepto expositionis altari) Missæ de Requie celebrari possunt. Cum enim in una Warsaviensi, [17]) dubium propositum esset: „Item in dicta Capella Crucifixi durante

---

[14]) S. R. C. die 14. Junii 1873. in Agrigentina ad 2. n. 5551. et die 16. Sept. 1801. in Romana ad 3. n. 4477.

[15]) Instr. Clement. §. 17. n. 1.

[16]) Gardell. l. c. n. 2—4., vide decr. S. R. C. die 19. Decembr. 1829. in Cathanien. n. 4650. et adnotationem ibi subjectam.

[17]) Die 7. Maji 1746. n. 4181. ad 9.

expositione Ss. Sacramenti in Pyxide, an, permittente Rubrica, possint in ecclesia vel aliis capellis celebrari Missæ de Requie?" S. R. C. respondit: „Missæ de Requie extra altare, ubi est expositum Ss. Sacramentum, poterunt celebrari, dummodo tamen oratio coram Sacramento non sit ex publica causa." „Hocce decreto," ait Gardellini,[18]) „S. R. C. regulam de non celebrandis Missis de Requie extendit nedum ad expositionem XL Horarum, sed ad omnes expositiones, quæ fiunt ex gravi causa et publico Ecclesiæ bono, vel fiant in Ostensorio sub umbella, vel in Pyxide velata."

Si autem Ss. Sacramentum expositum sit in *Ostensorio* in Throno, in omnibus ecclesiæ altaribus Missæ de Requie prohibentur, quia hæc expositio semper habet aliquam solemnitatem, ut ipse expositionis modus demonstrat, cui etiam sæpe conjungitur publica causa, et mandatum seu saltem licentia episcopi.

5. Quamvis vero Missæ defunctorum coram exposito Ss. Sacramento prohibeantur, toleranda est tamen consuetudo, si adsit, in Ss. Sacramenti expositione dicendi Psalmum *De profundis* sive *Miserere* et in fine *Requiem æternam, A porta inferi* etc.[19])

6. Si tempore expositionis Ss. Sacramenti pro Oratione XL Horarum occurrant exsequiæ faciendæ super cadaver, quod amandari nequeat inhumatum, usque dum perficiatur prædicta Oratio, in hoc casu juxta Instructionem Clementinam iis diebus abstinendum est a celebrandis Missis defunctorum sive solemnibus sive lectis, ac Missa solemnis pro defuncto cani poterit die tertio, septimo, trigesimo ac anniversario a die obitus vel depositionis defuncti.[20])

7. Missæ de Requie celebrandæ sunt omnino in *paramentis nigris,* adeo ut *violacea* adhiberi nequeant,

---

[18]) l. c. n. 4.

[19]) S. R. C. die 16. Dec. 1828. in Volaterrana ad 5. n. 4645.

[20]) S. R. C. die 19. Junii 1875. in Florentina n. 5613.

nisi in casu quo die 2. Novembris Ss. Eucharistiæ Sacramentum publicæ fidelium adorationi sit expositum pro solemni Oratione XL Horarum, prout cautum est in decreto Sacr. Rituum Congregationis diei 16. Sept. 1801.[21])

CAPUT II.

De Missa in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum celebranda.

In die Commemorationis omnium fidelium defunctorum omnes Missæ dicuntur pro defunctis, exceptis ecclesiis cathedralibus et collegiatis aliisque ecclesiis choro obstrictis, in quibus binæ Missæ conventuales celebrandæ sunt, una de die infra octavam Omnium Sanctorum post Tertiam, altera de Requie post Nonam. Quod valet etiam, si festum duplex minus occurrat[1]) vel translatum ritus duplicis minoris, dummodo usque ad anni finem nulla dies vacua supersit pro ejus aliorumque duplicium repositione.[2])

Quando autem Commemoratio omnium fidelium defunctorum cadit in Dominicam, transfertur in sequentem feriam secundam, et quando eo die iterum occurrit festum duplex vel translatum ritus duplicis, faciendum est officium de Sancto, Missæ vero celebrandæ sunt de Requie.[3]) Sin in hoc casu festum cum magno concursu populi celebretur, cantare licet unam Missam de festo, alteram de Requie.[4])

2. Si in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum occurrat quoque dies obitus seu depositionis

---

[21]) S. R. C. in una Romana ad 1. et 2. n. 4477. et decr. gener. die 27. Junii 1868. n. 5403.

[1]) S. R. C. die 22. Martii 1817. Ord. Milit. Equit. Christi in Lusit. ad 5. n. 4530. De Missa votiva pro Sponsis conf. App. III. cap. 7. n. 3. et adnot. 18.

[2]) S. R. C. die 31. Maji 1817. in una Dubior. ad 10. n. 4536. et adnot. subject.; die 10. Febr. 1856. in Alben. ad 1. n. 5223

[3]) S. R. C. die 19. Junii 1700. in Curien. ad 5. n. 3565. et Rubr. ib.

[4]) S. R. C. die 7. Sept. 1850. in Mechlinien. ad 2. n. 5151.

alicujus defuncti, unica Missa de die obitus dicenda est, præsente tamen corpore,[5]) vel si hoc ob præscriptiones civiles vetitum est, insepulto saltem corpore. Missæ reliquæ etiam in hoc casu de Commemoratione omnium fidelium defunctorum celebrandæ sunt.

3. Quamquam Missæ de Commemoratione omnium fidelium defunctorum celebrandæ sunt, nihilominus applicari possunt pro uno, vel pro pluribus vel pro omnibus defunctis secundum intentionem et obligationem.[6]) Missa porro cujuscumque sacerdotis hac die gaudet eodem privilegio, ac si esset in altari privilegiato celebrata, sacerdoti tamen nonnisi consuetam eleemosynam pro dicta Missa, quamvis privilegiata, accipere licet.[7])

4. Sine indulto apostolico illicitum est, ut hac die ab uno sacerdote tres Missæ celebrentur, non obstante quacumque consuetudine.[8]) Tale privilegium habetur dumtaxat pro regnis Hispaniarum et Portugalliæ, ubi tamen non licet eleemosynam accipere, nisi pro una tantum Missa.[9]) In hoc casu autem prima Missa dicitur ut in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, secunda ut in Anniversario, in orationibus tamen omissis verbis: *quorum anniversarium . . . commemoramus* vel *quorum hodie annua dies agitur*, tertia ut in Missis quotidianis cum Oratione: *Deus veniæ largitor.*

5. Octavæ pro defunctis, præsertim infra octavam Omnium Sanctorum sine speciali privilegio S. Sedis non permittuntur;[10]) ideoque Missæ pro defunctis, quamvis solemnes, per hoc octiduum celebrari non possunt, sed

---

[5]) S. R. C. die 14. Apr. 1646. in Ulysbonen. ad 4. n. 1554. et die 20. Sept. 1687. in Tridentina n. 3149.

[6]) S. R. C. die 4. Aug. 1663. in Dalmat. ad 9. n. 2241. et die 2. Sept. 1741. in Aquen. ad 4. n. 4119.

[7]) Clemens XIII. die 19. Maji 1761.

[8]) S. R. C. die 11. Jan. 1676. in Arboren. n. 2762.

[9]) Litt. apost. Bened. XIV. in fine sect. 2. de Sacrif. Missæ.

[10]) S. R. C. die 13. Aug. 1667. in Romana. n. 2421. et die 11. Jan. 1877. in Engolismen. n. 5679.

solum iis diebus, quibus Rubricæ Missas privatas de Requie permittunt.[11]) Cavalieri[12]) tamen censet, eas tantum octavas prohiberi, per quas quotidie, etiam diebus duplicibus et festivis cantetur Missa de Requie, vel per quas in ecclesiis cathedralibus et collegiatis Missa conventualis omittatur, ut cantetur Missa defunctorum, non vero illas, in quibus solum dicatur Missa de Requie diebus per Rubricas permissis, nec Rubricarum aut decretorum violatio interveniat.

CAPUT III.

De Missa in die obitus seu depositionis et in die tertio, septimo et trigesimo dicenda.

A. De Missa in die obitus celebranda.

Rituale Romanum de Exsequiis[1]) jubet: „Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri potest, retineatur, ut Missa, præsente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturæ tradatur.“ Ecclesia ergo vult, ut quantum fieri potest, cadavera non sepeliantur, nisi prius celebrata Missa pro defuncto. Quæ Missa, ut idem Rituale[2]) notat, celebranda est, ut *in die obitus* seu *depositionis,* in Missali Romano secundo loco posita et diversis privilegiis gaudet, prout corpus est a) *præsens,* vel b) *absens sed non* sepultum vel c) *absens et jam sepultum.*

2. Per diem obitus seu depositionis intelligitur totum temporis spatium ab instanti mortis usque ad sepulturam, quod in favorem recens mortui pro uno eodemque die reputatur, quamvis unus vel plures dies intercedant.

---

[11]) S. R. C. die 22. Julii 1848. in Florentin. ad 1. n. 5126.

[12]) Tom. III. cap. 12. decr. 9. n. 4.

[1]) Tit. 6. cap. 1. n. 4. (*Editio Ratisbonensis* a. 1881.) Conf. Catalaun. ac Barruffald. in hunc locum.

[2]) l. c. cap. 3. n. 6.

3. a) Hæc Missa in die obitus seu depositionis *præsente* cadavere celebrari potest omnibus diebus etiam Dominicis et festivis, *dum tamen Missa conventualis et Officia divina non impediantur, magnaque diei celebritas non obstet.*[3])

4. Itaque in ecclesiis parochialibus, in quibus una tantum Missa celebratur, diebus festivis et Dominicis ac festis pro foro abrogatis, quibus parocho onus Missæ pro populo applicandæ incumbit, locum non habet, sed Missa parochialis cantari et Missa exsequialis ad diem proximum non impeditum transferri debet, nisi alius sacerdos ad cantandam Missam de Requie vocari possit.[4])

Item si in parochia, in qua præter parochum nullus sacerdos est, in die S. Marci, in feriis Rogationum et in Vigilia Pentecostes occurrat sepultura, quæ anticipari vel differri nequit, facienda est sepultura sine Missa.[5])

5. Porro prohibetur sequentibus diebus:

α) Feria V., VI. et Sabbato Hebdomadæ majoris.[6])

β) In festis duplicibus I. classis, quæ etiam in foro sunt de præcepto, scilicet: Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis Domini, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis et Immac. Conceptionis B. M. V., Nativitatis S. Joannis, S. Joseph,[7]) Ss. Apostolorum Petri et Pauli, Omnium Sanctorum et Patroni principalis loci seu diœceseos.[8])

γ) Ubi aliquod ex festis supradictis in Dominicam sequentem cum solemnitate ex indulto apostolico trans-

---

[3]) Rit. Rom. l. c. cap. 1. n. 5. et S. R. C. die 26. Jan. 1793. in Santanderien. ad 7. n. 4448.

[4]) S. R. C. die 17. Junii 1843. in Viterbien. ad 1. n. 4968.

[5]) S. R. C. die 3. Julii 1869. in Quebecen. n. 5439.

[6]) S. R. C. die 29. Jan. 1752. in Ord. Carmelit. ad 13. n. 4223.; die 16. April. 1831. in Sarzanen. n. 4668. et die 23. Maji 1835. in Ord. Min. Capucc. ad 7. n. 4748.

[7]) S. R. C. die 7. Febr. 1874. in Veronen. ad 2. n. 5569.

[8]) S. R. C. die 21. Mart. 1744. in Bergomen. ad 3. n. 4153., decr. cit. n. 4223. ad 12.; die 17. Julii 1830. in Fanen. n. 4660.; die 7. Sept. 1816. in Tuden. ad 44. Vide Gardell. Instr. Clement. §. 17. n. 8.

fertur, hæc Missa de Requie præsente cadavere non solum die ipso festivo, sed etiam Dominica sequenti prohibetur. [9])

δ) In festo titularis seu patroni ecclesiæ propriæ, [10]) quamvis hoc festum pro foro non celebretur.

ε) Tempore, quo Ss. Sacramentum expositum est pro Oratione XL Horarum vel ob aliam publicam causam. [11])

Permittitur ergo Missa exsequialis præsente corpore omnibus aliis diebus et quidem:

α) In omnibus festis duplicibus I. classis, quæ non sunt de præcepto, [12]) etiam in anniversario dedicationis ecclesiæ, [13]) et duplicibus II. classis, licet sint de præcepto et celebrentur cum solemnitate. [14])

β) In Dominicis I. classis. [15])

γ) In feriis II. et III. Paschatis et Pentecostes. [16])

δ) In feria II., III. et IV. Hebdomadæ majoris, [17]) in feria IV. Cinerum et in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes.

6. b) Si ob leges municipales aut morbum contagiosum aut aliam gravem causam cadaver in ecclesia efferri nequit, sed adhuc *insepultum* super terram retinetur, Missa de die obitus interdicitur omnibus diebus, quibus præsente corpore prohibetur; porro in duplicibus

---

[9]) S. R. C. die 23. Maji 1835. in Namurcen. ad 14. qu. 6. n. 4746.; die 21. Julii 1855. in Veronen. ad 2. n. 5220. et die 31. Aug. 1872. in Quebecen. n. 5513.

[10]) S. R. C. die 27. Martii 1779. in Ord. Min. ad 4. n. 4393. et die 9. April. 1808. in Compostell. ad 1. n. 4507.

[11]) Vide supra cap. I. n. 4. hujus Append.

[12]) S. R. C. decr. cit. n. 4223. ad 12.; n. 4393. ad 4. et 4507. ad 2.

[13]) S. R. C. die 16. Apr. 1853. in Ord. Min. S. Franc. ad 20. n. 5183. Conf. *Cavalieri* tom. III. cap. 3. decr. 4. n. 5.

[14]) S. R. C. decr. cit. n. 4507. ad 2. et die 4. Sept. 1745. in Aquen. ad 2. n. 4175.

[15]) S. R. C. die 23. Sept. 1837. in Sutrin. ad 2. n. 4822.

[16]) S. R. C. die 2. Sept. 1741. in Aquen. ad 4. n. 4119.

[17]) S. R. C. die 29. Jan. 1752. in Ord. Carmelit. ad 13. n. 4223.

I. classis, licet non festivis,[18]) etiam in feria II. et III. Paschatis et Pentecostes, et feria V., VI. et Sabbato Hebdomadæ majoris.[19]) Permittitur vero in duplicibus II. classis, quamvis festivis de præcepto,[20]) in Dominicis[21]) et feria IV. Cinerum, in Vigiliis Nativitatis Domini, Epiphaniæ et Pentecostes, in feria II., III. et IV. Hebdomadæ sanctæ[22]) et infra octavas privilegiatas, omnibusque diebus supra non exceptis, dummodo corpus sit adhuc insepultum ac loco decenti custodiatur; in ecclesia tamen stemmata apponantur, vel lodicis seu nigri panni signum ab eo diversum, quod in Anniversario adhibetur, ut fideles intelligant, Missam hisce diebus offerri in expiationem animæ illius defuncti, cujus corpus traditum terræ adhuc non fuit, et Ecclesiæ precibus etiam proprias adjungant.[23])

7. c) Si cadaver pridie vespere *jam sepultum* fuerit, Missa exsequialis prohibetur omnibus diebus, quibus Missæ cantatæ de Requie absente corpore interdicuntur,[24]) ac insuper in Dominicis,[25]) in festis II. classis et festis de præcepto servandis.[26]) Permittitur ergo omnibus diebus, exceptis modo dictis, etiam infra hebdomadam sanctam,[27]) excluso tamen triduo sacro, atque infra octavas privilegiatas, in feria IV. Cinerum, in

---

[18]) S. R. C. decr. cit. n. 4119. ad 4. et die 3. Aug. 1839. in Piscien. ad 7. n. 4859.

[19]) S. R. C. decr. cit. supra n. 4223.

[20]) S. R. C. die 25. April. 1781. in Florentin. n. 4402.; die 7. Sept. 1816. in Tuden. ad 43. n. 4526.; decr. cit. n. 4859. ad 7. et 22. Mart. 1862. in u. Palmæ in Balear. ad 1. n. 5320.

[21]) S. R. C. die 23. Maji 1603. in Egitonien. ad 5. n. 197. et die 11. April. 1840. in Taurinen. n. 4888.

[22]) S. R. C. decr. cit. n. 4822. ad 1.

[23]) S. R. C. decr. cit. n. 4402., et n. 5320. ad 1.

[24]) S. R. C. die 18. Dec. 1779. in Ord. Min. S. Franc. ad 9. n. 4395.

[25]) S. R. C. decr. cit. n. 197. et n. 4888.

[26]) S. R. C. die 7. Sept. 1816. in Tuden. ad 43. n. 4526.; die 1. Sept. 1838. in Eysteten. ad 1. n. 4840. et die 24. Jan. 1861. Monaco-Frisingen.

[27]) S. R. C. decr. cit. n. 4822.

Vigiliis Nativitatis Domini, Epiphaniæ [28]) et Pentecostes. Cum enim S. R. C. die 23. Sept. 1837. in Sutrin. ad 1. n. 4822. declaraverit, in feria II. hebdomadæ majoris unicam Missam de die obitus *corpore jam sepulto* celebrari posse, in isto die alios dies non minus privilegiatos quam hebdomadam sanctam includit, quo in casu regula a Gardellini [29]) tradita, statuens, quando Missa aliqua prohibeatur in duplicibus I. et II. classis, eam prohibitam censeri diebus, quibus eadem duplicia non admittantur, adhiberi non potest. [30])

8. Hæc Missa exsequialis cum pari privilegio in diem proxime subsequentem transferri potest, seu in primam diem post sepulturam non impeditam, si ipsa dies sepulturæ sit duplex I. aut II. classis, aut Dominica aut festivitas. Si vero ultra diem primam non impeditam transferatur, privilegio non gaudet, [31]) quo in casu sine indulto apostolico tantum diebus celebrari potest, quibus Missæ privatæ permittuntur, et Missa sumi potest ut in die obitus vel in quotidianis cum Oratione pro uno defuncto *Inclina,* vel una defuncta *Quæsumus,* nisi dies vere tertia vel septima post sepulturam occurrat, quia tunc Missa sumenda est ut in die obitus cum Orationibus in fine hujus Missæ notatis.

9. Advertendum tamen est, in die obitus seu sepulturæ nonnisi unam Missam et in una tantum ecclesia cani posse, [32]) nisi occurrat dies, in qua Missæ privatæ de Requie permittuntur. In ecclesiis tamen regularium alia Missa de Requie pro benefactoribus defunctis, qui

---

[28]) Cum in Vigilia Epiphaniæ Missa de Requie celebrari possit accepto nuntio de morte alicujus defuncti, S. R. C. die 27. Martii 1779. Ord. Minor. ad 3. n. 4393, eo magis Missa exsequialis eadem die cantari valet.

[29]) Instr. Clement. §. 17. n. 8. et adnot. ad decr. 20. April. 1822. in Derthonen. ad 5. n. 4587.

[30]) Vide de Herdt tom. I. n. 56. resp. II. et Falise Liturg. Pract. p. II. sect. 2. cap. 1. §. 6. n. 4.

[31]) S. R. C. die 27. Febr. 1847. in Ruremund. ad 1. n. 5079.

[32]) S. R. C. die 23. Maji 1846. in Tuden. ad 13. n. 5050.

alibi sepeliuntur, cantari potest in die obitus eorum in duplicibus tam minoribus, quam majoribus, sed non festivis seu de præcepto.[33]) Idem fieri potest, quamvis in ecclesia parochiali Missa exsequialis non celebretur. Nam S. R. C. ad hanc quæstionem propositam in una Ord. S. Franc. Convent.:[34]) „An liceat in aliena ecclesia et apud regulares cantare Missam de Requie, quam fideles celebrari petunt pro parentibus vel amicis defunctis, postquam funeralia in ecclesia parochiali persoluta fuerint, etiamsi Missa exsequialis in ecclesia parochiali non celebretur?" respondit: „Affirmative, servatis tamen Rubricarum regulis."

10. Porro Regulares prima die post nuntium acceptum de obitu alicujus confratris in loco dissito, in cunctis Ordinis ecclesiis pro eo Missam cantatam de Requie ut in die obitus seu depositionis celebrare possunt.[35]) Hæc Missa cantata de Requie permittitur omnibus diebus, quibus Anniversaria celebrari queunt,[36]) ergo in duplicibus minoribus et majoribus, necnon in Vigilia Epiphaniæ,[37]) minime vero diebus Dominicis et festivis de præcepto, in duplicibus I. et II. classis, feriis privilegiatis et diebus infra octavas privilegiatas.

Est autem notandum: a) Hanc Missam de Requie cantandam esse die vere prima post nuntium mortis, aut, si dies prima post nuntium sit Dominica etc. die prima sequenti non impedita, nec ulterius differri posse.[38]) b) Primum nuntium non ita intelligendum esse, ut mors confratris uni vel alteri sit nota, sed notitiam ordini vel congregationi per superiorem respectivum publicandam esse.

[33]) S. R. C. die 11. Maji 1754. Ord. Minor. ad 3. n. 4244.

[34]) Die 19. Maji 1879. ad 1. apud Acta S. Sed. tom. XII. fol. 333.

[35]) S. R. C. die 4. Maji 1686. in una Canonic. regul. Lateran. ad 2. n. 3110.; die 11. Maji 1754. Ord. Min. ad 5. n. 4244.: die 27. Mart. 1779. Ord. Min. ad 2. et 3. n. 4393.

[36]) Vide infra cap. 4. n. 4.

[37]) S. R. C. decr. cit. n. 4393. ad 3.

[38]) S. R. C. decr. cit. n. 4393. ad 2.

Quamvis Meratus,[39]) Cavalieri[40]) aliique auctores hoc privilegium Religiosis indultum ad quascumque ecclesias et personas extendant, S. R. C. tamen aliter declaravit. In una nempe Ord. Min. S. Franc.[41]) quæsitum est: „In duplici majori vel minori possuntne pro uno eodemque defuncto in diœcesis ecclesiis celebrari Missæ cantatæ de Requie in die obitus, tertia, septima et trigesima ac anniversaria, uti fit apud regulares in cunctis conventibus ad nuntium mortis alicujus religiosi: quam gratiam auctores communiter, teste Cavalieri, ad quascumque ecclesias et personas extendunt?" Et responsum prodiit: „Absque indulto non licere."

11. In exsequiis pauperum, qui sunt impares solvendo expensas Missæ cantatæ, Missa privata de Requie præsente corpore omnibus diebus legi potest, ubi adest consuetudo, exceptis tamen festis duplicibus I. et II. classis, diebus infra octavas privilegiatas, Dominicis, festis de præcepto faciendis aut duplicia excludentibus,[42]) scilicet feria IV. Cinerum, tota hebdomada majori, Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes.

Si vero nulla eleemosyna pro Missa de Requie in die obitus præsente corpore celebranda persolvatur, attendendum est hoc monitum quod habetur in Rituali Romano de Exsequiis circa initium: Quod antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa seu Missæ præsente corpore defuncti, licet pauperis, pro eo celebrentur, antequam sepulturæ tradatur,[43]) quæ Missa etiam pro quolibet defuncto paupere, quantum fieri poterit, applicanda est.[44])

---

[39]) p. I. tit. 5. n. 11.

[40]) p. III. cap. 3. decr. 6. n. 7.

[41]) S. R. C. die 16. Apr. 1853. Ord. Minor. ad 21. n. 5183.

[42]) S. R. C. die 12. Sept. 1840. in Brugen. ad 1. n. 4897.; die 22. Maji 1841. in Mechlin. ad 6. n. 4921.; die 2. Sept. 1871. in Adrien. ad 3. n. 5491.

[43]) S. R. C. decr. cit. n. 5491. ad 1.

[44]) Ibid. ad 2.

B. De Missa in die tertio, septimo et trigesimo dicenda.

1. Diei obitus succedunt dies tertius, septimus et trigesimus, qui dies institutione antiquissima in defunctorum memoriam ab Ecclesia præ ceteris solemnes habiti sunt, non quod Missa iisdem diebus defunctis magis proficiat quam aliis, sed quia præ reliquis mysticas plurimas rationes habent.[45])

---

[45]) Cavalieri tom. III. cap. 4. n. 1. „Die itaque tertio," scribit hic auctor, „solemnior fieri solet mortuorum recordatio, ut pius Dominus, quidquid peccaverunt cogitatione, verbo et opere erga Deum, proximum et seipsos, misericorditer indulgendo, Ss. Trinitatis similitudinem in eis restaurare dignetur. Sicut autem Christus tertia die resurgens ex mortuis vitam nostram reparavit in melius, ita nos tertia die pro spiritibus mortuorum offerentes, spem futuræ resurrectionis, et securam beatæ perennitatis gloriam profitemur, eumdem Christum exorantes, ut preces nostras acceptando, Defunctorum conditionem in melius reparet, illos educendo a purgatorii carcere ad patriæ gaudia." Et ib. n. 2.: „Septimo quoque die, quo numero universitas designatur, universa eorum peccata delemus, Josephi Ægypti proregis instar, qui Jacob patris sui exsequias celebrans, Genes. 50, 10., implevit dies septem luctus; unde et Eccli. 22, 13. dicitur: *Luctus mortui septem dies.* Septima, item dies Sabbatum, est symbolum futuræ quietis, unde Dominum Sabbati precamur, ut Requiem æternam eis donet, et amodo jam dicat Spiritus, ut requiescant a laboribus suis." „Trigesimum diem," notat Gavanti p. I. tit. 5. litt. d., „commendat S. Ephrem *in suo testamento apud Surium* tom. I., derivaturque ritus a morte Aaron et Moysis, quos flevit populus triginta diebus *Num. 20. Deuter. ult.*, vel quia Dominus baptizatus est annum agens trigesimum, *Alcuin.*, vel quia in hac mensura ætatis Christi resurgemus omnes, *id.*, vel quia hac ætate Adam creatus fuit, secundum communiorem DD. sententiam."

Hac occasione sequentia circa usum per triginta dies continuos celebrandi Missam pro defuncto notare placet. Benedictus XIV. de sacrif. Missæ Lib. III. cap. 23. n. 2. scribit: „Tradit S. Gregorius *lib. 4. cap. 55. Dialogor.*, defuncto quodam monacho, se Pretioso, pariter monacho, hæc demandasse: *Vade itaque ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo sacrificium stude, ut nullus omnino prætermittatur dies, quo pro absolutione illius Hostia salutaris non offeratur.* Absoluto Missarum numero Justus monachus Copioso apparuit, cui se purgatorii cruciatibus ereptum eo tempore nuntiavit; *Fratres vero* (inquit S. Gregorius loco citato) *sollicite computaverunt dies, et ipse dies exstiterat quo pro eo trigesima oblatio fuerat impleta.* Hinc Missarum usus dimanavit, quæ a S. Gregorio nuncupantur. Illum deinde Cluniacense Monasterium inter suas consuetudines adscivit,

2. His diebus Missa de Requie ut in die obitus seu depositionis cantanda est cum Orationibus in fine ejusdem Missæ assignatis. Ut vero dies prædicti hoc privilegio gaudeant, revera tertius, septimus et trigesimus debent esse,[46]) et extra hos dies sine speciali indulto Missa ut in die obitus cum unica Oratione cantari non

---

quas Udalricus regularis Benedictinus lib. 3. cap. 29. complexus est; fideles omni sæculo eamdem consuetudinem pariter receperunt." Et n. seq. 3. subdit: „Interjecto aliquo tempore triginta Missas prorsus ineptas, et rebus haud convenientibus refertas quidam sine ulla facultate temere confecit, easque a *S. Gregorio* appellavit, quas etiam diligenter expendit Thyers in suo *Tract. Superstit. tom. 2. lib. 4. cap. 4.* Sacra igitur Rituum Congregatio easdem Missas celebrari omnino vetuit (vide Append. III. cap. 3. n. 8.) non vero piam consuetudinem a S. Gregorio inductam, ut per triginta dies continuos totidem sacrificia Deo offerantur pro illius expiatione, qui e vivis decedit."

Istæ Missæ ex communi fidelium sensu creditæ sunt peculiarem vim habere ad liberandos fideles ex purgatorii pœnis. Vis autem hujusmodi non in solo numero ponenda est, ne superstitioni locus aperiatur; jamque ratione habita ad sacrificii valorem citius liberarentur animæ, si diebus paucioribus vel una die Missæ omnes celebrarentur et adhuc fructus triginta Missarum potest non esse æquivalens animarum debito. Itaque hujusmodi efficacia ex eo pensanda est, vel quod scil. S. Gregorius a Deo hanc gratiam impetraverit, vel quod ipse, si tunc erat Summus Pontifex, concesserit indulgentiam plenariam, aut eam obtinuerit a suo Prædecessore sub injuncto opere sacrificii per triginta dies continuos offerendi, uti Quarti p. I. tit. 5. dub. 16. putat. Quod autem celebrandæ sunt hæ Missæ per triginta dies continuos absque interpolatione et *nullo omnino prætermisso die*, jam ex textu supradicto patet; per triduum Sacrum tamen non interrumpuntur, ut Doctores communiter docent. Conf. Pasqual. *De sacrif. nov. leg. quæst. 294.* n. 2.; nam alias non dicerentur Missæ secundum institutionem S. Gregorii, et consequenter non satisfieret obligationi in omni rigore. An autem hujusmodi Missæ ab uno eodemque sacerdote dicendæ sint, inter Auctores disceptatur; affirmant Cavalieri tom. III. cap. 13. decr. 2. n. 3. et Pasqualig. l. c. qu. 295. n. 2., negant tamen Gavantus l. c. et alii ap. Pasqual. l. c. n. 1. Requiritur porro, ut Missæ applicentur pro defuncto, non autem, ut debeant esse de Requie, nisi in diebus permissis. Quarti *Quæst. procem. sect. 4. p. 4.*

Aliquibus in locis a fidelibus loco triginta Missarum postulantur sex, quæ nec vita nec scriptis S. Gregorii, nec etiam alia traditione probantur, ideoque a sacerdote ad libitum cum interruptione celebrari possunt.

[46]) S. R. C. die 16. Jan. 1677. in Hispalen. ad 3. n. 2811. et die 9. Maji 1857. in Cadurcens. ad III. qu. 1. n. 5241.

potest, etiamsi consanguinei defuncti ad eam conveniant.[47]) Hi dies numerari possunt a die obitus sive a die sepulturæ, juxta diversam ecclesiæ consuetudinem.[48]) Tertius tamen dies regulariter congruentius computatur a die sepulturæ, ne cum ipsa hac die confundatur. Non vero licet, uno eodemque die Missas de tertio, septimo et trigesimo vel successivis diebus cantari, sed celebrandæ sunt suis respectivis diebus.[49])

3. Hæc Missa de Requie de die tertio, septimo et trigesimo cantari[50]) potest omnibus diebus, licet duplicibus minoribus et majoribus, etiam die 3., 4. et 5. Januarii;[51]) prohibetur tamen a) duplicibus I. et II. classis;[52]) b) Dominicis et festis de præcepto;[53]) c) diebus infra octavas privilegiatas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi;[54]) d) feriis privilegiatis nempe feria IV. Cinerum, et tota hebdomada majori; e) Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes.[55])

4. Si his diebus prohibitis talis Missa occurrat, anticipari vel transferri potest ad primam diem non impeditam, et non ultra, cum eadem solemnitate et absque mutatione in collectis.[56]) Quodsi ergo infra octavam privilegiatam celebrari contingat, prima die post hanc

---

[47]) S. R. C. die 27. Febr. 1847. Vicar. Ruremund. ad 1. n. 5079.

[48]) S. R. C. die 23. Aug. 1766. in Carthaginen. ad 2. n. 4336.; Caval. tom. III. cap. 4. n. 8.

[49]) S. R. C. die 23. Maji 1846. in Tuden. ad 13. n. 5050.

[50]) S. R. C. die 22. Martii 1862. Palmæ in Balearibus ad 2. n. 5320.

[51]) S. R. C. die 23. Aug. 1766. in Carthag. ad 2. n. 4336. et die 9. Maji 1857. in Cadurcens. ad 2. n. 5241.

[52]) S. R. C. die 5. Julii 1698. in Collen. ad 7. n. 3477. et die 2. Aug. 1783. in Lucan. n. 4410.

[53]) S. R. C. decr. cit. n. 4410.

[54]) S. R. C. die 28. Sept. 1675. in Vercellen. n. 2753.

[55]) S. R. C. die 12. Sept. 1671. in Nuscan. n. 2651.; decr. cit. n. 2753., n. 3477. ad 9., die 8. Mart. 1738. Ulixbonen. occid. ad 4. n. 4072., et decr. cit. n. 4410.

[56]) S. R. C. die 23. Maji 1603. in Egitan. ad 5. n. 197. et 4. Sept. 1745. in Aquen. ad 7. n. 4175.

octavam cantanda est, et si dies iste pariter impedita sit, die proxime sequenti.

5. S. R. C. in una Palmæ in Balearibus[57]) declaravit, ad celebrandam Missam de Requie in duplici non impedito diebus tertia, septima et trigesima non requiri, quod defunctus sic ordinaverit in suo testamento, sed sufficere voluntatem consanguineorum, amicorum vel testamenti exsecutorum, *dummodo Missa cantetur*. Missa enim *lecta* de Requie die tertia, septima et trigesima tantum illis diebus permittitur, quibus Missæ privatæ de Requie celebrari possunt; diebus autem vetitis Missa de Officio currenti dicenda est.[58])

6. Quibus diebus Missas privatas defunctorum Rubricæ permittunt, iis aliæ utique Missæ de Requie cantari possunt, Orationes tamen propriæ pro die tertio, septimo et trigesimo dici nequeunt, sed sumenda est Missa quotidiana cum Oratione *Inclina* pro uno defuncto vel *Quæsumus* pro una defuncta. Quando autem Missæ privatæ de Requie non permittuntur, Missæ prædictæ juxta officium diei cantari debent.

7. Aliquibus in locis consuetudo exsistit, eodem die Missas de Requie de tertio, septimo et trigesimo celebrandi, et quidem ita, ut, antequam prior Missa sit finita, v. gr. post elevationem calicis, imo quandoquidem post dictum Evangelium, altera jam cantari incipiatur. Talis consuetudo est irrationabilis, abusus et corruptela, deridet disciplinam ecclesiasticam et directe contradicit Rubricarum legibus, ideoque est omnino eliminanda, quamvis sit immemorabilis.

---

[57]) Die 22. Mart. 1862. ad 2. n. 5320.

[58]) S. R. C. die 5. Aug. 1662. decr. gen. n. 2178.; die 22. Aug. 1682. in Trivent. ad 1. n. 2995.; die 19. Junii 1700. in Curien. ad 9. n. 3565.; die 23. Aug. 1766. in Carthag. ad 2. n. 4336., et die 9. Maji 1857. in Cadurcen. ad 3. qu. 2. n. 5241.

CAPUT IV.

De Anniversariis.

Per anniversarium juxta S. R. C. decisiones[1]) intelligenda est Missa de Requie *cantata,* relicta ex testatoris dispositione, celebranda quotannis in die ipsius obitus.

2. Dies anniversaria computatur a die obitus, non a die depositionis;[2]) et si mors sequatur post occasum solis vel ante medium noctis, computari potest a die ipsa obitus vel a sequenti juxta diversam ecclesiarum consuetudinem.[3])

3. Anniversaria distinguuntur in *stricte dicta* et in *non stricte* dicta. Anniversarium *stricte dictum* est Missa de Requie in cantu fundata i. e. quotannis cantanda, recurrente ipsa die obitus aut alia a testatore vel ex consuetudine[4]) designata. Anniversarium *non stricte dictum* est Missa cantata de Requie, quæ vel fundata est sine diei certi aut fixi determinatione, vel postulata ex privata petentium devotione aut celebrata a capitulis, collegiis, congregationibus, confraternitatibus etc.

4. Anniversaria *stricte dicta* cantari possunt omnibus diebus, etiam duplicibus minoribus et majoribus ac in Vigilia Epiphaniæ;[5]) prohibentur autem a) in duplicibus I. et II. classis,[6]) b) in Dominicis et festis de præcepto,[7]) c) diebus infra octavas privilegiatas Nativitatis Domini,

---

[1]) S. R. C. die 23. Jan. 1683. Ord. Barnabit. n. 3014.; die 27. Martii 1694. in Palentina n. 3329. et die 21. Julii 1855. Ord. Carmelit. ad 2. n. 5212.

[2]) S. R. C. die 19. Junii 1700. in Curien. ad 10. n. 3565.

[3]) S. R. C. die 21. Julii 1855. in Veronen. ad 3. n. 5220.

[4]) S. R. C. die 22. Dec. 1753. in Wilnen. ad 1. n. 4237. et die 3. Mart. 1761. in Aquen. ad 12. n. 4299.

[5]) S. R. C. decr. cit. n. 4237. ad 1. die 4. Sept. 1745. in Aquen. ad 7. n. 4175. et die 9. Maji 1857. in Cadurcen. ad 2. n. 5241.

[6]) S. R. C. die 23. Aug. et 13. Sept. 1704. in Catanien. ad 1. n. 3701. et die 5. Julii 1698. in Collen. ad 7. n. 3477.

[7]) S. R. C. die 22. Aug. 1682. in Trivent. ad 3. n. 2995. et 28. Sept. 1675. in Vercellen. n. 2753.

Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi,[8]) d) in feria IV. Cinerum, tota hebdomada sancta et in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes; et si anniversarium regis vel principis supremi his diebus allatis occurrat, non potest celebrari Missa de Requie.[9])

5. Si anniversaria diebus istis impeditis occurrant, anticipanda vel transferenda sunt in primam diem non impeditam;[10]) si vero ultra primam diem non impeditam transferantur, nullo privilegio gaudent,[11]) in quo casu diebus a Rubricis permissis Missa quotidiana cum Oratione *Inclina* vel *Quæsumus* sumenda est.[12])

6. Si anniversarium infra octavam privilegiatam occurrat, debet vel anticipari ante, vel transferri post octavam et quidem prima die non impedita præcedenti vel sequenti, ac Missa cantanda est ut in anniversario sine variatione in Orationibus.[13]) Idem valet etiam, si dies prima ante vel post octavam privilegiatam occupetur per festum duplicis majoris, et decretum S. R. C. diei 3. Dec. 1701. in Bergomen. ad 3. n. 3604. non obstat, ut bene notat De Herdt,[14]) quod agitur de translatione anniversarii post non *unam* octavam, sed post *aliquas* octavas privilegiatas, v. gr. post octavam Nativitatis Domini et Epiphaniæ, in quo casu anniversarium ultra primam diem non impeditam transferri debeat.

---

[8]) S. R. C. decr. cit. n. 3477. ad 9.; die 1. Sept. 1703. in Aquilana n. 3659.; die 2. Sept. 1741. in Aquen. ad 4. n. 4119. Conf. Cavalieri tom. III. cap. 5. decr. 5. n. 3.

[9]) S. R. C. die 20. Nov. 1677. in Taurinen. n. 2847.

[10]) S. R. C. die 31. Julii 1665. Nullius Diœc. et Prov. Trevir. ad 6. n. 2345.; die 9. Julii 1678. in Taggen. ad 1. n. 2864.; die 5. Julii 1698. in Collen. ad 16. n. 3477.; die 4. Maji 1686. Canonic. Regul. Lateran. ad 1. n. 3110.; die 22. Dec. 1753. in Wilnen. ad 4. n. 4237.; die 28. Julii 1832. in Brixien. ad 1. n. 4694.; die 21. Julii 1855. in Veronen. ad 1. n. 5220.

[11]) S. R. C. die 3. Dec. 1701. in Bergomen. ad 3. n. 3604. Conf. Cavalieri tom. III. cap. 6. decr. 5. n. 2.

[12]) S. R. C. decr. cit. n. 5241. ad III. qu. 1.

[13]) S. R. C. decr. cit. n. 3110. ad 3.; n. 3477. ad 16.; n. 4237. ad 2.

[14]) Tom. I. n. 60. in nota.

Ex decretis [15]) enim S. R. C. clare apparet, anniversaria etiam in duplici majori celebrari posse; si autem ob dies prohibitos anticipari vel transferri debent, cum ipsissimo privilegio, quo in die gaudent, anticipantur vel transferuntur; quare ergo in casu translationis post octavam privilegiatam in duplici majori celebrari non poterunt?

7. Quando a testatoribus pro anniversariis dies certi assignati sunt, tuta conscientia in alios dies nullatenus transferri debent, nec hujusmodi consuetudo induci vel retineri valet. [16]) Sed quando duo anniversaria eodem die occurrunt, et ob Missam conventualem ac concionem habendam vel ob alterum sacerdotem deficientem ad cantandam Missam de Requie, celebrari non possunt, in diem proxime sequentem non impeditam unum anniversarium transferri licet; [17]) si autem Missa cantata pro defuncto certa die cujusvis hebdomadæ totius anni fundata sit, obligationi satisfieri potest per applicationem Missæ solemnis de die occurrenti. [18])

8. Ut autem anniversarium privilegiis supradictis gaudeat, omnino *in cantu* celebrandum est, sed non requiruntur ministri sacri; [19]) anniversaria econtra, pro die quidem obitus vel alio fixo, sed *non in cantu* fundata, ut Missas de Requie tantum iis diebus celebrari licet, quibus Missæ privatæ permittuntur, [20]) et ecclesiæ quoque parochiales rurales, in quibus plerumque unus tantum sacerdos celebrat, non eximuntur. [21]) Hujusmodi anniversaria sine cantu nec anticipari nec transferri

---

[15]) Decr. cit. 3477. ad 16.; n. 4175. ad 7.; n. 4237. ad 1. Conf. Cavalieri tom. III. cap. 4. decr. 2. n. 6.

[16]) S. R. C. die 17. Nov. 1657. in Neritonen. n. 1851.

[17]) S. R. C. die 28. Febr. 1682. in Placentina n. 2977.

[18]) S. R. C. die 1. Sept. 1708. in Favent. n. 3794.

[19]) S. R. C. die 6. April. 1680. Ord. S. Bened. Congr. Cassin. ad 3. n. 2919. et die 4. Sept. 1875. in Quebecen. ad 1. n. 5628. Conf. Cavalieri tom. III. cap. 5. decr. 2. n. 3. et 4.

[20]) S. R. C. die 3. Mart. 1761. in Aquen. ad 14. n. 4299.

[21]) S. R. C. die 19. Junii 1700. in Curien. ad 9. n. 3565.

possunt, sed obligationi satisfieri debet per celebrationem Missæ diei currentis cum applicatione sacrificii iuxta mentem testatorum.[22])

9. Anniversaria *non stricte dicta,* quæ vel sine dierum certorum assignatione fundata vel ex privata petentium devotione cantanda sunt, permittuntur tantum diebus, quibus Rubricæ Missas privatas concedunt,[23]) nisi dies vere anniversaria sit a die obitus, quo in casu etiam in duplicibus cantari possunt.[24]) Si tamen dies, in quibus permittuntur, non sufficiant, indultum apostolicum requirendum est, ut Missa de Requie etiam in duplicibus cantari possit.[25])

Hic notare juverit, Missas de Requie cantatas extra diem obitus seu depositionis necnon tertium, septimum, trigesimum atque anniversarium, vivorum rogatu, celebrari non licere in duplicibus, neque aliis diebus Missas privatas defunctorum excludentibus,[26]) quamvis sint legatæ[27]) aut ex antiqua praxi vel consuetudine celebrari soleant, nisi indultum apostolicum sit in promptu.[28])

10. Anniversaria, quæ a capitulis, regularibus, confraternitatibus etc. peraguntur cum Missa solemni de Requie pro omnibus defunctis canonicis vel confratribus vel benefactoribus, in duplicibus fieri nequeunt sine indulto apostolico.[29]) In his anniversariis sumitur Missa

---

[22]) S. R. C. die 5. Aug. 1662. decr. gen. n. 2178. et die 2. Sept. 1690. in Baren. n. 3228. Vide Append. V.

[23]) S. R. C. die 27. Martii 1694. in Palentina n. 3329.; die 10. Martii 1708. in Nolana n. 3782.; die 23. Aug. 1766. in Carthagin. ad 1. n. 4336.; die 16. Febr. 1781. Ord. Carmelit. ad 5. n. 4401.

[24]) S. R. C. die 19. Junii 1700. in Curien. ad 10. n. 3565.

[25]) S. R. C. die 10. Dec. 1733. in Corduben. n. 4021.; die 1. Martii 1777. in Kioven. n. 4380.

[26]) S. R. C. die 3. Dec. 1701. in Andrien. n. 3602. et in Bergomen. ad 1. n. 3604.; die 13. Julii 1709. in Myranden. ad 1. n. 3813.; die 11. Maji 1754. Ord. Minor. ad 4. n. 4244.; die 27. Febr. 1847. Vicar. Ruremund. ad 1. n. 5079.; die 7. Sept. 1861. S. Marci ad 4. n. 5315.

[27]) S. R. C. decr. cit. n. 3813. ad 2.

[28]) S. R. C. die 7. Sept. 1850. in Asturicen. ad 5. n. 5146.

[29]) S. R. C. decr. cit. n. 4021.; die 4. Sept. 1745. in Aquen. ad 7. n. 4175.; die 25. Aug. 1818. in Hispalen. ad 3. n. 4549.; die 12. Nov.

de anniversario cum Oratione *Deus, qui inter apostolicos* si pro sacerdotibus defunctis,[30]) vel *Deus veniæ largitor,* si pro benefactoribus celebretur, excepta Missa pro episcopis defunctis, quæ celebrari debet ut in die commemorationis omnium fidelium defunctorum cum Oratione *Deus qui inter apostolicos.*[31])

11. Anniversaria, quæ ex diversorum testatorum voluntate circa singula quatuor anni tempora in cantu sunt celebranda, in duplici etiam majori absolvi possunt, si dies fixus v. gr. feria IV. vel VI. assignatus sit, etiamsi dies ille non sit vere dies anniversarius defuncti.[32]) Quatuor autem temporibus Pentecostes Missa de anniversario celebrari numquam licet, sed ad primam diem non impeditam post hanc octavam transferenda est. Si dies fixus pro illis non est assignatus, privilegio anniversariorum non fruuntur, et celebranda sunt diebus, quibus Missæ privatæ de Requie permittuntur.

12. Missæ cantatæ pro defunctis, quæ a fidelibus oblatis eleemosynis petuntur pro certis diebus, v. gr. feria II. post anniversarium Dedicationis ecclesiæ, non sunt habendæ ut anniversaria et sine indulto apostolico Missam cantatam de Requie in duplicibus celebrari minime fas est.[33])

CAPUT V.

De Missis privatis Defunctorum.

Missæ privatæ de Requie permittuntur tantum diebus ferialibus non privilegiatis, simplicibus et semiduplicibus.

1831. Marsor. ad 55. n. 4669.; decr. cit. n. 5146. ad 5.; die 26. Martii 1859. Congr. Schol. Piar. ad 3. n. 5278.

[30]) S. R. C. die 9. Dec. 1719. Tertii Ord. S. Franc. n. 3936.

[31]) S. R. C. die 5. Martii 1870. in Olomucen. ad 5. n. 5445.

[32]) S. R. C. die 22. Dec. 1753. in Wilnen. ad 1. n. 4237.

[33]) S. R. C. die 8. Aug. 1835. in Eugubina ad 1. n. 4765. et die 7. Aug. 1875. in Clodien. ad 8. n. 5622.

2. Prohibentur ergo: a) omnibus festis duplicibus, b) diebus Dominicis et festivis de præcepto, c) diebus infra octavas privilegiatas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi, d) Vigiliis Nativitatis Domini, Epiphaniæ et Pentecostes, e) feria IV. Cinerum et tota hebdomada majori,[1]) f) toto tempore expositionis Ss. Sacramenti, idque in altari *solo* expositionis, quando ex causa *privata*,[2]) in *omnibus* vero ecclesiæ altaribus, quando ex causa *publica*[3]) Ss. Sacramentum exponitur, g) diebus stationis ecclesiæ vel alterius solemnitatis, in quibus Rubricæ Missam privatam de Requie non quidem stricte prohibent, si ritus eam permittat; sed non decet celebrare Missam de Requie.[4])

3. In exsequiis pauperum, qui expensas Missæ cantatæ solvere non possunt, Missa privata de Requie præsente cadavere permittitur in locis, ubi adest consuetudo, dummodo non occurrat duplex I. vel II. classis, nec octava privilegiata, aut festum de præcepto, aut Ss. Sacramenti solemnis expositio.[5])

4. Quando in ecclesia, in qua juxta Calendarium ejusdem ecclesiæ Missæ privatæ de Requie permittuntur, aliquod officium funebre cum solemnitate et populi concursu peragitur, vel exsequiæ fiunt præsente corpore vel anniversarium, sacerdoti licet Missam de Requie celebrare, quamvis ipse eadem die officium duplex persolverit.[6])

---

[1]) Rubr. p. I. tit. 5. n. 2. S. R. C. die 29. Sept. 1714. Urb. et Orb. n. 3873., in quo plura alia decreta de hac re afferuntur; die 16. Sept. 1730. Ord. Jerosolymit. ad 7. n. 3991.; die 29. Jan. 1752. Ord. Carmelit. ad 12. n. 4223.

[2]) S. R. C. die 7. Maji 1746. in Varsavien. ad 9. n. 4181.

[3]) Vide Cap. I. n. 4. hujus Append.

[4]) S. C. Indulg. die 11. Apr. 1864. ap. Acta S. Sed. tom. I. fol. 42.

[5]) Conf. Cap. III. A. n. 11. hujus Append.

[6]) S. R. C. die 23. Aug. 1704. Ord. Eremit. Camald. ad 7. n. 3703. et die 3. Martii 1866. in una Dubior. ad 3. n. 5358.

CAPUT VI.

De absolutione ad tumulum.

Iuxta Rituale Romanum [1]) in Exsequiis *præsente corpore* post Missam absolutio facienda est secundum ritum in eodem præscriptum. In Oratione *Non intres cum servo tuo,* quando est mulier, aut plures sunt defuncti, non possunt verba: *servo tuo* permutari in: *serva tua,* vel *servis tuis.* [2])

2. In exsequiis tamen *absente corpore,* et in tertio, septimo, trigesimo et anniversario absolutio ad tumulum de præcepto fieri non debet, quia nec Missale [3]) nec Rituale [4]) nec decreta S. R. C. [5]) ad eam obligant; est ergo facienda ad sacerdotis arbitrium, nisi ex consuetudine vel mandato illius, qui eleemosynam obtulit, peragi debet, in quo casu ritus in Missali [6]) et Rituali [7]) præscriptus servandus est, [8]) ideoque Oratio *Non intres* non est dicenda.

3. Absolutio peragi potest tantummodo post Missam de Requie, non vero post Missam de die, etiamsi applicata fuerit pro defunctis, et absolutio fieret in paramentis nigris. [9]) Potest tamen in duplicibus non classicis recitari vel cantari unum Nocturnum Defunctorum, deinde absolutio peragi, postea Missa cantari de festo

---

[1]) Tit. 6. cap. 3. n. 7.

[2]) S. R. C. die 31. Aug. 1697. in Fanen. n. 3441. et die 21. Jan. 1741. in Calaguritana n. 4105.

[3]) p. II. tit. 13. n. 4. Rubrica enim *conditionate* eloquitur: „Finita Missa, *si* facienda est absolutio."

[4]) l. c. cap. 5. n. 1.

[5]) S. R. C. die 31. Julii 1665. Nullius Diœc. Prov. Trev. ad 7. n. 2345. et die 4. Sept. 1875. in Quebecen. ad 4. n. 5628.

[6]) l. c.

[7]) l. c.

[8]) S. R. C. die 23. Maji 1846. in Tuden. ad 12. n. 5050.

[9]) S. R. C. die 4. Aug. 1708. in Picen. n. 379.; die 16. Martii 1833. Ord. Min. n. 4702.; die 9. Junii 1853. in Cochinchina ad 1. n. 5188.; die 12. Sept. 1857. in Molinen. ad 21. n. 5251.; die 20. Martii 1869. Mont. Regal. ad 10. n. 5430.

currenti cum applicatione pro defunctis, dummodo removeatur tumulus tempore Missæ ac finita sit circa illum absolutio.[10])

4. Missale[11]) præscribit, ut absolutio facienda sit *finita* Missa, ideoque peragi non potest post Orationem *Postcommunio.*[12]) Et responsorium *Libera me Domine* canendum non est, nisi finita Missa et conveniens est, ut illud cantores incipiant, cum sacerdos fuerit pluviali indutus, et Subdiaconus cum cruce ad pedes tumuli pervenerit, etiamsi castrum adsit in medio chori.[13])

5. Quando absolutio est pro uno defuncto, in fine dicendum est *Requiescat in pace,* in singulari; pro pluribus: *Requiescant* in plurali,[14]) et interim celebrans facit crucem manu dextera super tumulum, ut Missale[15]) præscribit. Si absolutio fit *præsente corpore,* celebrans addit: *Anima ejus* (vel *animæ eorum) et animæ omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace;*[16]) et a tumba in sacristiam revertens dicit cum ministris sine cantu Antiphonam *Si iniquitates* cum Ps. *De profundis;*[17]) in exsequiis autem *absente corpore,* in die tertio, septimo, trigesimo, anniversario et in commemoratione omnium fidelium defunctorum Ant. *Si iniquitates* et Ps. *De profundis*[18]) omittitur. Similiter Versiculum *Anima ejus* et *animæ eorum* dicunt Martinucci,[19]) De Herdt,[20]) Bouvry[21]) et alii, *absente*

---

[10]) S. R. C. die 10. Jan. 1852. in una Mont. Politiani ad 1. n. 5166.
[11]) l. c.
[12]) S. R. C. die 23. Sept. 1837. in Mutinen. ad 11. qu. 5. n. 4815.
[13]) S. R. C. die 7. Sept. 1861. in una S. Marci ad 5. n. 5315. et 22. Mart. 1862. ibid. ad 18. n. 5318.
[14]) S. R. C. die 22. Jan. 1678. in una Urbis n. 2858.
[15]) p. II. tit. 13. n. 4.
[16]) Rit. Rom. tit. VI. cap. 3. n. 14.
[17]) Rit. l. c. n. 15.; S. R. C. die 2. Dec. 1684. Ord. Canon. Reg. Lateran. ad 11. n. 3073.
[18]) Rit. l. c. cap. 5. n. 3.
[19]) Lib. IV. cap. 10. n. 27. in nota.
[20]) Tom. III. n. 266. ad 7.
[21]) p. IV. sect. 1. §. 4. App. de Exsequ. tit. 4.

corpore esse omittendum excepta die commemorationis omnium fidelium defunctorum, quia a Missali et Rituali non præscribatur. Sed huic sententiæ obstat decretum novissimum S. R. C. in una Florentina[22]) in quo quæsitum est: „An in exsequiis quæ fiunt pro pluribus, excepta die commemorationis omnium fidelium defunctorum, dicto versiculo *Requiescant* etc. dici debeat: *Animæ eorum* etc., quum pluribus in locis alia servetur praxis?“ Et S. R. C. rescribendum censuit: „Affirmative juxta praxim Urbis.“ Ex quo patet, versiculum supradictum etiam *absente corpore* esse dicendum; nam quæstio non distinguit inter corpus præsens et absens, imo ad praxim contrariam rejicit, quæ tantum cadavere absente exsistere potest, quia corpore præsente Rituale eumdem versiculum semper præscribit. Insuper omnes exsequiæ extra diem commemorationis omnium fidelium defunctorum in quæstione saltem indirecte includuntur, et S. R. C. in responsione nullam aliam exemptionem facit. Ergo etiam corpore absente hic versiculus dici, et tantum in commemoratione omnium fidelium defunctorum omitti debet.

6. Congruum est, ut absolutio fiat ab ipso sacerdote, qui Missam celebravit, non ab alio diverso, nisi adsit episcopus.[23])

---

[22]) Die 31. Aug. 1872. n. 5506.

[23]) S. R. C. die 12. Aug. 1854. in Briocen. ad 13. n. 5208.; die 21. Julii 1855. ibid. ad 4. n. 5221.; die 4. Sept. 1875. in Marianopolit. n. 5625.; die 25. Sept. 1875. in Bajonen. ad 7. n. 5637.

APPENDIX QUINTA.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI MISSAS VOTIVAS ET DE REQUIE.

Operæ pretium est, quoad obligationem celebrandi Missas votivas et de Requie pauca adnotandi. Magna enim fuit controversia inter Theologiæ moralis doctores et Rubricarum expositores, et multa dubia de hac re Sacræ Rituum Congregationi fuerunt proposita. Nuperrime autem plures decisiones ab eadem Sacra Congregatione in lucem editæ sunt, ex quibus de ista obligatione fere certa sententia erui potest.

Agemus ergo de obligatione celebrandi I. Missas votivas II. Missas de Requie.

CAPUT I.

De obligatione celebrandi Missas votivas.

Quæritur: Utrum sacerdos, ratione fundationis seu manualis stipendii in honorem alicujus Mysterii vel Sancti obligatus, satisfaciat oneri suo per Missam diei currentis, an teneatur ad celebrandam Missam votivam?

Resp. 1. In festis *semiduplicibus*, *simplicibus*, *feriis* et iis diebus, quibus Missa privata votiva conceditur, sacerdos per Missam diei occurrentis obligationi *non satisfacit*, sed *ad celebrandam Missam votivam tenetur*, exceptis casibus infra positis n. 2. Quod plane declarat S. R. C. In una enim Aquen.[1]) eadem S. Congregatio respondit: „Diebus, quibus dici possunt Missæ

[1]) Die 3. Mart. 1761. ad 14. n. 4299.

votivæ privatæ vel defunctorum, sacerdos ad illas obligatus ratione fundationis vel accepti stipendii, propriæ obligationi non satisfacit, dicendo Missam de die occurrente: expressa enim voluntas fundatorum vel postulantium, dummodo sit rationabilis, debet adimpleri.“ Iterum, cum in una Brugen. [2]) S. R. C. sequens dubium propositum fuisset: „In variis diœcesibus Belgiæ juxta doctrinam in Seminariis traditam usus invaluit, ut his diebus, quibus per Rubricas licet Missas de Requie et votivas celebrare, sacerdotes Missas privatas oblato manuali stipendio pro uno vel pluribus defunctis, vel votivam in honorem alicujus Mysterii vel Sancti habentes, celebrent conformes Officio quod illa die recitarunt ad satisfaciendum susceptæ obligationi, dummodo fideles expresse non rogaverint dici Missas de Requie, vel votivas. Usus iste nititur inprimis Rubricæ Missalis art. IV. de Missis votivis n. 3. quæ præscribit, ut quoad fieri potest Missa cum Officio conveniat; deinde auctoritati S. Alphonsi Mariæ de Ligorio, qui in Theologia morali lib. 6. tract. 3. n. 422. dicit, communissimam et probabilem esse hanc sententiam. Petitur ergo, an præfati sacerdotes satisfaciant suæ obligationi? et quatenus negative, ut dignentur Eminentissimi Patres condonationem impertiri pro Missis tali modo exoneratis?“ eadem S. Congregatio rescribendum censuit: „Affirmative quoad Missas pro defunctis juxta generale decretum diei 5. Augusti 1662, in reliquis negative, et quoad præteritum unusquisque consulat conscientiæ suæ.“

Ex quibus decretis patet, diebus non impeditis sacerdoti celebrandam esse Missam votivam, ut obligationi satisfacere possit. Nam eleemosynam dans habet *jus ad rem*, quia stipendium offert sub hac quamvis tacita conditione, ut Missa votiva celebretur, et sacerdos voluntatem testatorum vel postulantium, dummodo sit rationabilis, *adimplere potest et debet:* insuper, uti Defun-

[2]) Die 12. Sept. 1840. ad 7. n. 4897.

ctis, juxta D. Thomam [3]) „ex parte orationum magis prodest illa (Missa), in qua sunt orationes ad hoc determinatæ", sic similiter *valor accidentalis* Missæ votivæ magis *crescit* ex orationibus et ritibus ab offerente eleemosynam intentis et ob ejus devotionem et speciales orationes major fructus provenire solet. Si ergo sacerdos diebus liberis aliter agit, agit contra fidem datam et promissis onerosis non stat.

Resp. 2. In festis *duplicibus* omnibusque aliis, in quibus Missa votiva prohibetur, sacerdos per Missam diei currentis suæ obligationi *non satisfacit*, nisi in casibus infra dicendis n. 2.

Exstant enim duo novissima decreta S. R. S., ex quibus elucet, diebus duplicibus et æquivalentibus oneri Missarum votivarum non satisfieri. In Ord. nempe S. Franc. Conv. Rmŝ Provincialis Prov. Americæ Septentr. ejusdem Ordinis exposuit S. R. C., „in ecclesiis adnexis conventibus Ordinis sui in præfata Provincia adeo frequenter fideles exquirere celebrationem Missarum votivarum, ut impossibile omnino sit iisdem satisfacere in diebus liberis, quorum numerus ita imminutus est in Ordinis Kalendario, ut vix unus in singulis mensibus inveniatur. Quapropter prædictus Orator ab eadem S. Congregatione enixe postulavit, ut cum Missis de die celebratis satisfacere valeat oneribus tum fixis tum adventitiis Missarum votivarum." Sacra vero Congregatio precibus ipsis rescribere rata est: „Consulendum Sanctissimo pro gratia. Die 28. Sept. 1872. . . . Sanctitas Sua benigne annuit, ut in ecclesiis adnexis conventibus Ordinis satisfieri valeat cum Missis de die, ipsarum valorem applicando intentioni fundatorum aut benefactorum, quoties vel ob magnum earumdem numerum vel ob aliam rationabilem causam, a Rmo P. Provinciali pro tempore cognoscendam, præfatæ Missæ votivæ in diebus liberis celebrari nequeant." Die 3. Octobris anni ejusdem. n. 5527.

---

[3]) Suppl. qu. 71. art. 9. ad 5.

Iterum in Ratisb. sequ. dubium propositum est: „Rñs D. Ignatius de Senestréy Ep. Ratisb. S. R. C. exposuit, quod in sua diœcesi plurimæ reperiantur Missæ fundatæ atque continuo etiam Missæ a fidelibus postulentur, quæ applicari debeant vel in honorem alicujus Mysterii ex. gr. Ss. Trinitatis, Passionis D. N. J. C., Sacri Cordis ejusdem D. N. J. C. etc., vel in honorem B. Mariæ V., vel Sanctorum. Ejusmodi Missæ sive fundatæ sive adventitiæ adeo frequentes sunt, ut nullo modo celebrari omnes possint aut diebus festis, qui illis intentionibus respondeant ex. gr. B. Mariæ V., aut illis diebus, quibus Missæ votivæ eisdem intentionibus convenientes a Rubricis permittuntur. Plerumque ergo illis Missarum oneribus in ista diœcesi satisfiebat celebrando Missam juxta Kalendarium, quod securius ideo etiam fiebat, quod generatim adesse non videbatur ratio præsumendi voluntatem fundatorum aut eorum qui stipendium dabant, ut celebretur Missa votiva in stricto liturgico sensu. Attamen quum recentiores præsertim rerum liturgicarum Scriptores sustineant, necessario celebrandas esse Missas votivas, ut ejusmodi Missarum oneribus satisfiat, quumque iidem sententiam suam etiam decretis S. R. C. confirment; Episcopus Orator ab eadem S. Congregatione humillime declarari petiit, utrum illa decreta. etiam in casibus supra expositis revera edicant, quod ejusmodi Missarum oneribus satisfieri tantum possit vel Missis dictis de festo, quatenus aliquod prædictis intentionibus respondens occurrat, vel Missis votivis in honorem illorum Mysteriorum et Sanctorum celebratis. Quodsi affirmetur, humillime supplicavit idem Episcopus Orator, ut ratione habita bonæ fidei sanatio pro præterito tempore concedatur, pro futuro autem venia benignissime detur, qua in diœcesi Ratisbonensi ejusmodi intentionibus satisfieri etiam valeat Missis juxta Kalendarium celebratis, nisi fundatores aut illi, qui stipendium exhibent, expresse postulaverint, ut Missa votiva in sensu liturgico sumpta, aut de festo occurrente et intentioni respondente celebretur.“

„Sacra vero eadem Congregatio his precibus rescribere rata est: Consulendum Sanctissimo pro sanatione ad cautelam pro præterito, et pro facultate Reverendissimo Ordinario pro tempore prædictæ diœceseos quatenus ecclesiis illis subjectis concedere possit, accedente magno numero Missarum votivarum, vel aliqua alia rationabili causa, ut Missis prædictis satisfieri valeat cum Missis de die, ipsarum valorem applicando intentioni fundatoris aut benefactoris. Die 28. Sept. 1872. . . . Sanctitas Sua benigne in omnibus juxta rescriptum S. Congr. annuere dignata est. Die 3. Octobris 1872. n. 5528."

In utroque decreto agitur de oneris impletione Missæ votivæ diebus *duplicibus*, in utroque S. R. C. recurrit ad Sanctissimum. In posteriori autem decreto expresse petitum est, ut S. R. C. declararet, num per Missam diei oneri Missæ votivæ satisfieri posset. Sed eadem S. Congregatio respondit: Consulendum Sanctissimo pro sanatione ad cautelam pro præterito et pro facultate dispensationis pro futuro. Si causa tam certa est, uti multi putant, quare S. R. C. non declarat, esse satisfactum? Quare non ipsa decisionem dat, sed ad supremum tribunal remittit, ad Summum Pontificem? Quare sanatio ad cautelam pro præterito? Forte ad placandam Oratorum conscientiam! Suffecisset declaratio S. R. C., et Oratores essent quietati, et omnis controversia esset decisa. Ad quid ergo recursus ad Papam, non solum in his duobus decretis, sed jam multo ante,[1]) imo etiam pro singulari casu? In una enim Urbis n. 2555. Clerici Congr. Doctrinæ christianæ supplicarunt, ut legato annuo cum onere unius Missæ in honorem S. Rochi die 16. Aug. impedito officio duplici S. Hyacinthi, voluntati Legantis satisfaciant per Missam S. Hyacinthi, et S. R. C. die 18. Julii 1671. respondit: „Ad Sanctissimum." Et Sanctitas Sua gratiam petitam benigne concessit die 24. Julii 1671.

[1]) Pro diœcesi Turretana. Die 12. Sept. 1612. n. 489.

Utique dici posset, decreta allata esse tantum particularia, nec ubique obligare; concedimus: sed non potest negari, ea esse simul regulam generalem pro similibus casibus, et quoad dispensationem Summi Pontificis posse haberi generalia decreta; quia si Papa in uno vel altero casu dispensavit, etiam in reliquis omnibus dispensatio papalis requiritur.

Ex dictis concludimus: Cum S. R. C. quoad obligationem Missarum votivarum per Missam diei persolvendam pro sanatione ad cautelam pro præterito et pro dispensationis facultate pro futuro Summum Pontificem supplicet, eadem Congregatio ipsa dubitat, num onus Missæ votivæ per Missam diei currentis adimpleri possit; res est ergo valde incerta, et pro praxi sententia omnino tenenda: *in duplicibus et æquivalentibus oneri Missæ votivæ satisfieri non posse sine dispensatione apostolica.*

2. In sequentibus tamen casibus sacerdos satisfacit suæ obligationi per Missam diei currentis: 1) Si offerens stipendium consentiat, ut Missa diei legatur. 2) Si sola applicatio fuerit postulata, non autem qualitas. 3) Si ea die, pro qua Missa votiva accepta est, celebretur festum correspondens Missæ votivæ. Hi tres casus per se patent. 4) Si Missa votiva celebranda, quæ postulatur, non permittatur ex. gr. in honorem alicujus Mysterii vel Beati. Tale onus autem suscipere non licet; si vero onus jam est susceptum, obligationi satisfieri potest per Missam diei.[5]) 5) Si Rubricæ Missam votivam ea die, nempe duplici et æquivalente, dici non permittunt, et Missa votiva differri nequit in diem liberam; nam si differri potest, celebranda est in die libera. Missæ autem votivæ non sunt acceptandæ, nisi pro diebus, in quibus celebrari possunt. In dec. enim S. R. C.[6]) dicitur: „Sanctitas Sua approbavit sententiam Congr., quod in futurum

[5]) S. R. C. die 18. Sept. 1706. in una Parisien. ad 1. n. 3751., die 29. Jan. 1752. Ord. Carmelit. ad 7. n 4223. et die 24. Dec. 1753. in Wilnen. ad 5. n. 4237.

[6]) Die 19. Maji 1614. in Turretana n. 489.

non recipiatur obligatio ad Missas votivas celebrandas nisi pro diebus, in quibus secundum regulas Missalis celebrari possunt. De Missis vero votivis jam acceptatis et non celebratis Sanctitas Sua dixit, ut transferatur earum celebratio in dies, in quibus liceat secundum Rubricas Missalis, et in hoc solum dispensare voluit, ut celebrari possint in alio die non impedito, quando Missæ dicendæ relictæ vel legatæ sint in die impedito. Quia vero multitudinem Missarum jam acceptatarum tantam esse narratum fuit, ut pro illis satisfaciendis et celebrandis non sufficiant dies non impediti duplici, aut Dominicis et aliis privilegiatis diebus . . . . Sanctitas Sua dispensavit, ut pro Missis jam acceptatis, quæ non possunt celebrari diebus non impeditis, sufficiat applicare valorem Missæ currentis et ordinariæ tam pro vivis quam pro defunctis, qui postulaverunt Missas votivas."

3. Si autem Missa votiva *in cantu fundata* est die determinato, qui in Dominica vel festo duplici aut infra octavam privilegiatam cadit, declaravit S. R. C.: [7]) „Juxta decr. ed. die 19. Maji 1614. loco Missarum votivarum celebrandas esse de festo currenti, et cum applicatione sacrificii satisfieri et benefactorum mentem impleri." [8])

Item si *pro singulis hebdomadæ diebus* Missa *fundata* est. per Missam diei in duplicibus oneri satisfieri potest. [9])

4. Sed dices: Tota argumentatio corruit; nam petitio in honorem alicujus Mysterii vel Sancti per se non exprimit qualitatem Missæ, et eleemosynam exhibentes non postulant Missam votivam in stricto liturgico sensu, imo nesciunt, quid petant.

Respondemus quoad primam objectionis partem: In decreto S. R. C. [10]) in una Aquen. quæsitum est:

---

[7]) Die 24. Julii 1683. in Ruremund. ad 6. n. 3029.

[8]) Conf. decr. 15. Febr. 1727. in una Catanien. n. 3669.

[9]) S. R. C. die 21. Jan. 1766. in una Viennen. n. 4331. et 22. Dec. 1753. in una Wilnen. ad 7. n. 4237.

[10]) Die 3. Martii 1761. ad 14. n. 4299.

„Tandem dicendo Missam privatam de die occurrente, satisfitne cuilibet obligationi Missæ sive fundatæ, sive a fidelibus petitæ, oblato manuali stipendio, sive ipsa pro defunctis, sive *in honorem alicujus Sancti petita fuerit, modo sacerdos non expresse promiserit, se illam de Sancto . . . celebraturum . . .*“ In hac quæstione non petitur Missa votiva, sed solum ut Missa *in honorem alicujus Sancti celebretur,* imo expressa Missæ votivæ promissio excipitur; item in quæstione decreti in una Brugen.[11]) supra allati expressa rogatio Missæ votivæ excluditur, et tamen in utroque casu respondit S. R. C. obligationi non satisfieri per Missam diei; ergo S. R. C. dictam petitionem percipit in sensu Missæ votivæ; qua de causa vult, Missam votivam esse celebrandam, quotiescumque Missa in honorem alicujus Mysterii vel Sancti a dantibus stipendium postuletur.

Quod alteram partem objectionis attinet, dicimus: Si eleemosynam offerentes petunt Missam in honorem alicujus Mysterii vel Sancti, plurimi sine dubio nesciunt quid petant; quis enim laicorum Missam votivam et Missam diei currentis distinguere potest, præsertim in stricto sensu liturgico? Sed cum illi petant Missam in honorem alicujus Mysterii vel Sancti, iisdem verbis jam in confuso intentionem suam exprimunt, et sacerdoti sub tacita conditione stipendium offerunt, ut ea ratione eoque modo Missam celebret, quo ordinationes Ecclesiæ ei permittant, ideoque sperant, sacerdotem *ob munus suum* esse adimpleturum, quod ipsi laici nesciant. Itaque si sacerdos dubitet, quomodo illa petitio sit intelligenda, *ex officio* inquirere debet, utrum ad Missam votivam celebrandam teneatur, necne: si vero non inquirit, eo ipso ad celebrandam Missam votivam obligatur, quia secus periculo oneri suo non satisfaciendi se exponit. Quod patet etiam ex decretis supra citatis, inprimis n. 489.; n. 5527. et n. 5528. Sacræ enim Rituum Congregationi bene

[11]) Die 12. Sept. 1840. ad 7. n. 4897.

notum est, paucissimos laicorum Italiæ, Germaniæ, Americæ aliarumque nationum differentiam inter Missam votivam et diei occurrentis scire, et raro in sensu stricto liturgico Missas votivas postulari, et tamen in omnibus supra citatis decretis eadem S. Congregatio pro dispensationis facultate ad Sanctissimum remittit; præterea in dubio Ratisbonensi expresse memoratur, voluntatem fundatorum vel postulantium esse præsumptam, ne celebretur Missa votiva in stricto sensu liturgico, ideoque in bona fide esse actum: et nihilominus S. R. C. dubitat, num oneri satisfactum sit, quare a Summo Pontifice sanationem *ad cautelam* pro præterito petit.

Ergo per petitionem: „In honorem alicujus Mysterii vel Sancti," eleemosynam offerens suam veram intentionem exprimit, qua sacerdos ad Missam votivam quasi dirigitur, et, nisi licentiam accipiat ad celebrandam Missam diei, jam per solam supradictam petitionem ad Missam votivam obligatur.

5. Sed paucis hic notare placet: Sacerdos quamvis dicendo Missam diei occurrentis loco votivæ obligationi suæ non satisfaciat, *graviter* tamen *non* peccat, etiamsi specialiter promiserit, se Missam votivam esse celebraturum; „tunc," ait Diana,[12]) „tenetur ex vi promissionis et veracitatis sub veniali peccato implere, sicut aliam quamvis promissionem, quæ non impleta non damnificaret proximum notabiliter." Ratio est, quia eadem est Missa quoad substantiam et æqualis valoris ex opere operato, ut notat *S. Thomas*,[13]) sive Missa votiva, sive diei currentis celebretur, fructus tantum medius seu specialis stipendium danti non ita applicatur, uti per Missam votivam juxta ejus intentionem fieri debebat. Cujus fructus diminutio petenti tantum detrimenti non affert, ut inde grave peccatum oriatur.[14]) Etsi virtus fide-

[12]) De celebr. Missæ p. 2. tr. 14. res. 31.

[13]) In 4. dist. 45. q. 2. art. 3.

[14]) Conf. *Diana* l. c. et p. 3. tr. 6. res. 62., *Bonacina* de Sacr. Euch. disp. 4. qu. ult. p. 7. § 3. n. 1., *Petr. Navarr.* de restit. lib. 2. cap. 2. n. 248.

litatis violatur, id non fit in materia gravi, dummodo Missa ad intentionem stipendium erogantis celebretur, quia sacerdos intentionem essentialiter adimplet, licet quoad circumstantiam accidentalem ei non satisfacit.[15]) Ceterum dicit *Cavalieri:*[16]) „Certum est, quod hujusmodi sacrificantes, dummodo Missam applicent ad finem præscriptum, ad restitutionem minime tenentur, quia fructus principalis et satisfactorius, cui respondet stipendium, æqualis est in Missis omnibus."

Ex quibus dictis erui potest, quomodo S. R. C. verba: *„propriæ obligationi non satisfacit* dicendo Missam de die occurrente loco votivæ" intelligenda sint, et sacerdotem, qui hucusque aliter egerit, non teneri sub gravi, novum sacrificium præstare, quia nec graviter peccaverit, nec ad restitutionem obligetur.

CAPUT II.

De obligatione celebrandi Missas de Requie.

Circa obligationem Missas de Requie celebrandi ante omnia inter Missas privatas et Anniversaria distinguendum est.

Quod Missas *privatas de Requie* attinet, sacerdos obligationi suæ per Missam diei currentis *satisfacit:*

1. *In duplicibus et æquivalentibus.* Quod declaravit S. R. C. in decreto generali de die 5. Aug. 1662. n. 2178. dicens: „Quodsi ex benefactorum præscripto Missæ hujusmodi (scil. *de Requie)* celebrandæ incidant in festum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus suffragia exspectantibus detrimento sit, sed dicantur de festo currenti cum applicatione sacrificii juxta mentem eorum benefactorum." Et juxta Constitutiones SS. PP. Alexandri VII.,[1]) Clementis IX.[2]) et Ven. Innocentii XI.[3])

[15]) *Quarti* p. 1. tit. 5. dub. 11.

[16]) Tom. III. cap. 10. n. 19.

[1]) 22. Jan. 1667. [2]) 23. Sept. 1669.

[3]) 4. Maji 1688. (vide Indicem collect. Gardell. v. *Altare*, ubi hæ Constitutiones in extenso inveniuntur.)

etiam Indulgentia altaris privilegiati lucratur per celebrationem Missæ officio diei correspondentis et cum colore paramentorum conveniente, cum applicatione sacrificii.

2. In *semiduplicibus* et diebus, quibus Missæ privatæ pro defunctis permittuntur, *similiter* sacerdos *satisfacit* oneri per Missam diei occurrentis. In una enim Brugen.[4]) quæsitum est, an sacerdotes, qui Missas privatas oblato manuali stipendio pro uno vel pro pluribus defunctis vel votivam in honorem alicujus Sancti habentes, celebrant conformes officio diei, diebus non impeditis satisfaciant suæ obligationi? Et S. R. C. respondit: *„Affirmative quoad Missas pro Defunctis juxta generale decretum diei 5. Aug. 1662."* „Quod idem est," adnotat De Herdt[5]) „ac si responderetur: Satisfaciunt in diebus, quibus per Rubricas Missas de Requie celebrare licet, sicut juxta decretum generale 5. Aug. 1662. satisfaciunt in duplicibus. Præterea idem confirmatur, per sequens decr. S. C. Ind. 14. Apr. 1840., in quo ad 1. petitur: »Utrum sacerdos satisfaciat obligationi celebrandi Missam pro defuncto, servando ritum feriæ vel cujuscumque Sancti, etiamsi non sit semiduplex aut duplex?« Et S. C. Ind. respondit: »Affirmative.« Apud Prinzivalli n. 500. Ita ut manifestum sit, celebrando Missam diei in diebus, quibus Missæ privatæ de Requie permittuntur, satisfieri obligationi celebrandi pro Defunctis . . ." Idem erui potest ex decretis infra citandis ejusdem S. C. Ind.[6]) et S. Rit. C.,[7]) quibus declaratum est, si diebus liberis coram Sanctissimo exposito celebretur, Indulgentiam altaris privilegiati non perdi; ergo necessario etiam obligationi satisfit, quia privilegium altaris et oneri satisfactio sunt connexa.

3. Excipitur tamen a) casus, quo fundator vel stipendium dans expresse rogaverit, ut Missa de Requie

[4]) Die 12. Sept. 1840. ad 7. n. 4897. (supr. in extenso allat.)
[5]) Liturg. prax. tom. I. n. 66.
[6]) Die 20. Julii 1751. et 11. Aug. 1864.
[7]) Die 14. Aug. 1858. in Limburg. n. 5255.

celebretur; „nam expressa voluntas testatorum vel postulantium, dummodo sit rationabilis, adimpleri debet," declaravit S. R. C.,[8]) b) casus, quem S. Alphonsus in theologia morali[9]) affert: „Omnino." inquit S. Doctor, „excipiendum est, si Missa dicenda sit in altari privilegiato, quæ in diebus permissis necessario celebranda est de Requie." Hæc sententia confirmatur decretis S. R. C. in una Rhedonen.[10]) et in una Bellicen.[11]), in quo dicitur: „Enuntiata decreta intelligenda esse de Missa Defunctorum seu de Requie, quæ omnino in casu dicenda est, quando a Rubrica permittitur," et decreto S. C. Ind.[12])

4. In hoc puncto modo dicto iterum excipitur Missa in altari privilegiato *coram Ss. Sacramento,* aut *solemnitatis causa* celebranda, quam de Requie esse non licet aut convenit, sed per quam Indulgentia lucrari potest, ac si celebraretur Missa de Requie, ergo sacerdos per talem Missam etiam oneri suo satisfacit. Ita declaravit tam S. C. Indulg., quam S. Rit. Congregatio. In una nempe Urbis et Orbis[13]) ad quæstionem: „An Missa de festo semiduplici, votiva, vel de feria celebrata in altari privilegiato, in quo exponitur Ss. Eucharistiæ Sacramentum sive in Ostensorio sive in Ciborio suffragetur pro Defunctis ac si Missa de Requie dicatur in casu?" respondit S. C. Ind. die 20. Julii 1751.: „Affirmative." Iterum eadem S. Congr. Ind. ad plurimorum Romani Cleri sacerdotum propositionem dubii: „Utrum sacerdos celebrans in altari privilegiato legendo Missam de festo semiduplici, simplici, votivam, vel de feria non privilegiata sive ratione expositionis Ss. Sacramenti, sive Stationis ecclesiæ, vel alterius Solemnitatis, aut ex rationabili motivo, fruatur privilegio, ac si legeret Missam

---

[8]) Die 3. Mart. 1761. in una Aquen. ad 14. n. 4299.
[9]) Lib. 6. tr. 3. n. 422.
[10]) Die 27. Aug. 1836. ad 5. n. 4780.
[11]) Die 22. Julii 1848. n. 5123.
[12]) Die 11. Apr. 1840. ad 2. ap. Prinz. n. 500.
[13]) Ap. Prinz. n. 200.

de Requie per rubricas eo die permissam?" respondendum esse duxit die 29. Febr. 1864.: „Affirmative, deletis tamen verbis *aut ex rationabili motivo.*" Quam sententiam Sanctitas Sua die 11. Apr. 1864. benigne confirmavit. [14]) Denique S. Rit. C. in una Limburg. [15]) ad quæstionem: „An Missæ (coram Sanctissimo solemniter exposito, quamvis numquam celebrari possint de Requie, tamen ex fundatione) pro defunctis applicandæ, beneficio altaris privilegiati quoad Indulgentiam plenariam pro defunctis lucrandam gaudeant?" rescribendum censuit: „Affirmative, dummodo altaria, ubi Missæ ejusmodi celebrantur, gaudeant privilegio apostolico pro animabus fidelium defunctorum."

5. Circa Anniversaria autem pro defunctis distinguendum est inter fundata cum cantu a) in die obitus, b) non in die obitus, sed pro aliis certis et determinatis diebus, c) sine fixa assignatione diei.

a) Anniversaria fundata cum cantu in die obitus celebrari debent per Missam de Requie, ut obligationi satisfieri possit. Alexander VII. enim in decreto generali [16]) statuit: „Anniversaria et Missas cantatas de Requie relictas ex dispositione testatorum, quotannis in die ipsorum obitus, etiam in duplici majori contingentis, posse celebrari, et non comprehendi in dicto decreto. (5. Aug. 1662.) Ulterius quoad altaria perpetuo privilegiata, et in quibus proinde quotidie, etiam in duplicibus, celebrandæ sunt Missæ *de Requie* ex obligatione, declaravit: per celebrationem Missarum de festo currenti satisfieri dictis obligationibus, et suffragari cum iisdem Indulgentiis, perinde ac si essent celebratæ Missæ de Requie ad formam privilegiorum." Ex quo patet, pro Anniversario in die obitus aliam Missam non esse cantandam, nisi de Requie, uti denuo S. R. C. [17]) confir-

[14]) Ap. Acta S. Sed. vol. I. pag. 42.
[15]) Die 14. Aug. 1858. n. 5255.
[16]) Die 1. Dec. 1666. n. 2385.
[17]) Die 22. Dec. 1753. in una Wilnen. ad 3. n. 4237.

mavit, ubi quæsitum est: „An obitus die impedito possit pro defunctorum anniversario cantari Missa de occurrenti festo vel feria privilegiata per applicationem?“ et eadem S. Congregatio respondit: „Negative.“ [18]) Propterea idem Pontifex declaravit, anniversaria in die obitus etiam in duplici majori cantari posse, et tantum, ubi ex obligatione Missæ de Requie quotidie in altari privilegiato cantandæ essent, his Missis per Missam diei satisfieri. [19]) Et si hæc anniversaria diebus impeditis occurrant, S. R. C. decrevit, [20]) ut in primam diem liberam differantur vel anticipentur.

b) Si Missæ de Requie non in die obitus, sed pro aliis certis et determinatis diebus in cantu fundatæ sunt, idem dicendum est, ut supra de anniversariis pro die obitus, et vel anticipari vel transferri debent in diem non impeditam: ergo his numquam per Missam diei satisfieri potest. Sed quando constat, benefactores vel testatores intendisse potius circumstantiam temporis, quam qualitatem Missæ, aut nolle Missam transferri, satisfieri obligationi potest per celebrationem Missæ currentis cum applicatione Sacrificii juxta mentem testatorum. [21])

c) Si agatur de Missis cantatis pro defunctis sine assignatione dierum, etiam cantandæ sunt de Requie, quoad fieri potest et quidem diebus liberis. In una enim Carthaginen. [22]) S. R. C. declaravit: „Missæ cantatæ de Requie a defunctis relictæ sine præfixione dierum debent celebrari diebus a Rubrica permissis.“ Quare S. R. C. concessit, ut plures Missæ de Requie cantentur diebus liberis. [23]) Si autem dies liberi non sufficiant, obligationi satisfieri potest talibus Missis fun-

[18]) Conf. decr. die 10. Martii 1708. in una Nolana. n. 3782.

[19]) Conf. decr. in una Portugallen. die 24. Nov. 1703. n. 3669.

[20]) Vide decr. supra in Append. IV. cap. 4. adn. 10. citata.

[21]) S. R. C. die 2. Sept. 1690. in una Baren. ad 1. n. 3228.

[22]) Die 23. Aug. 1766. ad 1. n. 4336.

[23]) Die 10. Martii 1708. in una Nolana n. 3782.

datis, per applicationem Missæ diei, ut S. R. C.[24]) declaravit.

Anniversaria autem stricte dicta, sed non in cantu fundata, diebus, quibus Missæ privatæ Defunctorum permittuntur, celebrari debent per Missam de Requie;[25]) si autem diebus impeditis occurrant, per Missam diei obligationi satisfieri potest.[26])

6. Sacerdos celebrans Missam de Requie satisfacit obligationi, quam suscepit celebrandi pro vivis, dummodo non expresse stipendium exhibens aliter præscripserit; item per Missam defunctorum obligationi satisfacit, dum nescit, utrum intentio fuerit pro vivis an pro defunctis, ut S. R. C. 29. Nov. 1856. in una Hierosolymitana declaravit. Quod decretum, licet in collectione Gardelliniana non inveniatur, revera tamen exsistit, et est hujus tenoris: „An liceat sacerdotibus celebrare Missam de Requie, ut satisfaciant obligationi, quam susceperunt, celebrandi secundum intentionem dantis eleemosynam, quando prorsus ignorant, quænam sit illius intentio pro defunctis, necne?“ S. R. C. respondit: „Affirmative.“

7. Circa peccatum, si sacerdos per Missam diei loco de Requie obligationi non satisfacit, remittimus Lectorem benevolum ad supra dicta I. n. 5. hujus capitis, quæ similiter ad Missas pro Defunctis referenda sunt. Addimus solum, quod *Quarti*[27]) dicit: „Sacerdotem peccare, sed solum venialiter, secluso scandalo; quia vel nullum, vel modicum damnum sequitur Defunctis.“

---

[24]) Die 24. April. 1706. in una Tranen. n. 3744.

[25]) S. R. C. die 3. Mart. 1761. in una Aquen. ad 14. n. 4299.

[26]) S. R. C. die 5. Aug. 1662. decr. gen. n. 2178. et die 23. Apr. 1875. in una De Venezuela ad 4. n. 5607.

[27]) p. 1. tit. 5. dub. 7. in fine.

APPENDIX SEXTA.

DE MISSA STATIONIS IN FESTO S. MARCI ET TRIDUO ANTE ASCENSIONEM DOMINI.

CAPUT UNICUM.

In festo S. Marci, die 25. Apr., etiamsi Officium illius Sancti transferri contingat, et in tribus feriis Rogationum celebranda est Missa Rogationum de præcepto et quidem *una* tantum ratione processionis.[1]) Si festum S. Marci transferatur, eo quod occurrat infra octavam Paschatis, aut in festo majoris ritus vel dignitatis, litaniæ et processio non transferuntur, nisi occurrat hoc festum in die Paschæ, quo casu litaniæ et processio fieri debent feria tertia proxime sequenti.[2])

2. Hæc Missa celebratur etiam in Dominicis, diebus infra octavam Paschatis, et quocumque festo occurrente,[3]) quamvis una tantum Missa celebretur vel legatur,[4]) etiam in ecclesia parochiali, in qua eadem Missa in Dominica a parocho pro populo applicari debet.[5])

3. Quo in casu processio ad ecclesiam fuerit ordinata, ubi eo die occurrit festum Titularis seu Patroni, sive sit S. Marcus sive alius Sanctus, Missa celebrari debet de Patrono cum commemoratione Rogationum sub una

---

[1]) S. R. C. die 12. Martii 1836. in Trident. ad 10. n. 4777.

[2]) S. R. C. die 25. Sept. 1627. in una Urbis n. 709.

[3]) S. R. C. die 16. Apr. 1853. in Ord. Min. ad 12. n. 5183.; die 14. Aug. 1858. in Briocen. ad 2. n. 5262., et die 5. Dec. 1868. in Lingonen. ad 2. n. 5417.

[4]) S. R. C. die 10. Jan. 1693. in una Galliar. ad 17. n. 3301.

[5]) S. R. C. decr. cit. n. 5262.

conclusione cum Oratione festi;[6]) dummodo festum non incidat intra triduum Paschatis, in quo Missæ Sanctorum occurrentium haudquaquam permittuntur.

4. Aliæ Missæ, præter Missam processionis, in die S. Marci seu die, in quam litaniæ transferuntur, celebrandæ sunt de officio currenti sine commemoratione Rogationum, cum hæc nullibi præscribatur; dummodo non fiat processio, quia tunc commemoratio Rogationum in Missa principali est facienda.[7])

5. Quando festum S. Marci occurrat feria II. Paschatis, post processionem legenda est Missa de die (i. e. feria II.) cum commemoratione Rogationum sub unica conclusione.[8])

6. In die S. Marci et triduo Rogationum, si fiat processio, in ecclesiis, in quibus una tantum Missa celebratur, Missa debet esse de Rogationibus cum commemoratione *festi* et tertia Oratione *Concede;* si autem processio non fiat, celebranda est Missa de festo occurrente cum commemoratione Rogationum.[9])

7. Si feria III. et IV. Rogationum festum duplex I. classis v. gr. Patroni vel Titularis propriæ ecclesiæ occurrat, dicitur post processionem Missa Rogationum, ultra conventualem de die, sed celebrari debet cum cantu etiam apud regulares. In aliis Missis autem non fit commemoratio de Rogationibus.[10]) Ubi autem non fit processio, commemoratio Rogationum facienda est tantum in Missa principali sub una conclusione.

8. Missa Rogationum in festo S. Marci et triduo Rogationum celebratur, prout habetur in Missali Romano post Dominicam V. post Pascha, uti votiva privata, ritu

---

[6]) Cærem. Episc. lib. 2. c. 32. n. 6.; S. R. C. die 23. Maji 1603. in Hispal. n. 194. et die 27. Febr. 1847. in Limburgen. ad 1—3. n. 5082.

[7]) S. R. C. die 12. Nov. 1831. in una Marsor. ad 37. n. 4669.

[8]) S. R. C. die 26. Martii 1859. in Sappen. n. 5288.

[9]) S. R. C. die 12. Nov. 1831. in una Marsor. ad 37. n. 4669. et die 23. Maji 1846. in Tudent. ad 2. n. 5050.

[10]) S. R. C. die 16. Apr. 1853. in Ord. Min. Observ. ad 12. n. 5183. et die 23. Apr. 1875. in Venezuela ad 5. n. 5607.

et tono feriali, in colore violaceo,[11]) sine *Gloria* et sine *Credo*, quamvis incidat in Dominicam vel infra octavam Paschæ;[12]) cum tribus Orationibus in Missa Rogationum præscriptis, sine commemoratione festi duplicis, semiduplicis et simplicis occurrentis, vel Dominicæ aut octavæ Paschæ, nisi unica tantum Missa in ea ecclesia cantetur aut legatur, in quo casu facienda est commemoratio festi occurrentis cum tertia Oratione *Concede*, ut supra diximus. In hac Missa semper dicitur Præfatio paschalis in cantu feriali,[13]) etiam infra octavam alicujus Sancti propriam Præfationem habentis, exceptis ecclesiis, in quibus in Missa Rogationum commemoratio octavæ locum habere debet i. e. in quibus una tantum Missa celebratur; nam in istis dicenda est Præfatio octavæ.[14]) Infra octavam Paschæ dicitur *Communicantes* et *Hanc igitur* proprium, ad *Benedicamus Domino* autem non additur *Alleluja*. In fine legitur Evangelium S. Joannis.

9. Organum pulsare in hac Missa licet[15]) et congruentius est Rubricis, ut hæc Missa cantetur, non tamen stricte præcipitur, nisi agatur de ecclesiis, in quibus Missa conventualis quotidie canenda est.[16])

10. Quoties processio in festo S. Marci et feriis Rogationum ob temporis inclementiam ab ecclesia egredi nequeat, congruentius est Rubricis, si in hoc casu processio intra ejus ambitum fiat,[17]) et tunc celebratur Missa Rogationum.

---

[11]) S. R. C. die 3. Jan. 1657. in Fesulan. n. 1810.

[12]) S. R. C. die 25. Sept. 1688. in Mutinen. n. 3170.; die 5. Julii 1698. in Collen. ad 17. n. 3477.; die 7. Sept. 1816. in Tuden. ad 30. n. 4526. et die 14. Aug. 1858. in Briocen. ad 2. n. 5262.

[13]) S. R. C. decr. cit. n. 5262.

[14]) S. R. C. die 17. Sept. 1853. in Veronen. ad 5. n. 5196.

[15]) S. R. C. die 3. Aug. 1839. in Piscien. ad 9. n. 4859.

[16]) S. R. C. die 14. Aug. 1858. in Briocen. ad 3. n. 5262.

[17]) S. R. C. decr. cit. n. 5262. ad 1.

APPENDIX SEPTIMA.

DE MISSA IN ECCLESIA ALIENA

SIVE

DE CONFORMITATE MISSÆ CUM OFFICIO ECCLESIÆ IN QUA CELEBRATUR.

CAPUT UNICUM.

Missa, quantum fieri potest, cum Officio concordare debet; nam S. Ecclesia Officium et Missam ad eumdem finem ordinat, nempe ad idem Mysterium vel eumdem Sanctum colendum. Itaque in genere dicendum est, sacerdotem, etiam in ecclesia aliena celebrantem, quoad Missam suo Officio se conformare debere, in quantum Missa ecclesiæ alienæ diversum colorem non exigat, saltem in Officio duplici vel æquivalente, quod Missas votivas et de Requie excludit. Attamen ex diversis S. R. C. decretis quædam regulæ componi poterunt, quomodo sacerdos se gerere debeat, si suum Officium recitatum cum Missa ecclesiæ alienæ, in qua celebrat, non concordet.

2. Juxta S. R. C. decreta ergo sacerdos sive sæcularis sive regularis Missam in ecclesia aliena celebrans in sequentibus casibus illi se conformare tenetur.

a) Quando in ecclesia aliena celebratur festum duplex, vel de Dominica, vel aliud æquivalens, quod Missas votivas et de Requie excludit et color Officii ecclesiæ est diversus a colore Officii celebrantis.[1])

---

[1]) S. R. C. die 7. Maji 1746. in Varsavien. ad 13. n. 4181.; die 7. Sept. 1816. in Tuden. ad 18. et 19. n. 4526.; die 16. April. 1834. in Ord. S. Joann. de Deo ad 2. n. 4725.; die 27. Febr. 1847. in Rhemen. n. 5075. et die 17. Sept. 1853. in Calatayeronen. ad 1. et 2. n. 5195.

b) Quando in ecclesia aliena celebratur festum cum solemnitate et concursu populi, etiamsi celebrans in suo Officio habeat ritum duplicem I. vel II. classis.[2])

c) Sacerdos, supplens vices parochi absentis vel infirmi, seu vocatus ad satisfaciendum oneribus alicujus ecclesiæ, suum Officium, quamvis sit duplex I. vel II. classis, prorsus negligere et Officio ecclesiæ alienæ se conformare tenetur, cantando Missam de die, vel votivam, vel de Requie ad formam et ritum ejusdem ecclesiæ. Hoc tamen intelligendum est tantum de Missa, quæ in sensu stricto ad jura parochialia pertinet, qualis est Missa *cantata*, vel Missa *parochialis* sive cantata sive lecta diebus festivis, Dominicis et festis feriatis, vel *exsequialis*, vel *nuptialis* etc., non autem Missa privata occasione exsequiarum aut anniversariorum celebranda.[3])

d) Quando celebrans habet Officium duplex de aliquo *Beato* non canonizato, qui in Kalendario ecclesiæ alienæ, in qua celebrare vult, non invenitur, ecclesiæ alienæ se conformare debet. In una Tuden.[4]) enim quæsitum est: „Cum Missæ de *Beatis* celebrari possint tantum in illis ecclesiis, pro quibus concessum est officium ipsorum, dubitatur: utrum sacerdotes recitantes officium de *Beato*, sed celebrantes in ecclesia, ubi fit de Sancto, possint dicere Missam officii, vel teneantur se conformare ecclesiæ, in qua celebrant?“ Et S. R. C. respondit: „Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.“ Idem S. R. C. declaravit[5]) in una Albien., decisionem modo allatam citans. Et in decreto gene-

---

[2]) S. R. C. die 11. Junii 1701. in Tert. Ord. S. Franc. ad 1. n. 3586.; die 29. Jan. 1752. in Ord. Carmelit. ad 10. n. 4223. et die 22. Mart. 1817. in Ord. S. Franc. Reform. ad 1. n. 4533.

[3]) S. R. C. die 29. Jan. 1752. in Ord. Carmelit. ad 11. n. 4223.; die 15. Dec. 1691. in Neapolit. n. 3259. et die 23. Maji 1846. in Tuden. ad 5. n. 5050.

[4]) Die 7. Sept. 1816. ad 17. n. 4526.

[5]) Die 20. Mart. 1869. ad 5. n. 5423.

rali[6]) dicitur: „Missæ, quæ fuerunt indultæ certis personis, nempe presbyteris regularibus alicujus loci, vel monasterii, seu presbyteris alicujus ecclesiæ servitio præcipue addictis, a confluentibus sacerdotibus, quavis dignitate, etiam Cardinalatus, insignitis, minime celebrentur."

Si sacerdos, habens officium de *Beato,* vel itineris vel peregrinationis causa, vel ex alia qualibet ratione in ecclesia aliena celebrare debeat, ubi fit de *alio Beato,* in hac ecclesia non potest, sed *debet alibi* celebrare.[7])

Si vero sacerdotem, habentem officium de *Beato,* in ecclesia aliena, in qua similiter de *alio Beato* fit, celebrare oportet *ex aliqua necessitate,* non autem devotionis causa, ecclesiæ, in qua celebrat, se conformare potest.[8])

e) Confessarii et capellani aliique omnes et singuli, celebrantes ex debito Missam conventualem in ecclesia Monialium, quæ ad chorum stricte sunt professæ et totum officium canonicum recitant, Missam conventualem dicere possunt et debent conformem officio Monialium,[9]) dummodo Missali Romano utantur. Id valet etiam in casu, quo Monialium officium sit inferioris ritus, quam quod capellanus privatim recitat.[10])

Confessarii et capellani itaque in prædicto casu debent officium proprium prorsus negligere et Missam celebrare conformem officio et in colore ejusdem officii, quod a Monialibus in choro recitatur, omnesque commemorationes facere, quas facerent, si Monialium officium recitassent, Missa tamen sumenda est ex Missali Romano

[6]) Die 27. Sept. 1659. ad 6. n. 2002.

[7]) S. R. C. die 11. Junii 1701. in una Venetiar. ad 3. n. 3588. et die 17. Julii 1876. Sanctimonial. Ord. S. Bened. Congr. Cassinen. ad 4. n. 5672.

[8]) S. R. C. die 13. April. 1867. in una Ord. Prædicat. n. 5377.

[9]) S. R. C. decr. cit. n. 3588. ad 1.; die 11. Febr. 1702. in Tarvisin. ad 3. n. 3617.; die 1. Dec. 1717. decr. gener. n. 3904.; die 20. Sept. 1806. in Corduben. ad 12. et 13. n. 4501. et die 7. Sept. 1844. Sanctimonial. Ord. Capucc. n. 5005.

[10]) S. R. C. die 18. Martii 1702. in Neapolitan. ad 2. n. 3622.

et juxta illius Rubricas. Idem valet, quando in Monachorum monasteriis sacerdotes extranei honoris causa invitantur ad dicendam Missam conventualem, communitate assistente, sive cum cantu, sive absque cantu celebretur, in quo casu etiam Missali Ordinis uti et Missas tali religioni concessas dicere possunt.[11])

Quamvis Confessarii et capellani etc. Missam conformem Monialium officio celebrare possint, non tamen tenentur, nisi in sequentibus casibus: *α)* si Monialium officium est duplex et ejusdem color non concordat cum officio celebrantis;[12]) *β)* si ex statuto aut consuetudine Missa conventualis præscribitur;[13]) *γ)* si Missa conventualis solemniter sive cum cantu celebratur.[14])

3. Claritatis causa plures casus notare libet, qui ex supradictis regulis colligi possunt.

a) Sacerdos, quando habet officium *duplex I. classis* et in ecclesia aliena, in qua celebrat, similiter fit de festo *duplici I. classis* sed *cum solemnitate et concursu populi*, ecclesiæ alienæ se omnino conformare debet.[15])

b) Si sacerdos, habens officium *duplex I. vel II. classis*, in ecclesia aliena celebret, ubi est festum *duplex majus* vel *minus* et Missa in colore non differt, tenetur celebrare Missam juxta suum Kalendarium.

c) Sacerdos, si recitat officium ritus *duplicis majoris* vel *minoris*, et in ecclesia aliena, in qua celebrat, fit de alio *duplici* festo, Missam celebrare debet de Officio, quod recitavit, dummodo cum colore ecclesiæ, in qua celebrat, aptetur.[16]) Cum autem insuper S. R. C.[17])

---

[11]) S. R. C. die 25. Sept. 1875. Ord. Cisterciens. Congr. Trappist. ad 4. n. 5638.

[12]) S. R. C. die 17. Sept. 1853. in Calatayeronen. n. 5195.

[13]) S. R. C. die 20. Sept. 1806. in Corduben. ad 13. n. 4501.

[14]) S. R. C. decr. cit. n. 4501. ad 12.

[15]) S. R. C. die 11. Junii 1701. in Tert. Ord. S. Franc. ad 1. n. 3586.

[16]) S. R. C. die 7. Maji 1746. in Varsavien. ad 13. n. 4181. et die 12. Nov. 1831. in Marsor. ad 31. n. 4669.

[17]) In una Quebecen. die 23. Maji 1835. ad 1. n. 4751.

declaraverit, celebrantem in ecclesia aliena in duplicibus **posse** se conformare suo Officio, quod recitavit, si respondeat color paramentorum, videtur non agere contra decreta, qui Missam juxta Kalendarium ecclesiæ alienæ celebrat, imo in *duplicibus I. et II. classis* ecclesiæ alienæ se conformare *tenetur*, ut ex tabella I. infra posita erui potest.

d) Sacerdos, qui recitavit officium de festo *duplici* et celebrat die *Dominico* in ecclesia aliena, ubi fit de *Dominica*, tenetur legere Missam officio suo respondentem, si *color idem* est; si vero *color differt*, tenetur dicere Missam *de Dominica cum commemoratione sui festi* secundo loco. Conf. tabella II. infra posita.

e) Quando sacerdos, habens officium de *Dominica infra octavam* (quare in Missa ejus color albus vel rubeus præscribitur) celebrat in ecclesia aliena, in qua fit de Dominica in colore *viridi*, se conformare debet ecclesiæ alienæ, potest tamen, sed non debet, addere commemorationem suæ octavæ, servata Rubrica[18]) de duplici Oratione in Dominica infra octavam.[19])

f) Sacerdos, habens officium de Dominica in colore *viridi*, quando celebrat in ecclesia, ubi fit de *Dominica infra octavam*, diverso colori debet se conformare.[20])

g) Quando sacerdos, habens officium *semiduplex* vel *inferioris* ritus, celebrat in ecclesia aliena, in qua fit officium *duplex* sive ejusdem sive diversi coloris, Missam *votivam* legere *non* potest, quia officium ecclesiæ, cui se conformare debet, Missam votivam prohibet.[21])

h) Quando sacerdos recitat officium ritus *duplicis* et celebrat in ecclesia, in qua fit de *semiduplici* vel *æquivalente*, Missam *votivam* dicere *non* potest, quia

---

[18]) p. I. tit. 9. n. 10.

[19]) S. R. C. die 11. Junii 1701. in Tert. Ord. S. Franc. ad 4. n. 3586.

[20]) S. R. C. decr. cit. n. 3586. ad 3.

[21]) S. R. C. die 11. Sept. 1847. in Lugdun. ad 3. n. 5116.

officium proprium, cui se in casu conformare debet, Missas votivas excludit.[22])

i) Quando sacerdos, habens officium *duplex* aut *æquivalens,* quod Missas de Requie excludit, celebrat in ecclesia, in qua fit de *semiduplici* vel *simplici* vel *vigilia* aut *feria, non* potest legere Missam de *Requie* ob proprium officium *duplex,*[23]) nisi habet ecclesia speciale privilegium, cujus vi sacerdos exterus, qui recitavit officium duplex, in ea diebus semiduplicibus aut feriis Missam de Requie celebrare potest, uti hoc privilegium exsistit pro ecclesiis Ordinis Minorum S. Francisci et Capuccinorum.[24])

Si tamen in illa ecclesia aliena fiant *exsequiæ* pro aliquo defuncto *præsente corpore,* vel *anniversaria,* vel aliquod simile officium pro defunctis, sacerdos, quamvis habeat officium duplex, potest dicere Missam de Requie, quando nempe ratione prædictarum exsequiarum vel anniversarii celebrat.[25])

k) Vicissim, si sacerdos, qui recitavit officium *semiduplex,* vel *simplex,* vel *feriale,* illo die celebrat in aliqua ecclesia, in qua eodem die fit de officio *duplici, non* potest dicere Missam de *Requie,* ob officium *duplex* ecclesiæ, cui se quoad colorem saltem conformare debet.[26])

l) Si sacerdos, habens officium *semiduplex,* celebrat in ecclesia, ubi pariter fit de *semiduplici,* Missam legere potest juxta suum Kalendarium vel ecclesiæ alienæ, vel votivam aut de Requie, quatenus regulæ liturgicæ ejusmodi Missam permittunt.

---

[22]) S. R. C. die 7. Sept. 1816. in Tuden. ad 20. n. 4526. et die 16. Decembr. 1828. in Volaterran. ad 6. n. 4645.

[23]) S. R. C. decr. cit. n. 4645. ad 6.

[24]) S. R. C. die 5. Decembr. 1868. in Lyren. ad 1. n. 5419.

[25]) S. R. C. die 23. Aug. 1704. in Ord. Eremit. Camaldul. ad 7. n. 3703.; die 29. Jan. 1752. in una Ord. Carmelit. Excalc. ad 11. n. 4322. et die 3. Martii 1866. in una Dubior. ad 3. n. 5358.

[26]) S. R. C. die 9. Junii 1668. in Conversana n. 2438. et die 7. Maji 1746. in Varsavien. ad 13. n. 4181.

m) Quando celebrans habet officium *duplex* de aliquo *Beato* non canonizato, qui in Kalendario ecclesiæ alienæ, in qua celebrare vult, non invenitur, et ibi fit festum *semiduplex* vel de *feria*, potest dicere Missam de *Requie* vel *votivam*, si vi stipendii accepti ad talem Missam sit obligatus, quia semper potest se conformare Ecclesiæ, in qua celebrat.[27])

4. Ad majorem celebrantium commoditatem adjiciamus binas tabellas pro Missis privatis, quæ, etsi authentica non fulciantur auctoritate, publice tamen traduntur tamquam a S. R. C. Secretario recognitæ et approbatæ,[28]) quarum prior proponit regulas servandas, quando color est idem, posterior vero, quando color est diversus.

I. Tabella

si in utroque officio idem color sit.

Officium Celebrantis	Officium Ecclesiæ alienæ						
	Dominicæ	0	2	0	2	1	0
	Duplicis 1. vel 2. classis	3	3	3	3	1	3
	Duplicis maj. vel. min.	5	5	5	4	1	4
	Semiduplicis	4	4	4	2	1	0
	Diei infra octavam	4	4	4	2	1	5
	Simplicis, Vigiliæ	4	4	4	2	1	0

0. Casus impossibilis, vel in quo nihil observandum.
1. Missa conformis officio alienæ Ecclesiæ.
2. Item rectius dicitur.
3. Missa conformis officio Celebrantis.
4. Missa alterutro officio conformis.
5. Missa conformis officio Celebrantis rectius dicitur.

Simplicis, Vigiliæ | Diei infra octavam | Semiduplicis | Duplicis maj. vel min. | Duplicis 1. vel 2. classis | Dominicæ

[27]) S. R. C. decr. supra cit. n. 4526.
[28]) Rev. theol. ap. Falise pars post. sect. 2. cap. 1. §. 7.

II. Tabella

si in utraque Ecclesia officium et color differant.

Officium Celebrantis	Officium Ecclesiæ alienæ	Dominicæ	Duplicis 1. vel 2. classis	Duplicis maj. vel min.	Semiduplicis	Diei infra octavam	Simplicis, Vigiliæ
Dominicæ		0	1	0	1	1	1
Duplicis I. vel II. classis		3	3	3	1	1	2
Duplicis maj. vel. min.		3	3	3	1	1	2
Semiduplicis		4	4	4	1	1	0
Diei infra octavam		4	4	4	1	1	2
Simplicis, Vigiliæ		4	4	4	1	1	1

0. Casus impossibilis.
1. Missa et color alienæ Ecclesiæ.
2. Item, sed fit commem. duplicis, more simplicis; aut octavæ sine 3. oratione.
3. Missa et color conformis officio Celebrantis.
4. Missa et color concordant cum alterutro officio.

5. Quæ hactenus de ecclesia aliena dicta sunt, æque valent pro *Oratorio publico*, in quo Missa celebranda est juxta Kalendarium diœcesanum aut regulare, prout Oratorium pertinet ad sæculares vel regulares et ab iis administratur.[29]) Oratorium autem publicum est, quod episcopi auctoritate erectum, ad Dei cultum perpetuo dedicatum et consecratum vel solemniter saltem benedictum est et ingressum liberum in via publica habet.

Oratoriis publicis *æquiparantur* quoad Missæ celebrationem sacella seu capellæ in locis piis et religiosis auctoritate S. Sedis sive licentia Ordinarii erectæ, quæ alicujus collegii, seminarii, congregationis aut familiæ religiosæ, vel hospitalitatis, nosocomii, orphanotrophii

[29]) S. R. C. die 22. Martii 1817. in Ord. S. Franc. Reform. ad 1. n. 4533. et die 16. Decembr. 1828. in Volaterrana ad 1. et 2. n. 4645.

aut etiam carcerum publicorum libero usui et commoditati destinatæ sunt.[30])

6. In *Oratorio privato* econtra Missa semper concordare debet cum officio, quod celebrans persolvit, quamvis foret de aliquo *Beato* non canonizato, exceptis diebus, quibus ex proprii Kalendarii præscripto Missæ votivæ privatæ et de Requie admittuntur.[31]) Solum in festo Titularis parochiæ, quod non inducit præceptum audiendi sacrum et abstinendi a servilibus, celebranda est hæc Missa festiva sine respectu ad proprium Kalendarium celebrantis, quia hoc festum totam parochiam respicit.[32])

In Oratorio privato, quod intra privatæ domus parietes et ad alicujus privatæ familiæ commodum erigitur, ideoque non habet aditum, *etiam fideli populo apertum*, per viam communem, Missa celebrari non potest, nisi ex concessione S. Sedis apostolicæ; neque licet ulli episcopo, hujusmodi licentiam quocumque sub obtentu concedere, ne pro actu quidem transeunte;[33]) nisi tamen *magnæ* et *urgentes* causæ adsint, et tunc per modum *actus* (transeuntis) tantum.[34]) Quod uberius vi facultatum Quinquennalium episcopis concessum est, si necessitas, præsertim publica, urgeat.

Ejusmodi Oratorium, priusquam in eo celebretur, auctoritate Ordinarii visitandum est, utrum locus omnino decens sit, *super* Oratorio cubiculum dormitorium non habeatur,[35]) nihil indecens *prope* illud vel *in* illo reperiatur, altare portatile sit consecratum etc.

Quoad celebrationem, Missarum numerum etc. stricte observari debet tenor indulti apostolici. Generatim autem

---

[30]) S. R. C. die 22. Maji 1841. in Meliten. n. 4922. et die 22. Julii 1855. in Suessionen. ad 3. n. 5215.

[31]) S. R. C. die 12. Nov. 1831. in Marsor. ad 31. n. 4669.; die 23. Maji 1835. in Quebec. ad 1. n. 4751. et die 16. April. 1853. in Ord. Min. S. Franc. ad 14. n. 5183.

[32]) S. R. C. die 11. April. 1840. in Barchinonen. ad 3. n. 4878.

[33]) S. C. Conc. die 23. Jan. 1847. in Monast.

[34]) S. C. Conc. die 20. Dec. 1856.

[35]) S. R. C. die 12. Sept. 1840. in Apuana n. 4895.

in Oratorio privato singulis diebus Missa celebrari potest, exceptis sequentibus diebus: festo Nativitatis et Epiphaniæ Domini, feria V., VI. et Sabbato majoris hebdomadæ, festo Paschatis, Ascensionis et Pentecostes, Annuntiationis, Assumptionis et Immacul. Conceptionis B. M. V., S. Joseph, Sponsi B. M. V.[36]) Ss. Ap. Petri et Pauli et Omnium Sanctorum[37]) et festo Patroni civitatis vel diœcesis;[38]) non vero festo titulari ecclesiæ, quod in foro non est festum de præcepto.[39])

Ubi juxta indultum apostolicum *solemnitas externa* festorum Epiphaniæ Domini, Ss. Apost. Petri et Pauli et S. Patroni diœcesis in Dominicam sequentem transfertur, prohibetur Missæ celebratio *ipso die festo*, non vero in ista Dominica.[40])

Sacerdos, cui *propter infirmitatem* in sacello suo domestico Missæ celebratio ab apostolica Sede conceditur, in omnibus supradictis festis, imo die Nativitatis Domini tres Missas, in eodem celebrare potest.[41])

7. Quoties sacerdos celebrans in ecclesia aliena vel Oratorio publico item alieno se officio illius conformare tenetur, Missa ab eo dicenda est, uti in Directorio ecclesiæ alienæ præscribitur, cum Gloria, Credo, Præfatione et commemorationibus, prout ibidem notatur.[42]) Si vero *propria* Missa in ecclesia aliena præscribatur, *non hæc propria* legenda est, sed Missa tunc sumi debet ex Missali Romano, sive ex Proprio sive Communi Sanctorum, nisi Missa vel Orationes particulares ex speciali privilegio S. Sedis pro ipso celebrante concessæ sint.[43])

---

[36]) S. R. C. die 7. Febr. 1874. in Veronen. ad 2. n. 5569.

[37]) S. R. C. die 17. Nov. 1607. in Calaguritana n. 364.

[38]) S. R. C. die 11. April. 1840. in Barchinonen. ad 3. n. 4878.

[39]) S. R. C. decr. cit. n. 4878.

[40]) S. R. C. die 23. Maji 1835 in Namurcen. ad Dub. 14. qu. 8. n. 4746.

[41]) Anal. Juris Pontif. tom. 3. pag. 647.

[42]) S. R. C. die 11. Junii 1701. in Tert. Ord. S. Franc. ad 4. n. 3586. et die 7. Maji 1746. in Varsavien. ad 13. n. 4181. Conf. Merati p. I. tit. 1. n. 1. et Cavalieri tom. III. in append. ad cap. 9. decr. 2.

[43]) S. R. C. die 31. Aug. 1867. in Mechlinien. ad 2. n. 5381.

Quodsi pro tota diœcesi vel regno Missa propria concessa sit, hæc ab aliis in eodem loco celebrari potest; quia privilegium in casu potius locum, quam personas afficit, censetur concessum pro omnibus celebrantibus in isto loco, et quilibet legibus et consuetudinibus loci se conformare potest.[44])

8. Quoties autem sacerdos in ecclesia aliena celebrat juxta proprium Kalendarium, huic sese omnino conformare debet, excepta commemoratione alicujus Beati, in Kalendario ecclesiæ alienæ non comprehensa, quæ prætereunda est. Potest addere *Credo*, si in officio proprio præscribatur; dummodo non sit addendum ratione reliquiæ insignis, quæ asservatur in ecclesia, cui sacerdos ille quoad suum officium addictus est, vel ex privilegio in propria ecclesia, vel ratione festi titularis seu patroni ecclesiæ propriæ, quia tunc sacerdos tantum in ipsa ecclesia symbolum dicere potest, at non, si extra eamdem celebret in alia ecclesia, nisi Missa titularis aliunde *Credo* exigat v. gr. si patronus sit Apostolus vel Doctor etc.[45]) Si vero Missa aut Orationes propriæ in Missali non continentur, sumuntur de Communi, Evangelium tamen Evangelio officii respondere debet.[46])

9. Sacerdotes *sæculares*, in *regularium* ecclesiis celebrantes, omnes supradictas regulas de celebratione in ecclesia aliena observare debent; atque insuper: a) Missam omnino cum Missali Romano et juxta illius Rubricas celebrent oportet;[47]) b) Missas *proprias* regularibus a S. Sede concessas dicere *non* possunt, nisi constet de speciali indulto.[48]) Tale privilegium Benedictus XIII.[49])

---

[44]) Quarti p. I. tit. 14. dub. 2.

[45]) S. R. C. die 23. Mart. 1709. in Perusina ad 1. n. 3804.; die 12. Nov. 1831. in Marsor. ad 31.; die 6. Sept. 1845. Ord. Min. S. Franc. Capucc. n. 5031. et 11. Apr. 1840. in Brachinonen. ad 6. n. 4878.

[46]) S. R. C. die 1. Sept. 1804. in Tuden. ad 9. Dub. Calend. 10. n. 4495.

[47]) S. R. C. die 26. Jan. 1664. in Nullius Prov. Senen. n. 2259.; die 13. Febr. 1666. in decr. Notanda ad Missale Fratr. Minor. ad 4. n. 2362. et die 22. Maji 1683. in Mont. Regal. n. 3023.

[48]) S. R. C. die 31. Aug. 1867. in Mechlinien. ad 2. n. 5381.

[49]) Die 10. Febr. 1727. et S. R. C. die 21. Mart. 1744. in Patavin. n. 4154.

dedit ecclesiis Benedictinorum utriusque sexus, ita ut in festo et per octavam S. Benedicti quilibet sacerdos Missam propriam cum Præfatione propria ut in Missali monastico dicere possit et debeat. Clemens XIV.[50]) concessit, ut sacerdotes sive sæculares sive regulares in ecclesiis Eremitarum S. Augustini celebrantes Missali Augustiniano uti possint. Pius VI. simile privilegium pro celebrantibus in ecclesiis Ordinis Minorum S. Francisci[51]) concessit; item pro ordine Carmelitarum discalceatorum utriusque sexus,[52]) et pro ordine Capuccinorum.[53]) Pius IX.[54]) concessit, ut quilibet sacerdos sive sæcularis sive regularis in ecclesiis Congregationis Ss. Redemptoris omnes Missas a S. Sede eidem Congregationi indultas, etiam Beatorum, celebrare possit.

10. Sacerdotes *regulares* a) festis principalibus et per eorum octavas possunt addere in Missa Symbolum, etiam quando celebrant in ecclesia aliena.[55]) Si vero ratione reliquiæ insignis, quæ veneratur in ecclesia propria, addendum est *Credo*, omittere debet religiosus extra ecclesiam propriam celebrans;[56]) b) Missas de *Beatis* religiosi non possunt dicere extra ecclesiam propriam.[57])

11. Si Confraternitates, *propriam* ecclesiam non habentes ideoque in ecclesia parochiali vel alia exsistentes, festum *titulare* vel *proprium* patrocinium solemniter celebrent, sacerdotes ad dictam ecclesiam confluentes, *non* possunt in Missa addere *Credo* et unicam Orationem dicere *ratione* ejusdem festivitatis.[58])

---

[50]) Die 28. Junii 1773.
[51]) Die 5. Sept. 1775.
[52]) Die 14. Aug. 1777.
[53]) Die 15. Julii 1778.
[54]) Die 11. Julii 1861.
[55]) S. R. C. die 18. Dec. 1779. in Ord. Min. S. Franc. ad 7. n. 4395.
[56]) S. R. C. die 2. Dec. 1684. ad Can. Regul. Later. ad 1. et 2. n. 3073.
[57]) S. R. C. die 20. Martii 1869. in Albien. seu Tert. Ord. Reg. de Pœnit. S. Franc. ad 5. n. 5423.
[58]) S. R. C. die 22. Sept. 1837. in Mutinen. ad 12. qu. 2. n. 4815.

APPENDIX OCTAVA.

DE OFFICIO DUORUM CAPELLANORUM IN MISSA PRIVATA AB EPISCOPO CELEBRATA.[1])

CAPUT I.

De rebus præparandis.

Quando episcopus Missam privatam celebrat, valde conveniens est, ut duos saltem capellanos, superpelliceis seu cottis mundis indutos apud se ministrantes habeat, qui omnia disponere sciant et possint.[2]) Capellani, quamvis immediate assistant episcopo, stolam assumere non possunt.[3])

2. Cum episcopus paramentis pro Missæ celebratione non in sacristia induatur, sed ea ex ipso altari, in quo celebrat, accipiat, capellani paramenta in medio altari præparant et quidem ordine retrogrado, nempe planetam, stolam, cingulum, albam et amictum; et si episcopus sit regularis, etiam superpelliceum. In cornu Evangelii prope alia paramenta ponitur manipulus et in cornu Epistolæ Missale apertum super legili seu cussino. Tabellæ non apponuntur, quia canon pontificalis earum locum supplet.

3. Exposito Ss. Sacramento, episcopus se induit in sacristia, vel saltem ad credentiam extra conspectum Ss. Sacramenti positam.[4])

---

[1]) Hic præsertim sequimur Martinucci, qui in Manuali Cærem. lib. 5. cap. 6. praxim Romanam optime exponit.

[2]) Cærem. Episcop. lib. I. cap. 29. n. 2.

[3]) S. R. C. die 12. Mart. 1836. in Valentinen. n. 4778. et die 4. Sept. 1875. in Zacathecas n. 5624.

[4]) Cærem. Episc. lib. II. cap. 33. n. 30. et Catalan. hoc loco n. 10.

4. In credentia seu abaco ponuntur calix præparatus et velo coopertus, ampullæ vini et aquæ in pelvicula, campanula, duo intortieia pro elevatione, urceus cum aqua et manutergium super pelvim.

5. Ante altare ponitur faldistorium seu genuflexorium ad genuflectendum, dum episcopus orationes præparatorias ad Missam recitat, et super genuflexorio Canon pontificalis et bugia cum candela accensa a latere sinistro. In altari accenduntur saltem quatuor cerei. [5])

6. Quando capellani rem aliquam episcopo porrigunt, osculari debent prius rem, deinde manum, seu annulum episcopi; si vero aliquod ab ipso accipiunt, osculantur prius manum, deinde rem acceptam, excepta Missa de Requie, in qua omnia oscula, etiam infra Missam, omittuntur. Quotiescumque ante crucem altaris transibunt, genuflectere debent, etiamsi Ss. Sacramentum in altari non asservatur.

7. Si præter capellanos alii clerici adsunt, se gerunt sicut ministri in Missa privata, permanent ac genuflectunt apud credentiam, ampullas afferunt, campanulam pulsant et cereos ad elevationem sustinent.

CAPUT II.

De rebus in functione agendis.

Mora statuta duo capellani Episcopo ad portam ecclesiæ vel sacristiæ obviam occurrere possunt, ac si ecclesiæ rector absit, senior eorumdem adspersorium ei præsentat sub consuetis osculis.

2. Dum episcopus in faldistorio genuflexus præparationem facit, primus capellanus accipit bugiam cum candela accensa et sistit a sinistris episcopi, alter autem a dextris ejus, ut folia Canonis vertat.

3. Finita præparatione primus capellanus bugiam tenens, alter canonem de genuflexorio accipiens, ante

[5]) Catalan. in Cærem. Episc. lib. I. cap. 29. n. 4.

episcopum reverentiam faciunt, accedunt ad altare, genuflectunt, adscendunt ad illud et primus ponit bugiam ad dexteram Missalis, alter loco secretarum in medio altaris canonem apertum ad folium, cui impressa sunt hæc verba: *Aufer a nobis.* Deinde de altari descendunt, et ante infimum gradum genuflectunt, dum episcopus reverentiam facit. Primus ab episcopo crucem pectoralem aufert, eamque ei osculandam præbet et super altare deponit, alter tollit mozzettam seu mantelletum, quod familiari tradit, qui deponit illud super genuflexorio. Mozzetta, dum episcopus celebrat in sua diœcesi, ponitur expansa super faldistorio, ita ut ejus caputium sit versus altare, et oræ ejus circum circa defluant; extra diœcesim mantelletum ejus ponitur plicatum super aliqua mensa, vel alio loco congruo. [1])

4. Si episcopus sit regularis, induitur a capellanis ante lotionem manuum superpelliceo. Juxta Castaldum [2]) episcopus birretum in capite habeat oportet, dum manus lavat et paramentis induitur, solum illud amovendo, dum accipit amictum, albam et planetam; Bauldry [3]) et Catalanus [4]) autem censent, episcopo tantum ad manuum lotionem birretum capiti imponendum esse, et etiam decere, ut paramenta detecto capite accipiat, quia interim orationes recitat. Si familiares adsunt, ministrant tunc lotionem et primus capellanus porrigit mantile osculis usitatis, deinde accipit birretum ab episcopo et ponit super genuflexorio; si familiares desunt, primus capellanus porrigit mantile, quod semper facit etiam ad *Lavabo* post Offertorium et post Communionem, [5]) alter urceum cum pelvi, et si episcopus est ordinarius, unico genu flectunt.

5. Deinde secundus capellanus adscendit ad altare et primo porrigit paramenta, quos hic induit episcopo,

[1]) Bauldry p. V. cap. 29. n. 15.
[2]) Lib. 2. s. 8. cap. 9. n. 5.
[3]) l. c. n. 4.
[4]) In hunc locum §. 1. n. 15.
[5]) Cærem. Episc. l. c. n. 10.

nempe amictum, albam, crucem pectoralem, stolam, quam prius osculatur non in medio seu ad crucem, sed a latere,[6]) et planetam; in Missa de Requie vero „imponitur Episcopo manipulus statim post planetam, antequam Missam incipiat", dicit Martinucci;[7]) Baldeschi tamen scribit: „In Missis pro defunctis manipulum accipit et deponit, ut simplex sacerdos."[8]) „Ille qui induit episcopum et accipit paramenta, partem anteriorem eorum habeat versus se, et posteriorem ad extra. Sed si ille, qui accipit ea immediate de altari, eadem ministraturus est alicui alteri capellano, partes posteriores tenebit versus se, et anteriores ad extra."[9])

6. Episcopo parato, secundus manipulum accipit et ad episcopi sinistram accedit, primus stat a dextris. Dum episcopus reverentiam facit, genuflectunt, sed paulo retro post eum eique respondent sicut alteri celebranti. Cum episcopus dicit: *Indulgentiam*, secundus capellanus surgit, manipulum in alterutra cruce laterali osculatur, deinde episcopo cum reverentia[10]) osculandum porrigit in loco crucis, ejus brachio sinistro imponit, simulque ejus manum osculatur;[11]) deinde rursus genuflectit. Quando episcopus ad altare adscendit, capellani cum ipso simul adscendunt, dimidium fere passum post eum subeuntes, et aliquantulum anteriores vestium fimbrias attollentes.

7. Postquam episcopus altare osculatus fuerit, capellani simul cum eo ad latus Epistolæ procedunt, primus stat a dextris ejus, et indicat digito Introitum, Orationes et reliqua, bugiam manu dextera tenens et vertit folia

---

[6]) „Stolam deinde etiam in parte deosculatam, Episcopo deosculandam offert, eamque super ejus humeros applicat, ita ut, nec ejus collum tegat, nec transversa sit in modum crucis, sed æqualiter ante pectus pendeat." præscribit Cærem. Episc. Lib. II. cap. 8. n. 14.

[7]) l. c. n. 15.

[8]) p. 2. cap. 10. n. 3.

[9]) Bauldry l. c. n. 2. Conf. Catal. hoc loco §. 2. n. 1.

[10]) S. R. C. die 27. Febr. 1712. in Lunen. Sarzanen. ad 4. n. 3845.

[11]) Cærem. Episc. lib. II. cap. 8. n. 32.

Missalis, si evolvenda sunt, quod etiam alter facere potest, qui a sinistris se subsistit, sed aliquantulum post celebrantem. Ad *Kyrie* capellani cum episcopo ad medium altare revertuntur, et primus, bugiam tenens, evolvit canonis folia, si opus est. *Gloria* non recitant cum episcopo, sed silent, sicut etiam ad *Credo*. Post *Dominus vobiscum* iterum vadunt cum episcopo ad latus Epistolæ et inter Orationes, Epistolam et Graduale eamdem positionem habent ut in Introitu. Si episcopus, dum dicit Epistolam vel aliquem Versiculum, genuflectat, secundus pariter genuflectit, primus autem cum bugia *non* genuflectit, quod semper observare debent, quando genuflectendum est, etiam post Consecrationem.

8. Dicto Graduali secundus aliquantulum retrocedit, ut episcopus in medium altaris procedere possit, accipit Missale cum legili seu cussino et descendit cum primo bugiam tenente de altari, genuflectunt simul in medio altaris in plano et adscendunt ad cornu Evangelii. Secundus deponit Missale super altare et indicat manu dextera aperta principium Evangelii, primus vero bugiam tenens, subsistit a sinistris episcopi. Postquam episcopus ad verba *Sequentia* se signaverit, secundus transit ad dexteram ejus. Finito Evangelio primus bugiam super altare ponit, extremitate dexteræ extensæ initium Evangelii ostendit et Missale utraque manu parumper elevat, ut episcopus principium textus Evangelii commodius osculari possit.

9. Circa finem Evangelii, vel, si dicendum sit Symbolum, post genuflexionem ad verba *Et incarnatus* etc. secundus capellanus de altari a latere descendit, ad credentiam vadit, calicem cum omni ejus apparatu accipit, ad altare redit et illum in latere Epistolæ super altare ponit. Deinde sinistra manu bursam accipit, dextera vero corporale extrahit, bursam versus cornu Evangelii ponit, corporale in medio altari extendit et velum calicis plicat, quod plicatum prope corporale ad cornu Epistolæ collocat vel clerico tradit, qui illud ad abacum

portat. Lecto offertorii versu, pallam sumit de patena, quam episcopo cum osculis porrigit; tunc calicem purificatorio extergit, infundit vinum in calicem, accipit ampullam aquæ, eamque offert episcopo dicens: *Benedicite Pater reverendissime.* Postquam episcopus aquam benedixerit, capellanus infundit paucas aquæ guttas in calicem, abstergit guttas in interiore calicis parte adhærentes, ponit purificatorium super patena, tradit episcopo calicem sub consuetis osculis, et inter calicis oblationem nec manu dextera pedem calicis sustinere nec Orationem *Offerimus* recitare ei licet; tunc calicem palla et patenam purificatorio cooperit.

Si administranda sit communio, secundus capellanus defert pyxidem cum calice ad altare, et finito offertorio eam ponit retro post calicem.

10. Dum episcopus dicit *Veni sanctificator,* secundus capellanus de medio altari sumit canonem et ad cornu Epistolæ pergens tenet elatum ante episcopum inter Psalmum *Lavabo.* Primus bugiam deponit super altare, et accedit ad cornu Epistolæ, ut episcopo mantile porrigat, quando familiares lotionem ministrant.

Episcopo in medium altare reverso ad dicendam Orationem *Suscipe sancta Trinitas,* secundus capellanus canonem sustinet super altare a dexteris episcopi; primus ad sinistram vadit, bugiam accipit, indicat Secretas et folia Missalis evolvit. Oratione supradicta finita, secundus quærit Præfationem in canone, accedit cum eodem ad sinistram primi capellani, qui, dictis ab episcopo Secretis, bugiam deponit, Missale de legili tollit et super altare ponit, accipit a secundo canonem, quem loco Missalis in legili collocat apertum ad Præfationem. Secundus detrahit episcopo pileolum, quem in pelvicula deponit, portat ad abacum et redit ad dexteram episcopi.

11. Ad *Sanctus* inclinationem mediocrem faciunt, sed hymnum non recitant cum episcopo. Duo clerici afferunt intorticia, seu duo familiares Episcopi, vel. iis absentibus, secundus et tertius capellanus supplere pos-

sunt, genuflexi a lateribus, primus vero Episcopo assistit. Si autem nemo adsit, qui sustineat dicta intorticia, poterunt duo cerei majores positi super candelabris magnis accendi, dum elevatur Corpus et Sanguis Domini, et post Communionem exstingui.[12])

Ad *Memento vivorum* primus bugiam super altare locat, et simul cum altero paululum retrocedit; id valet etiam in *Memento mortuorum.* Completo Memento uterque ad locum suum redit, primus bugiam reassumit, officium suum prosequitur, canonis folia vertens.

12. Ad verba *Quam oblationem,* si pyxis cum particulis consecrandis adsit, secundus admovebit eam super corporale versus dexteram episcopi et ipsam discooperiet.

Cum dicit episcopus *Qui pridie* primus bugiam super altare deponit, et simul cum secundo in superiore gradu genuflectit. Inter Hostiæ elevationem profunde se inclinant et planetam attollunt. Hostia consecrata super corporale reposita, Episcopus genuflectit et duo capellani post genuflexionem ab episcopo peractam assurgunt, primus vertit folia canonis, si opus sit, et indicat verba: *Simili modo,* alter detegit calicem, et tunc ambo rursus genuflectunt. Si pyxis adsit, secundus eam cooperiet, antequam calicem detegat, et faciet, ut episcopus illam in loco ponat, ubi erat.

Ad elevationem calicis profunde se inclinant, attollunt planetam ac, dum episcopus calicem super corporale reponit, se erigunt, et postquam secundus palla calicem cooperuerit, genuflectunt simul cum episcopo, et primus reassumit bugiam et vertit folia canonis.

13. Postquam episcopus in fine orationis *Nobis quoque peccatoribus* dixerit: *benedicis et præstas nobis,* secundus capellanus discooperit calicem et cum episcopo genuflexus Sacramentum adorat, et post verba: *Omnis honor et gloria,* calicem palla cooperit et iterum genuflectit simul cum episcopo. In fine *Pater noster* ex-

[12]) Cærem. Episc. lib. I. cap. 29. n. 6. et 7.

tergit patenam et super altare cum purificatorio ipso prope corporale manu dextera sic elatam sustinet, ut pars concava medium altaris respiciat. Deinde patenam, dum episcopo eam porrigit, osculatur, tunc manum episcopi, et purificatorium in altari demittit. Quando episcopus patenam Hostiæ submittit, discooperit secundus calicem et genuflectit, ac post Orationem: *Hæc commixtio*, calicem palla cooperit et simul cum episcopo genuflexus Sacramentum adorat, surgit et ad *Agnus Dei* paululum inclinatus ter percutit sibi pectus. Dat etiam, oratione prima ante communionem finita, instrumentum pacis, si alii episcopi intersunt, osculandum sub verbis: *Pax tecum.* Ante *Domine non sum dignus* et ante sumptionem Sanguinis, postquam calicem discooperuerit, simul cum episcopo genuflectit. Dum episcopus Ss. Corpus et Sanguinem sumit, uterque inclinationem profundam faciunt.

14. Si communio administretur, secundus capellanus post sumptionem Sanguinis calicem palla cooperit ac pyxidem detegit, genuflectit et descendit in superiore gradu a latere Epistolæ, ubi genuflexus *Confiteor* recitat. Primus deponit bugiam super altare et genuflectit in superiore gradu a latere Evangelii, donec episcopus dixerit: *Misereatur* et *Indulgentiam.* Dum episcopus Ss. Sacramentum accipit, primus se erigit, sumit patenam, iterum genuflectit, et verbis *Domine non sum dignus* ab episcopo tertio repetitis, accedit ad ejus dexteram, patenam mento communicantium supponens.

15. Post communionem, vel, si non administretur, post sumptionem Sanguinis, discedunt clerici cum intorticiis et secundus capellanus pileolum in capite episcopi reponit; deinde purificationem et ablutionem episcopo ministrat, primus vero interea canonem in medio altari et Missale in legili reponat et transfert idem in cornu Epistolæ simul cum bugia, in medio altaris in plano genuflectens cum secundo, qui ad latus Evangelii redit. Ablutione sumpta, episcopus lavat manus in latere Epi-

stolæ et familiares lotionem ei ministrant, capellanus vero primus mantile episcopo porrigit.

16. Primus capellanus a dexteris episcopi hæret, accipit bugiam et indicat Communionem et Orationes post Communionem; secundus autem extergit calicem purificatorio, quod extendit super calicem ac desuper patenam et pallam, deinde plicato corporali, quod reponit in bursam, cooperit calicem velo et bursam desuper ponit, defert calicem ad abacum seu credentiam et redit ad sinistram episcopi.

17. Ad benedictionem capellani genuflectunt in pradella et respondent ad *Sit nomen* etc. Benedictione data secundus sumit canonem de medio altari, redit ad cornu Evangelii et tenet canonem super altare a sinistra episcopi, sed primus stat bugiam tenens ad dexteram. Ad *Et verbum caro factum est* solus episcopus genuflectit. Finito ultimo Evangelio canon et bugia super genuflexorio ponuntur.

18. Episcopus de altari descendit simul cum capellanis, qui in plano genuflectunt, dum ipse reverentiam facit; deinde eum paramentis exuunt, nempe manipulo, planeta, stola, cruce pectorali, alba et amictu, et si sit regularis, etiam superpelliceo, et hæc deponunt super altare. In fine episcopus non lavat manus.

19. Postea cubicularius episcopum rursus mozzetta induit et primus capellanus crucem pectoralem imponit et birretum porrigit.

Capellani assistunt episcopo in gratiarum actione, ut in præparatione. Finitis precibus claudunt canonem, quem cum bugia super credentia ponunt.

20. Denique comitantur episcopum ad portam ecclesiæ vel sacristiæ, ut ante Missam factum est.

INDEX

RERUM NOTABILIUM.

P. *indicat paginam*, n. *designat numerum textus*, adn. *significat adnotationes.*

A.

Abbas. In Missa privata tenetur paramenta in sacristia induere p. 8. n. 7. adn. 16. Non potest adhibere duos ministros et quatuor candelas p. 30. adn. 34. in med. Non differt a simplici sacerdote. ib.

Ablutio. Quomodo sumitur in Missa. p. 104. n. 14. In die Nativitatis Domini p. 106. adn. 36. 1.

Ablutio digitorum. In Missa quomodo fit p. 102. n. 13. Quo oco in Missa privata p. 103. adn. 30. in Missa solemni ib. Quomodo agenda, si sacerdos bis celebret eadem die in eadem ecclesia p. 106. adn. 36. 2. Si eadem die in diversis et dissitis ecclesiis celebret p. 107. adn. 36. 3.

Absolutio defunctorum. An corpore præsente sit facienda p. 271. n. 1. et quando p. 272. n. 3. et 4. An corpore absente fieri debeat p. 271. n. 2. An in anniversario p. 271. n. 2.

Acatholici. An pro eis Missæ sacrificium offerri possit p. XXI. An pro defunctis p. XXI.

Actus virtutum. An faciendi sint ante sumptionem Hostiæ in Missa. p. 97. n. 6. adn. 13. post sumptionem Hostiæ p. 98. n. 7. cur p. 100. n. 9. adn. 22. an post sumptionem Sanguinis ib.

A cunctis. Quid notandum circa orationem *A cunctis* p. 50. adn. 26.

Adjutorium nostrum etc. Quomodo distribuenda sunt verba inter crucis signum p. 33. n. 7.

Ad libitum. Notanda circa hanc orationem p. 49. adn. 22. Quomodo intelligendum est verbum *ad libitum.* p. 48. n. 10. et p. 49. adn. 22. Sacerdoti non convenit dicere Orationem *pro seipso,* quando in præsentia prælati vel cleri in choro congregati celebrat. p. 50. n. 11. p. 139. n. 7.

Administrator diœceseos. Ejus anniversarium consecrationis non est celebrandum p. 234. n. 4.

Adoratio perpetua. An causa sufficiens sit ad Missam votivam solemnem celebrandam. p. 194. n. 2.

Agnus Dei. Quomodo dicitur in Missa p. 96. n. 5. adn. 7. et 8. in Missa de Requie p. 129. n. 4. adn. 6. An inclinatio mediocris sit facienda p. 96. adn. 7. In administranda communione idiomate vulgari dici non licet. p. 110. adn. 5.

Alba. Ejus materia p. 5. adn. 10. Modus illam induendi p. 9. n. 10. In albis permittuntur transparentia cum figuris. p. 10. adn. 18.

Alleluja. An et quoties dicatur post Epistolam. p. 54. n. 1. Omittitur post Septuagesimam p. 55. adn. 3. Additur tempore paschali p. 54. n. 1. Etiam post administratam communionem ad Ant. *O sacrum convivium* etc. eodem tempore p. 118. n. 2. In communione distribuenda ante et post Missam de Requie omittitur p. 115. adn. 14.

Altare. An et quæ reverentia altari facienda sit in accessu p. 20. n. 13. et p. 22. n. 14. adn. 20. et 21. in recessu p. 125. n. 4. adn. 8. et 9. Si sacerdos transit ante altare expositionis Ss. Sacramenti p. 16. n. 5. et p. 17. adn. 10. in quo fit elevatio p. 17. n. 6. adn. 12. post consecrationem p. 18. n. 7.; in quo Sacramentum in tabernaculo asservatur p. 18. n. 8. Si sacerdos ad altare pergat pro celebranda Missa, an in via recitare possit *Miserere* p. 16. n. 4. adn. 8. Quomodo se gerere debet, si per ecclesiam obviam ei fiat deferens Sacramentum p. 17. adn. 11. An fiat inclinatio versus crucem in accessu et recessu a medio altaris p. 24. adn. 27. Altare signatur in ultimo Evangelio p. 124. n. 4. An etiam in Missa coram exposito Ss. Sacramento p. 134. adn. 9. An in altari, in quo expositum est Ss. Sacramentum, Missa celebrari possit et quando. p. 226. n. 3. In altari expositionis non licet celebrari Missam de Requie p. 250. n. 4. etiam in aliis ecclesiæ altaribus, si expositio Ss. fiat ex causa publica. ib. De altari, in quo Ss. expositum est, communio non detur. p. 109. adn. 4.

Altare privilegiatum. Missa pro defunctis diebus permissis in isto necessario celebranda est de Requie p. 284. n. 3. Excipiuntur plures casus p. 285. n. 4.

Amictus. Ejus materia p. 5. adn. 10. Modus illum induendi p. 9. n. 9. An crux in medio ejus esse debeat ib. adn. 17. Si crux non adsit in eo, quid. ib.

Ampullæ vini et aquæ, quales p. 65. adn. 11. Quomodo adhibendæ a celebrante et ministro p. 65. n. 9. adn. 13.

Angelicus hymnus *vide Gloria in excelsis.*

Angeli Ss. In eorum Missis dicitur *Credo* p. 58. n. 8. An et quomodo de iisdem Missa votiva dicatur p. 205. n. 1. b. et p. 219. n. 2. d. color in eorum Missis votivis p. 217. n. 1.

Anima ejus et animæ omnium fidelium etc. quando dicendum est in absolutione defunctorum p. 272. n. 5.

Anniversarium Creationis et Coronationis Papæ a quibus et quomodo celebrandum p. 232. n. 2. Missa in anniversario Pontificis celebrari non potest tamquam votiva ib. An commemoratio facienda sit in Missis vivorum et quando ib.

Anniversarium Dedicationis ecclesiæ cathedralis a quibus et quo ritu celebrandum p. 58. n. 9. adn. 14.

Anniversarium electionis et consecrationis episcopi. A quibus celebrari debet cum Missa votiva solemni p. 233. n. 3. et p. 235. n. 6. Quando celebrandum est p. 234. n. 4. Quid, si ea die occurrat, qua de anniversario Summi Pontificis agi debet p. 48. adn. 21. et p. 234. n. 5. In ecclesiis cathedralibus et collegiatis duæ Missæ conventuales cantandæ sunt p. 160. n. 10. An et quando commemoratio facienda sit in Missa p. 48. adn. 21., p. 233. n. 3. et p. 235. n. 7.

Anniversarium defunctorum. Quid p. 265. n. 1. Quis est dies anniversarius ib. n. 2. Quomodo distinguuntur anniversaria ib. n. 3. Debent esse de Requie in cantu fundata ib., p. 267. n. 8. et p. 286. n. 5. a—c. An sacerdos obligationi satisfaciat per Missam dici p. 267. n. 8. et p. 287. n. 5. in fine. Quibus diebus permittuntur p. 265. n. 4. An transferri possint p. 266. n. 5—7. Quando anniversaria non stricte dicta permittuntur p. 268. n. 9—12. et p. 287. n. 5. c.

Antipendium. An in Missis de Requie in altari Ss. Sacramenti coloris nigri esse possit p. 128. adn. 1.

Antistes vide *Episcopus.*

Apostoli. Quomodo Missa votiva celebranda est p. 205. n. 1. c. Tempore paschali ib. De omnibus Apostolis p. 206. c. Color p. 217. n. 2.

Applicatio Missæ quid p. XVIII. n. 1. Fructum medium sacerdos applicare debet p. XIX. n. 2. Quando applicatio facienda ib. n. 3. Valet implicite determinata ib. Si sacerdos plura stipendia acceperit, quomodo facienda ib. Si celebrans contra voluntatem superioris applicare intendat p. XX. Si fructus sacrificii applicatur incapaci ib. An pro excommunicatis applicari possit ib. n. 4. pro hæreticis, schismaticis, infidelibus p. XXI. pro defunctis acatholicis ib. An Missa votiva pro Sponsis eisdem applicari debeat p. 240. n. 7. In die commemorationis omnium fidelium defunctorum Missa pro uno vel pro pluribus applicari potest p. 253. n. 3. In ecclesiis cathedralibus et collegiatis Missa conventualis pro benefactoribus in genere applicanda est p. 153. n. 7. An 2. et 3. Missa pro benefactoribus applicari debeat p. 154. n. 9. A regularibus pro quibus p. 153. n. 7. An et quando parochus Missam pro populo applicare teneatur App. II. p. 165. vide *Missa conventualis, parochialis* et *Obligatio.*

Aqua. An sacerdos aquam benedictam ad januam sacristiæ accipere possit p. 16. adn. 7. Aqua in calicem fundenda, quanta et quomodo p. 65. n. 9. adn. 15. In Missis de Requie p. 128. n. 3. In Missa coram prælato p. 137. n. 4. In purificatione calicis sacerdos sola aqua uti non potest p. 102. n. 12. adn. 27. Cur in ablutione digitorum aqua in majori quantitate in calicem immittatur p. 104. adn. 31. Aqua lotionis corporalis, purificatorii et pallæ in sacrarium vergi debet p. 8. adn. 15.

Aspersio. Quomodo asperguntur sponsi in fine Missæ p. 242. n. 9.

Assistens in Missa privata sacerdotis cæcutientis, quomodo se gerere debeat p. 243. n. 2. Assistentes in Missa privata ab episcopo celebrata App. VIII. p. 304.

Aufer a nobis. Quomodo dicenda p. 35. n. 11. In Missa coram Sanctissimo exposito non est genuflectendum p. 132. adn. 4. et p. 141.

n. 10. Quid faciendum in Missa coram episcopo celebranda p. 137. n. 3. In Missa ab episcopo celebrata canon pontificalis ante Missam a capellano in medio altaris ponitur apertus ad folium, cui impressa sunt verba: *Aufer a nobis* p. 306. n. 3.

Auxiliatorum quindecim Missa prohibita est p. 216. n. 8. De Communi autem Martyrum licet ib.

B.

Beatus. An de Beato non canonizato Missa celebrari possit p. 213. n. 4. An Missa votiva ib. et adn. 22. In ecclesia aliena p. 293. n. 2. d. et p. 298. n. 3. m. In oratorio privato p. 300. n. 6. An Missa Beati ab aliis aut alibi legi possit p. 293. n. 2. d.

Benedicamus Domino, quomodo et quando dicitur in Missa p. 123. n. 3. adn. 2. In Missis votivis p. 223. n. 7.

Benedicat vos omnipotens etc. quomodo dicitur p. 123. n. 3. In Missis coram Ssmo exposito p. 133. n. 8. In Missa coram Episcopo celebrata p. 138. n. 5.

Benedicite canticum in fine Missæ p. 125. n. 4.

Benedictio. Aquæ in calicem infundendæ p. 65. n. 9. In fine Missæ quomodo datur p. 123. n. 3. In Missa de Requie omittitur p. 129. n. 5. In Missa coram Ssmo exposito p. 133. n. 8. In Missa coram episcopo p. 138. n. 5. Post Communionem distributam quomodo fit p. 120. n. 3. adn. 14. non cum pyxide ib. n. 4. adn. 15. non datur communicatis intra Missam p. 111. n. 3. Ante vel post Missam de Requie omittitur p. 115. adn. 14. Benedictio cum Ssmo sub silentio datur p. 127. adn. 12. Benedictio tempestatis quomodo dari possit p. 126. adn. 12. Benedictiones super oblata quomodo fiant p. 68. adn. 24., p. 69. n. 13. adn. 26. et p. 143. n. 19. Quomodo manus tenendæ sunt in benedictionibus p. 31. n. 3. adn. 2.

Benedictio Nuptiarum vide *Nuptiæ, Matrimonium.*

Benedictus qui venit etc. quomodo dicendum p. 74. n. 18. et p. 75. adn. 40. Ad quæ verba crux sibi efformanda ib. An in fine manus jungendæ sint ib.

Binatio. Quid de binatione Missæ parochialis p. 188. cap. VIII. Quid observandum quoad purificationem calicis in secunda vel tertia Missa p. 106. adn. 36. n. 2. et 3.

Birretum. Quando sacerdos caput birreto cooperit p. 13. n. 1. Capite cooperto ad altare procedere tenetur ib. adn. 1. In capite ponendum post genuflexionem factam Ss. Sacramento exposito, dum celebrans accedit vel recedit ab altari p. 17. adn. 10. Quando dandum est ministro ante Missam p. 20. n. 13. Quando accipiendum finita Missa p. 125. n. 4. p. 146. n. 31. Non est ponendum super calicem p. 8. n. 6., p. 14. n. 1. adn. 3. et p. 146. n. 31. Si sacerdos transit ante altare majus, in quo est Sacramentum, birretum non tollit. p. 18. n. 8.

Bugia quomodo tenenda a capellano in Missa privata ab episcopo celebrata p. 305. cap. II.

Bursa. Corporale extra bursam deferri non licet p. 6. n. 4. adn. 13., p. 23. n. 15. Nihil super eam ponendum p. 8. n. 6., p. 14.

n. 1. adn. 3. et p. 146. n. 31. Quomodo et ubi collocanda super altare p. 22. n. 14. Bursa non est benedicenda p. 6. adn. 12. In administranda communione bursa cum corporali adhibenda est p. 117. adn. 4. Decet, ut a sacerdote deferatur ib. Ejusdem coloris esse debet ac stola p. 116. adn. 1.

C.

Cæcutiens. An ei concedatur celebratio Missæ p. 242. n. 1. et 2. Quam Missam celebrare possit p. 243. n. 3—9. In festo Nativitatis Domini tres Missas votivas ei celebrare non licet p. 244. n. 6. In commemoratione omnium fidelium defunctorum tres Missas celebrare potest, ubi tale indultum exsistit ib. Quomodo Missam de Cruce celebrare debet p. 244. n. 7. An episcopus cæcutiens in ordinum collatione Missam de Beata dicere possit p. 244. n. 10.

Cæremoniæ vide *Rubricæ.*

Calix. Quomodo præparari debet ante Missam p. 4. n. 4. ab ipso celebrante ib. adn. 6. debet esse aureus vel argenteus etc. ib. stanneus ib. ex alluminio confectus ib. An ejus cuppa ex auricalcho vel cupro esse possit ib. An per novam deaurationem amittat suam consecrationem p. 5. adn. 6. Calix quomodo accipiendus atque deferendus ad altare a celebrante p. 13. n. 1. adn. 2. Quomodo cooperitur et discooperitur p. 67. n. 11. Ejus oblatio in Missa p. 66. n. 10. adn. 20. Consecratio p. 88. n. 14. et 15. adn. 21—25. Sumptio p. 100. n. 9. adn. 20. Purificatio p. 101. n. 11. et 12. Ablutio p. 104. n. 14. adn. 31. et 32. Velatio p. 105. n. 15. adn. 34. et 35. Calix tenendus est juxta nodum infra cuppam p. 88. n. 15. infra nodum p. 100. n. 9. adn. 20. Quid faciendum, si guttæ vini adhæserint lateribus cuppæ calicis p. 66. n. 9. adn. 16. Si particula hostiæ in sumptione in calice remaneat p. 101. n. 10. adn. 24. Nihil super eum ponendum p. 8. n. 6., p. 14. n. 1. adn. 3. et p. 146. n. 31. Calix tam in principio Missæ quam post communionem velatus esse debet totum in parte anteriori p. 6. adn. 12.

Campanula. Quando et quomodo pulsanda p. 74. adn. 39. Non pulsanda in Missis privatis tempore expositionis Ss. Sacramenti p. 75. adn. 39. et p. 133. n. 6. adn. 7. dum fit aliqua processio per ecclesiam p. 75. adn. 39. si pulsetur vero, ab omnibus genuflectendum ib. Item non pulsanda in Missa celebranda, dum in choro horæ canonicæ cantantur p. 19. adn. 16.

Candelabra quot et quomodo ponenda super altare p. 29. adn. 34. An tempore Missæ et Officiorum aliquo drappo vestiri possint p. 30. adn. 34.

Candelæ quot in Missa privata accendi debent p. 29. adn. 34. in Missa solemni ib. in Missa privata ab episcopo celebrata p. 305. n. 5., in Missa de Requie cum cantu p. 128. adn. 1. Prælati episcopo inferiores non possunt prætendere, ut in ipsorum Missis quatuor lumina accendantur p. 30. adn. 34. Candelæ debent esse ex cera, non ex sevo, nec ex adipe piscium, nec sterincæ ib. Accendendæ sunt primo in parte Epistolæ ib.

Canon. An peccent, qui Canonem semper memoriter recitare solent. p. 27. adn. 18. Quæ actiones faciendæ sunt, antequam incipiatur p. 76 n. 1. adn. 1. An liceat addere in Canone nomen principis p. 78. adn. 3. Ad nomen Sancti, cujus festum celebratur, si in canone nominatur, caput inclinandum est p. 81. n. 6. adn. 8. et p. 91. adn. 6. non autem in Missis de Requie p. 128. adn. 5.

Canticum trium puerorum in fine Missæ p. 125. n. 4.

Cantus. Quæ sunt cantanda in Missa conventuali p. 162. n. 7. Missa conventualis quotidie cantanda est p. 152. n. 6. Si duæ celebrandæ sint, in ecclesiis cathedralibus et collegiatis cani debent p. 157. n. 2. Canonici regulares similiter ad duas Missas cantandas tenentur p. 158. n. 3. Si Missæ votivæ aut anniversaria sint celebranda, nihilominus Missa conventualis cantanda est et quidem solemnius p. 152. n. 6.

Capella vide *Oratorium.*

Capellani Monialium Missam conventualem officio chori conformem dicere possunt et debent, sed ex Missali Romano p. 294. n. 2. e. Quando tenentur p. 295. n. 2. Officium duorum capellanorum in Missa privata ab episcopo celebrata p. 304. cap. 1. et 2. An capellani ad Missam pro populo applicandam tenentur p. 169. n. 1. in fine.

Caput. Ad altare capite cooperto procedendum p. 13. adn. 1. quomodo caput inclinandum p. 15. n. 3. adn. 5. in sacristia ante ingressum ad altare p. 14. n. 2. adn. 4. post Missam p. 125. n. 4. adn. 9. An celebrans, si genuflectere debeat, etiam inclinationem capitis facere teneatur p. 31. adn. 1. et p. 54. adn. 1. An fieri debeat inclinatio capitis versus crucem in accessu et recessu a medio altaris p. 24. adn. 27. Ad nomen Jesu, B. M. V., Sancti, cujus fit commemoratio, et Papæ caput inclinandum est p. 42. n. 5. adn. 7. et ib. n. 6. adn. 9. et 10. An in conclusione Orationum inclinatio capitis perdurare debeat usque ad finem p. 41. adn. 6. vide *Inclinatio, Reverentia.*

Carthusienses monachi cochleari parvo ad miscendam aquam vino in calice utuntur p. 65. adn. 15.

Casula vide *Planeta.*

Celebrans, quæ agere debeat in Missa privata a discessu e sacristia usque ad finem Missæ p. 1—126. *quære per singulas partes Missæ suis locis.*

Cerei quales in Missa p. 30. adn. 34. quot p. 29. adn. 34. In Missa de Requie cum cantu p. 128. adn. 1. In Missa privata episcopi p. 305. n. 5. in eadem Missa ad elevationem p. 309. n. 11. vide *Candelæ.*

Chorus. Sacerdos ad altare pergens capite cooperto chorum salutat p. 19. n. 9. adn. 15. et 16. Regulares choro obstricti ad Missam conventualem quotidie celebrandam tenentur p. 151. n. 4. in fine. Missa conventualis est celebranda choro præsente p. 151. n. 5. Ecclesiæ cathedrales et collegiatæ obligantur quotidie ad chorum p. 149. n. 2.

Ciborium vide *Pyxis.*

Cingulum convenientius debet esse lineum p. 10. n. 10. adn. 19. Potest esse coloris paramentorum ib. adn. 20. Quomodo induitur ib.

Clavis tabernaculi supra bursam poni non potest p. 14. n. 1. adn. 3.

Clementina Instructio quid p. 225. n. 1. Ubi obligat p. 228. n. 4.

Coadjutores an ad Missam parochialem applicandam teneantur p. 169. n. 1. in fine.

Cochlear ad miscendam aquam vino in calice non est prohibitum p. 65. adn. 15. eo utuntur Carthusiani et ecclesiæ in Germania ib.

Collecta quære *A cunctis, Ad libitum, Commemoratio, Oratio.*

Collectio particularum post sumptionem hostiæ p. 98. n. 7. adn. 17.

Color paramentorum p. 12. adn. 23. Color aureus, pro quibus coloribus valet p. 13. adn. 23. Color in Missis defunctorum p. 251. n. 7. et p. 115. adn. 14. In Missis votivis p. 217. A. In expositione Ss. Sacramenti p. 231. n. 13. In administratione Communionis p. 116. n. 1. adn. 1. An antipendium in Missis de Requie in altari Ss. Sacramenti coloris nigri esse possit p. 128. adn. 1.

Coma fictitia an in Missa adhiberi liceat p. 21. adn. 19.

Commemoratio quid p. 42. n. 5. adn. 8. An addi possit alia præter assignatas a Rubrica p. 44. n. 9. adn. 14. In duplici II. classis fit commemoratio de festo simplici tantum in Missis privatis p. 45. n. 9. adn. 15. In Missa conventuali sine cantu in hoc casu omittitur ib. Non debent esse commemorationes numero impares p. 45. adn. 16. et p. 46. adn. 17. Commemoratio imperata in duplicibus I. classis semper, et in duplicibus II. classis regulariter omittitur p. 47. n. 10. adn. 21. Quo ordine fiunt p. 51. n. 15. adn. 27. Si duæ commemorationes similes sint, posterior commutetur p. 53. n. 16. adn. 32. et 33. Quando censentur commemorationes eædem p. 49. adn. 21. in fine. Commemoratio Dominicæ p. 50. n. 11. An in Missis votivis solemnibus locum habeat, et quando sit facienda p. 198. n. 6. et p. 219. n. 3. c. Octavæ p. 50. n. 11. Quando commemoratio pro particulari defuncto in Missa privata fieri potest p. 52. n. 15. adn. 31. Quo loco ib. Commemorationes in Missis votivis privatis p. 220. n. 3. II. Commemoratio Ss. Sacramenti, quando fit in Missa solemni p. 134. adn. 10. in Missa privata p. 135. adn. 10. facienda est in Missa, in qua hostia pro expositione Ss. post Missam consecratur p. 135. adn. 10. in fine. Quomodo fiunt commemorationes in duabus Missis conventualibus p. 160—162. n. 1—6. Commemoratio anniversarii Papæ an et quando facienda sit p. 232. n. 2. electionis et consecrationis episcopi p. 48. adn. 21., p. 233. n. 3. et p. 235. n. 7. Commemoratio pro Sponsis quando et quomodo facienda p. 238. n. 3. An in Vigilia et festo Pentecostes ac duobus sequentibus diebus locum habeat ib. Commemoratio de Spiritu sancto tempore concilii Vaticani quo loco sumenda p. 207. n. 1. d. Commemorationes in Missis defunctorum p. 130. adn. 7. et p. 248. n. 3. Commemorationes a celebrante cæcutiente faciendæ p. 243. n. 4. et p. 244. n. 7. Commemorationes Sanctorum in Canone p. 81. n. 6. adn. 8. et p. 91. adn. 6. quære *Oratio.*

Commemoratio mortuorum in Missa vide *Memento.*

Commemoratio omnium fidelium defunctorum. Quid, si cadat in Dominicam, vel quando eo die occurrit festum duplex p. 252. n. 1.

Omnes Missæ dicuntur de Requie ib. Quid, si hac die occurrat dies obitus p. 252. n. 2. An pro omnibus fidelibus defunctis Missæ applicari debeant p. 253. n. 3. Sine indulto apostolico hac die tres Missæ celebrari non possunt ib. n. 4. An octavæ pro defunctis permittantur ib. n. 5. An hac die Missam pro Sponsis celebrari liceat p. 238. n. 3. adn. 18.

Commemoratio vivorum quære *Memento.*

Commune Sanctorum. An liceat Missam sumi pro libitu p. 2. adn. 3. In Missis votivis p. 213. n. 5. tempore paschali p. 214. n. 6.

Communicantes. Ritus in eo servandus p. 81. n. 6. An recitetur in Missis votivis, si celebrentur infra octavas, quæ habent proprium Communicantes p. 81. n. 7. adn. 9. p. 223. n. 6.

Communicantium ordo p. 110. adn. 6. et in fine hujus libri.

Communio. Ritus communionem distribuendi infra Missam p. 107. n. 1—7. ante et post Missam p. 116. n. 1—4. In Missis de Requie p. 115. adn. 14. cum particulis præconsecratis ib. quot genuflexiones faciendæ sunt p. 108. adn. 1., p. 109. adn. 2. et p. 111. adn. 8. An in distribuenda communione purificatorium adhiberi possit p. 109. adn. 3. an particulas dividi liceat p. 118. ad n. 7. Cui eam sacerdos distribuere potest p. 112. n. 5. adn. 9. Quando administrari licet p. 121. adn. 16. An in nocte Nativitatis Domini ib. Ad altare expositionis Ss Sacramenti non detur p. 109. adn. 4. Ant. *O sacrum convivium* post Communionem distributam est tantum de consilio, non vero de præcepto p. 118. n. 2. adn. 9. Non est dicenda in via, sed postquam sacerdos ad altare reversus fuerit ib. Quomodo detur benedictio post Communionem distributam p. 120. n. 3. et 4. adn. 14. et 15. Si distribuenda sit in Missa privata ab episcopo celebrata p. 311. n. 14. Communio si præbeatur in aliquo altari dum sacerdos accedit vel recedit paratus, non debet permanere genuflexus, donec terminetur p. 17. n. 6. adn. 12.

Communio antiphona quomodo legitur p. 122. n. 1. et p. 145. n. 29.

Conclusio Orationum quomodo dicitur p. 41. n. 4. adn. 3—6., p. 43. adn. 11., p. 142. n. 11. et 12. Modus jungendi manus in earum conclusione p. 41. n. 4. et p. 42. n. 5. An inclinatio capitis perdurare debeat usque ad finem p. 41. adn. 6. In oratione *Deus qui nobis* post Eucharistiam administratam integra conclusio dicitur p. 119. adn. 11.

Concursus populi ratione quando Missa votiva solemnis permittitur p. 196. n. 5. An dicatur Credo et unica Oratio p. 303. n. 11.

Confectio hostiarum vide *Hostia, Renovatio.*

Confessarii Monialium quam Missam celebrare debent p. 294. n. 2. e.

Confiteor quomodo dicitur in Missa privata p. 33. n. 8. in Missa solemni ib. In eo non licet addere nomen alterius Sancti ib. adn. 5. In Missa ab episcopo celebrata *Reverendissime Pater* loco *tibi Pater* dici non licet p. 34. adn. 6. et p. 137. n. 3. adn. 4. Quomodo percutiendum pectus ad verba: *Mea culpa.* p. 34. n. 9. adn. 8.

Conformitas Missæ cum officio confer *Missa in ecclesia aliena.*

Confraternitas. Ob ejus festum Missam parochialem transferri non licet p. 176. n. 9. Sacerdotes confluentes ad festum confraternitatis in Missa privata Credo et unicam orationem dicere non possunt p. 303. n. 11. Festum confraternitatis non est causa sufficiens ad celebrandam Missam votivam solemnem p. 194. n. 2. Ob confraternitatem Corporis Christi in singulis feriis V. Missam votivam de Ssmo celebrari non licet p. 231. n. 10.

Congregatio S. Rituum decreta quam auctoritatem habent p. XIV. n. 3. An obligent in conscientia p. XV. n. 3. An requiratur, ut Romæ vel ab episcopis promulgentur ib. Quid notandum circa decreta in collectione Gardelliniana non contenta p. 3. adn. 4. An observari debeant in casibus similibus p. 279. n. 1.

Consecratio hostiæ p. 83. n. 9. et 10. Quomodo verba consecrationis proferenda sunt ib. Inter consecrationem hostiæ et calicis aliæ orationes, quamvis mentales, non sunt interponendæ p. 87. n. 13. Consecratio calicis p. 88. n. 14. et 15. adn. 21—25. particularum p. 86. n. 11. Patena et calix ab episcopo consecrari debent p. 5. adn. 7. consecratio episcopi vide *Anniversarium, Episcopus.*

Conspicilla an deponi debeant p. 40. n. 2. adn. 1.

Consuetudo quæ excusat a cantanda Missa conventuali p. 152. n. 6. Missa conventualis pro benefactoribus applicari debet, non obstante quacumque, licet immemorabili, consuetudine p. 153. n. 7. Omnis consuetudo ordini horæ pro Missa conventuali statutæ contraria abusus est p. 163. n. 1. Nulla consuetudo Missam parochialem pro populo non applicandi exsistere potest p. 170. n. 2. Omnis consuetudo diebus Dominicis festisque, etiam abrogatis, Missam pro populo non applicandi est illegitima p. 175. n. 6. Non est admittenda consuetudo parochi, Missam pro populo per alium applicandi p. 180. n. 6, 7. et in fine hujus libri. Quid de consuetudine in altari expositionis Ss. Sacramenti celebrandi p. 227. n. 3. a.

Cor Jesu. An de hoc festo Missa votiva celebrari possit p. 209. n. 1. e. et quomodo p. 217. n. 1., p. 218. n. 1. et p. 223. n. 5.

Cor B. M. V. An Missa votiva dici possit p. 210. n. 1.

Corporale. Ex lino esse debet p. 7. adn. 14. benedici debet ib. Celebrare sine corporali vel cum valde immundo, qualis est culpa p. 7. n. 5. adn. 14. et p. 140. n. 5. A quo lavandum est p. 7. adn. 15. Extra bursam deferri non licet p. 6. adn. 13. et p. 23. n. 15. Quomodo extendendum super altare p. 22. n. 14. adn. 23. quando ib. quomodo plicandum p. 105. n. 15. adn. 34. Extensum retineri super altare non potest, donec ab ultimo in altari celebrante reportetur ad sacrarium p. 7. adn. 13. In administratione Ss. Eucharistiæ bursa cum corporali adhibenda est p. 117. adn. 4. Decet, ut a sacerdote deferatur ib. In medio corporalis non debet esse crux p. 8. n. 6.

Corpus tuum Domine etc. quomodo dicitur p. 104. n. 14. adn. 32. si celebrans duas vel tres Missas dicit ib. p. 106. adn. 36. 1. p. 107. adn. 36. 2. et 3.

Credo quomodo dicendum p. 57. n. 7. Quando et quomodo in eo genuflectendum ib. In quibus Missis dicitur p. 58. n. 8. et 9.

adn. 12., 13., 15–17. An dicitur in Missis votivis p. 222. n. 4. In Missa solemni anniversarii episcopi p. 59. n. 9. adn. 16. et p. 233. n. 3. Religiosi in festis principalibus Ordinum et infra eorum octavas possunt addere *Credo*, etiam in aliena ecclesia p. 59. n. 9. adn. 17. et p. 303. n. 10. An sacerdotes confluentes ad festum confraternitatis in Missa privata *Credo* dicere possint p. 303. n. 11.

Crux. Quomodo sibi efformanda a fronte ad pectus p. 31. n. 3. p. 141. n. 9. Si benedicatur alia res ib. adn. 2. Quomodo in principio Evangelii p. 56. n. 3. adn. 8. Quomodo faciendæ sunt cruces super oblata p. 68. n. 12. adn. 24., p. 69. n. 13. adn. 26. et p. 143. n. 19. Quomodo crux facienda est ad: *Adjutorium nostrum* p. 33. n. 7. *Indulgentiam* p. 34. n. 10. in fine *Gloria* p. 38. n. 7. adn. 6. *Credo* p. 57. n. 7. adn. 10. *Sanctus* p. 75. n. 18. adn. 40. ad: *Omni benedictione* p. 90. n. 2. adn. 3. *Da propitius pacem* p. 93. n. 3. adn. 3. et 4. *Pax Domini* p. 95. n. 4. in fine Missæ p. 123. n. 3. In Missa de Requie ad Introitum p. 128. n. 2. adn. 2. Crux requiritur in altari p. 28. adn. 32. Usus parvæ crucis reprobandus est ib. Magna statua Ss. Crucifixi sufficit ib. Estne necessaria, cum expositum est Sacramentum ib. Non est benedicenda de præcepto p. 29. adn. 32. in fine. Quomodo crux facienda in sumptione hostiæ et calicis p. 97. n. 6. et p. 100. n. 9. In elevatione oculorum crux est adspicienda p. 55. n. 2. adn. 4. Quid, si crux sit posita nimis in alto vel nimis in imo ib.

Cuppa quære *Calix*.

D.

Da propitius pacem etc. an infra hæc verba crux facienda sit et quomodo p. 93. n. 3. adn. 3. et 4.

Decreta vide *Congregatio S. Rituum*.

Dedicatio ecclesiæ **cathedralis** confer *Anniversarium*.

Defectus, qui in Missa committi solent p. 139. cap. 17.

Defuncti vide *Anniversarium defunctorum*, *Commemoratio omnium fidelium defunctorum*, *Missa de Requie*.

Deo gratias respondetur post Epistolam p. 54. n. 1.

Depositionis dies quis quoad Missas de Requie p. 254. cap. 3. n. 2. Missa in die depositionis cantata quando permittitur corpore præsente p. 255. n. 3—5. corpore absente et non sepulto p. 256. n. 6. corpore jam sepulto p. 257. n. 7. An differri possit p. 258. n. 8. Potestne legi pro pauperibus p. 260. n. 11. An pro eis celebrari debeat ib. vide *Missa exsequialis*.

De profundis. An hic Psalmus coram Ss. Sacramento exposito dici possit p. 251. n. 5.

Deus, qui humanæ substantiæ etc. quando et quomodo dicitur p. 65. n. 9. adn. 14. et p. 142. n. 15. 7.

Deus, qui inter apostolicos. Hæc oratio in Missis quotidianis pro defunctis semper 1. loco dicitur p. 130. adn. 7.; p. 247. n. 2. c. et p. 248. n. 3. a.

Deus, qui nobis sub Sacramento etc. post Communionem administratam dicitur conclusione integra p. 119. adn. 11.

Deus, veniæ largitor regulariter in Missis quotidianis dicitur p. 250. n. 3. in fine. *Aliquando* ejus loco alia ex diversis subrogari potest p. 130. adn. 7. et p. 249. n. 3. b.

Dies iræ quando dicendum est in Missa de Requie p. 130. adn. 7. II.

Dies 3., 7. et 30. defunctorum. Mysticæ rationes p. 261. adn. 45. A quo die numerari possunt p. 263. n. 2. Missa his diebus quando permittitur ib. n. 3. an transferri possit ib. n. 4. Missa cantata esse debet p. 264. n. 5. An una eademque die prædictæ Missæ cantari possint p. 263. n. 2. et p. 264. n. 7.

Digiti quando et quo loco absterguntur in ablutione p. 104. adn. 32. Quomodo fit ablutio digitorum in Missa coram Ss. Sacramento exposito p. 133. n. 7. adn. 8. quomodo tenendi sunt post consecrationem p. 86. n. 12. et p. 87. in fine. Digiti extergendi antequam accipiatur hostia mox consecranda p. 83. n. 9.

Doctores Ss. In eorum festis dicitur *Credo* p. 58. n. 8. adn. 13.

Dolores VII B. M. V. Missa ut votiva celebrari potest p. 210. n. 1. *a*. Sine sequentia ib.

Domine non sum dignus quomodo dicitur p. 97. n. 6. adn. 11. An inclinatio mediocris facienda sit ib. p. 141. n. 7. 8. An campanula pulsari possit p. 75. adn. 39. et p. 118. adn. 6.

Domine qui dixisti etc. Hanc orationem sacerdos mediocriter inclinatus dicere debet p. 96. n. 5. In Missis de Requie omittitur p. 129. n. 5.

Dominica. Commemoratio Dominicæ numquam omittitur p. 50. n. 11. In Missa Dominicæ infra octavam fit tantum commemoratio octavæ sine tertia oratione ib. Dominica circa ordinem orationum alias præcedit p. 51. n. 15. In omnibus Dominicis recitatur *Credo* p. 58. n. 8. non vero in Dominica anticipata, nec in Missæ Rogationum, si festum S. Marci in Dominicam cadat ib. adn. 11. In Dominica non cantantur duæ Missæ conventuales p. 160. n. 8.

Dominus vobiscum quomodo dicitur in Missa p. 39. cap. 5. n. 1. p. 142. n. 11. An dicatur post Communionem distributam et ante benedictionem cum Ss. Sacramento p. 119. adn. 12.

E.

Ecclesia aliena conf. *Missa in ecclesia aliena.*

Effigies hostiæ imprimenda p. 5. adn. 8.

Elevatio hostiæ p. 85. n. 11. et 12. adn. 17. et p. 144. n. 21. calicis p. 88. n. 16. manuum, quomodo fit ad Gloria p. 37. n. 5. adn. 4. oculorum, quomodo fit p. 55. n. 2. adn. 4. vide *Manus, Oculi.*

Electio vide *Anniversarium.*

Episcopus. Ejus anniversarium electionis et consecrationis quomodo fit p. 233. n. 3. Commemoratio in Missis p. 48. adn. 21. et p. 235. n. 7. Quo die celebrandum p. 234. n. 4. Quid, si ea die

occurrat, qua de anniversario Summi Pontificis agi debet p. 48. adn. 21. et p. 234. n. 5. In canone Missæ exprimendum est nomen episcopi p. 77. n. 2. etiam a religiosis ib. adn. 3. A die captæ possessionis ecclesiæ p. 78. adn. 3. Si sedes vacat p. 77. n. 2. Romæ omittuntur verba: *et Antistite nostro N.* p. 78. adn. 3. Si sacerdos nomen episcopi ignoret ib. Ritus in Missa privata coram episcopo celebrata p. 136. cap. 16. in Missa privata ab eo celebrata p. 305. cap. 2. Episcopus ex jure divino absolute pro populo offerre debet p. 167. n. 2. An episcopus cæcutiens in ordinum collatione Missam votivam de Beata celebrare possit p. 244. n. 10.

Epistola quomodo legitur p. 54. n. 1. An in Missis de Requie ad libitum celebrantis eligi possit p. 245. sequ.

Et incarnatus est quomodo dicitur p. 57. n. 7. adn. 9. et p. 143. n. 12.

Eucharistia confer *Communio.*

Evangelium quomodo dicitur p. 56. n. 4. adn. 8. in fine Missæ p. 124. n. 4. adn. 4. Si Evangelium alicujus Vigiliæ vel feriæ idem est ac Evangelium Missæ, omittitur ejusdem Vigiliæ Evangelium in fine p. 124. adn. 6. In Missis votivis et de Requie semper dicitur ultimum Evangelium S. Joannis p. 223. n. 8. et p. 130. n. 5. Quando in Missis votivis ultimum Evangelium erit de Dominica p. 198. n. 6. In Missis votivis Evangelium festi semper retinendum est p. 214. n. 5. etiam tempore paschali ib. n. 6. An in Missis de Requie Evangelium ad libitum celebrantis eligi possit p. 245. seq.

Excommunicati. An pro vitandis vivis et defunctis Missa offerri possit p. XX. n. 4. an pro toleratis ib.

Expositio Ss. Sacramenti. Ritus in Oratione XL Horarum p. 228. n. 5. Ritus in Missa privata coram exposito Ss. Sacramento p. 131. cap. 15. Missa privata in altari expositionis regulariter non celebretur p. 131. adn. 1. et p. 226. n. 3. Missa votiva solemnis in expositione et repositione Ss. Sacramenti p. 225. n. 3. infra octavam Corporis Christi ib. Missa in expositionibus per annum p. 229. n. 6. In altari expositionis celebrari non licet Missam de Requie p. 250. n. 4. si ex causa publica expositio fiat, Missa de Requie in omnibus ecclesiæ altaribus prohibetur ib. permittitur vero, si ex causa privata ib. Ad altare expositionis non detur communio p. 109. adn. 4. Ab altari expositionis removeri debent tres tabellæ p. 232. n. 4. Usus machinæ non admittitur ib. vide *Commem. Ss. Sacramenti*, *Quadraginta horarum oratio.*

Exsequiæ vide *Missa exsequialis.*

F.

Feriæ majores quæ sunt p. 52. adn. 27. Commemorationes feriarum Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum numquam omittuntur in Missa p. 50. n. 11.

Festa de præcepto quæ p. 172. n. 2. et 3. abrogata p. 173. n. 4. Si festum transferatur, quando Missa pro populo applicanda p. 175. n. 8. et 9.

Flectamus genua in Missa privata quomodo fit p. 44. n. 8. coram exposito Ss. Sacramento ib. adn. 13.

Forma consecrationis p. 87. n. 13.

Fractio hostiæ quomodo fit p. 94. n. 4. adn. 5.

Fragmenta hostiæ adhærentia ante Missam digitis destringenda sunt p. 5. n. 4. Fragmentorum collectio post sumptionem hostiæ p. 98. n. 7. adn. 17. Quid, si fragmentum hostiæ post purificationem in calice vel patena remanserit p. 101. n. 10. adn. 24. et p. 105. n. 14.

G.

Genuflexio. Quomodo genuflectendum p. 31. n. 1. et p. 141. n. 10. Celebrans quomodo genuflectere debet, si transit ante altare, in quo est expositum Ss. Sacramentum p. 16. n. 5. adn. 10. vel in quo fit elevatio p. 17. n. 6. in communione populi ib. adn. 12. ante altare post factam consecrationem p. 18. n. 7. adn. 13. In accessu ad altare, in quo asservatur Sacramentum, genuflectitur in plano p. 22. n. 14. adn. 21. Si elevetur hostia vel calix in alio altari, antequam celebrans incipiat *In nomine Patris*, genuflectere debet in ultimo gradu p. 32. n. 4. In Epistola quomodo fit genuflexio p. 54. n. 1. adn. 1. An post consecrationem genuflectendum sit cum morula p. 85. n. 11. adn. 17. Ad *Verbum caro factum est* p. 124. n. 4. adn. 5. quot genuflexiones faciendæ sunt ante et post Communionem distributam p. 108. adn. 1., p. 109. adn. 2. et p. 111. adn. 8. Genuflexiones in Missa privata coram Ssmo exposito p. 131. cap. 15.

Gloria in excelsis quomodo dicitur p. 37. n. 5. adn. 4. et 5. quando dicitur p. 39. n. 8. infra octavam B. M. V. vel alicujus Sancti ib. adn. 7. In Missis votivis solemnibus pro re gravi dicitur p. 218. n. 2. B. In Missis votivis privatis non dicitur ib. in quibus vero Missis votivis recitatur ib.

Gloria Patri quomodo dicendum est p. 15. n. 3. et p. 33. n. 7. Quando omittitur p. 36. n. 3. et p. 70. n. 14. adn. 29.

Graduale quomodo recitandum p. 54. n. 1.

Gradus. Si altare plures gradus habeat, quid p. 29. n. 18. adn. 33.

Gratiarum actio post Missam p. XXX. V. non omittenda p. 126. n. 12. p. 140. n. 4. An in Missa votiva pro gratiarum actione oratio *Deus, cujus misericordiæ* sub una conclusione dicatur p. 204. n. 1. a.

Gratias agamus etc. quomodo dicendum p. 72. n. 16. adn. 35.

Gregorii S. Missæ impressæ prohibitæ sunt p. 216. n. 8. Triginta Missæ S. Gregorii p. 261. adn. 45. sex p. 262. adn. 45. in fine.

Guttæ calici inhærentes, an extergendæ sint p. 66. n. 9. adn. 16.

H.

Hæc commixtio etc. quomodo dicitur p. 95. n. 4. adn. 6.

Hanc igitur oblationem etc. quomodo recitandum p. 82. n. 8. adn. 11.

Hora celebrandi Missas conventuales p. 162. cap. 4. votivas p. 164. n. 4. communionem dispensandi p. 121. adn. 16.

Horæ canonicæ. Inter eas Missa non celebretur p. 19. adn. 16. et p. 163. n. 1.

Hostia quomodo paranda ante Missam p. 5. n. 4. forma ib. adn. 8. Imago ib. Quomodo offerenda p. 62. n. 5. consecranda p. 83. n. 9. et 84. n. 10. post consecrationem tangenda p. 86. n. 12. frangenda p. 94. n. 4. adn. 5. sumenda p. 97. n. 6. adn. 13. et 14. fragmenta hostiæ, qua diligentia post sumptionem colligenda p. 98. n. 7. adn. 17. Hostia major pro expositione quomodo offerenda et super corporale ponenda p. 63. adn. 8. quando in ostensorio reponenda p. 99. n. 8. Sacerdos graviter peccat, qui hostiam majorem in Missa consecratam in tabernaculo reponeret, et ejus loco sumeret hostiam tabernaculi ib. adn. 19. In Missa, in qua hostia pro expositione Ssmi consecratur, commemoratio de Ssmo Sacramento facienda est p. 135. adn. 10. in fine. Hostiæ consecrandæ seu particulæ, cum paucæ sunt, ubi collocandæ p. 23. n. 16. adn. 25. quomodo offerendæ p. 62. n. 6. et 7. Num consecrari possint particulæ allatæ jam incœpto canone p. 64. n. 8. adn. 7. quomodo consecrandæ p. 84. n. 10. quomodo tegendæ post consecrationem p. 86. n. 11. quando in tabernaculo reponendæ p. 99. n. 8. frequenter renovandæ sunt p. 112. adn. 10. recentes non misceantur cum veteribus p. 114. adn. 10. in fine.

Humiliate capita vestra Deo. Quomodo dicitur p. 122. n. 2. adn. 1.

I.

Imago hostiæ imprimi potest p. 5. adn. 8.

Imperata oratio a Superiore præscripta vide *Oratio.*

Inclinatio triplex: profunda, media et simplex, quid et quando p. 15. n. 3. adn. 5. et p. 140. n. 7. et 8. Posito calice ad latus Evangelii inclinatio non est facienda p. 22. adn. 22. An facienda sit inclinatio, quoties sacerdos vel accedit ad medium altaris vel ab ipso recedit p. 24. adn. 27. Inclinationes intra Orationes quomodo fiunt p. 41. et 42. n. 4. et 5. adn. 6., 7. et 9. An in orationum conclusione inclinatio usque ad finem perdurare debeat p. 41. adn. 6. Inclinationes intra Epistolam et Evangelium p. 54. n. 1., p. 56. n. 4. et p. 43. n. 6. adn. 10. Profunda facienda est: ad *Confiteor* p. 33. n. 8. ad *Munda cor* p. 55. n. 2. adn. 5. ad *Te igitur* p. 76. n. 1. ad *Supplices te rogamus* p. 90. n. 2. Mediocris: ad *Deus tu conversus* p. 34. n. 11. ad *Oramus te Domine* p. 35. n. 1. ad *In spiritu humilitatis* p. 68. n. 12. ad *Suspice S. Trinitas* p. 71. n. 15. ad *Sanctus* p. 74. n. 18. in consecratione hostiæ p. 84. n. 10. adn. 16. et calicis p. 88. n. 15. ad *Agnus Dei* p. 96. n. 5. adn. 7. ad tres Orationes ante communionem p. 96. n. 5. ad *Domine non sum dignus* p. 97. n. 6. in sumptione Hostiæ ib. ad *Placeat* p. 123. n. 3. adn. 3. Simplex a) profunda capitis: ad *Gloria Patri* p. 15. n. 3. In *Gloria* ad verbum *Deo*, *Adoramus te, Gratias agimus, Jesu Christe, Suscipe deprecationem nostram* p. 37. n. 5. adn. 5. et p. 38. n. 7. ad *Oremus* p. 40. n. 3. Ad *Credo* dum dicitur *Deum* et *Simul adoratur* p. 57. n. 7. In præfatione ad *Deo nostro*

p. 73. n. 16. ante utramque consecrationem ad *Tibi gratias agens* p. 84. n. 10. et p. 88. n. 15. ad *Per Christum Dominum nostrum* in fine Memento mortuorum p. 91. n. 3. ad *Benedicat vos omnipotens Deus* p. 123. n. 3. b) Media capitis ad nomen Mariæ p. 15. n. 3. c) minima ad nomen Papæ viventis vel alicujus Sancti ib. In Canone p. 81. n. 6. adn. 8. et p. 91. adn. 6. In fine Missæ caput tantum inclinatur. p. 125. n. 4. adn. 9. Inclinationes faciendæ in Missa coram episcopo celebranda p. 136. n. 2., 3. et 5.

Indulgentiæ in Oratione XL Horarum p. 228. adn. 15.

Indulgentiam, absolutionem etc. quomodo dicitur in Missa p. 34. n. 10. in administranda communione p. 109. n. 1.

Indumentum vide *Paramenta.*

Ingressus ad altare p. 13. cap. 2.

Innocentes Ss. Missa votiva tempore paschali p. 216. n. 23. color p. 217. n. A.

In spiritu humilitatis etc. quomodo dicitur p. 68. n. 12. et p. 143. n. 16.

Instructio Clementina confer *Clementina.*

Instrumenta Passionis. An de eis Missa votiva celebrari possit et quomodo p. 208. n. 1. e.

Intentio requisita pro Missa celebranda non sit facienda ante descensum ab altari p. 28. adn. 31. vide *Applicatio.*

Introitus quomodo dicitur p. 36. n. 2. In Missa de Requie p. 128. n. 2. adn. 2. et 3. in Missis votivis p. 213. n. 5. et p. 218. B. n. 1.

Ite Missa est quando et quomodo dicitur p. 123. n. 3. quando in Missis votivis p. 223. n. 7.

Judica Psalmus quando omittitur p. 33. n. 6. et p. 128. n. 1.

Junctio manuum in Missa quære *Manus.*

K.

Kyrie eleison quomodo recitatur in Missa p. 37. n. 4. adn. 2. et p. 141. n. 11.

L.

Laudes confer *Matutinum.*

Lavabo in Missa quomodo dicitur p. 70. n. 14. adn. 28. in Missa coram Ssmo exposito p. 132. adn. 6. in Missa de Requie p. 128. n. 3.

Libera me Domine etc. quando incipienda est in absolutione ad tumulum p. 272. n. 4.

Libera nos, quæsumus quando incipitur et quomodo recitatur p. 93. n. 2. et 3. adn. 2. et 3.

Lignum S. Crucis. Si reliquiæ Ss. Crucis in altari expositæ sint, quomodo genuflectendum p. 18. adn. 14.

Litaniæ majores occurrentes in die Paschæ transferendæ sunt p. 289. n. 1. quære *Marcus.*

Litaniæ minores vide *Rogationes.*

Lotio manuum ante Missam p. 3. n. 3. adn. 4. quomodo obligat ib. intra Missam p. 70. n. 14. adn. 28. in Missa de Requie p. 128. n. 3. coram Ssmo exposito p. 132. adn. 6.

Lotio corporalium etc. p. 7. adn. 15.

M.

Machinæ usus in expositione Ss. Sacramenti non admittitur p. 232. n. 13.

Manipulus quomodo aptandus p. 11. n. 11. infra cubitum chordulis firmandus p. 11. adn. 21. ab episcopo ultimo loco accipiendus et quidem ad *Indulgentiam* infra Missam p. 307. n. 6. in Missa de Requie quando ib. n. 5. Ejus materia p. 12. adn. 23.

Manus quomodo jungendæ ante pectus p. 30. n. 1. ad *Oremus* ante *Aufer* p. 35. n. 11. ante Orationes p. 40. n. 3. in conclusione Orationum p. 41. n. 4. adn. 6. et p. 42. n. 5. Extensio manuum conjunctionem earum supponit p. 75. adn. 40. Manus non junguntur in fine *Gloria* p. 38. n. 7. adn. 6. *Credo* p. 58. n. 7. adn. 10. *Sanctus* p. 75. adn. 40. Quomodo super altare conjunctæ ponuntur p. 35. n. 1. ad *Oramus te* p. 36. n. 1. *In spiritu humilitatis* p. 68. n. 12. *Suscipe S. Trinitas* p. 71. n. 15. ad *Te igitur* p. 76. n. 1. *Supplices te rogamus* p. 90. n. 2. Infra tres orationes ante communionem p. 96. n. 5. ad *Placeat* p. 123. n. 3. Non ponuntur super altare ad *Munda cor* p. 55. n. 2. ad *Sanctus* p. 74. n. 18. Quomodo super altare extenduntur p. 36. n. 1. post consecrationem p. 86. n. 12. Quomodo extensæ tenentur p. 40. n. 3. post consecrationem p. 87. n. 13. in fine. Quomodo elevantur ad *Gloria* p. 37. n. 5. adn. 4. ad *Credo* p. 57. n. 7. ad *Veni sanctificator* p. 68. n. 12. adn. 23. ad *Sursum corda* p. 72. n. 16. adn. 35. ad *Te igitur* p. 76. n. 1. adn. 1. ad benedictionem in fine Missæ p. 123. n. 3. post communionem distributam p. 120. n. 3. adn. 14. elevatio et conjunctio manuum ad utrumque *Memento* p. 78. n. 3. adn. 4. et p. 91. n. 3. adn. 4. et 5. Manus sinistra, cum dextera aliquid operatur sola v. gr. benedicit, ponitur super altare, super librum aut ad pectus pro varietate circumstantiarum p. 31. n. 3. vide *Lotio manuum.*

Manutergium non super calicem ponendum p. 8. n. 6. et p. 140. n. 6. Cingulo accommodetur, ut foris videri non possit p. 12. n. 13. et p. 140. n. 6.

Marcus S. Missa Rogationum in ejus festo p. 289. n. 1—7. Si S. Marcus patronus sit in ecclesia, ad quam processio ordinata est, quomodo Missa celebranda p. 289. n. 3. Quomodo aliæ Missæ sunt celebrandæ præter Missam processionis p. 291. n. 4. Quæ Missa dicenda est, si transferatur extra tempus paschale p. 205. n. 1. c. vide *Rogationes.*

Maria B. V. Ad hoc nomen fit inclinatio capitis media p. 15. n. 3. An Missæ propriæ de festivitatibus B. M. V. tamquam votivæ celebrari possint p. 209. n. 1. f. quomodo Missæ votivæ B. M. V. celebrari debent ib. infra octavas ejusdem B. M. V. ib. In Sabbato

dicitur Gloria et infra octavas B. M. V. p. 218. B. n. 2. et p. 209. n. 1. f.

Martyres. Eorumdem Missæ votivæ p. 214. n. 6. et 7. tempore paschali ib. n. 6.

Matrimonium. Ejus celebratio a quo fieri potest p. 235. n. 1. ubi celebrandum p. 236. n. 1. ritus p. 241. n. 9. Matrimonia mixta p. 237. n. 2. d. Quo tempore nuptiæ prohibentur p. 236. n. 2.

Matutinum et Laudes. An et sub qua obligatione ante Missam dicenda p. 1. n. 1. adn. 1.

Meditatio in præparatione ante Missam p. XXIII. n. 2. An ante sumptionem hostiæ sit instituenda p. 97. adn. 13. post sumptionem p. 98. n. 7. adn. 16. in gratiarum actione post Missam p. XXXIII. n. 3.

Memento vivorum quomodo fit p. 78—80. n. 3—6. adn. 5. Memento mortuorum p. 91. n. 3. adn. 4. et 5.

Minister unus tantum in Missa privata adhiberi potest p. 20. adn. 18. In Missa parochiali diebus solemnioribus duo ib. Quale peccatum est celebrare sine ministro ib. Ministerio mulieris *urgente necessitate* sacerdos uti potest pro responsis tantum ib. Ministro non licet aperire Missale ante Missam p. 27. adn. 29. Minister non potest calicem præparare et extergere in Missa privata p. 64. adn. 9. Ad offertorium ampullas osculari debet p. 65. adn. 13. Non debet respondere statim post verba: *Orate fratres* p. 72. adn. 33. Ad *Sanctus* et consecrationem campanulam pulsare debet p. 74. adn. 39. In administranda communione primo communicandus est p. 110. adn. 6. Quomodo minister se gerere debet in Missa coram episcopo celebranda p. 136. cap. 16.

Miserere vel aliam orationem inter procedendum ad altare sacerdos non recitet p. 16. n. 4. adn. 8. et p. 140. n. 7. coram exposito Ssmo dici potest et in fine *Requiem æternam*, ubi adest consuetudo p. 251. n. 5.

Missa. Quod formulare dicendum p. 2. adn. 3. Missa propria an ab aliis legi possit p. 301. n. 7. Si Missa propria non sit in Missali p. 302. n. 8. An Missa celebranda sit ad altare expositionis Ss. Sacramenti p. 131. adn. 1. et p. 226. n. 3. b. An Missam interrumpi liceat ob benedictionem tempestatis p. 126. adn. 12. An dici possit in oratorio privato et quando p. 300. n. 6. Quale peccatum, si Missa nimis festinanter legatur p. XXVI. n. 4—11. et p. 139. n. 3. Missæ S. Gregorii. XV Auxiliatorum et de æterno Patre prohibitæ sunt p. 216. n. 8.

Missa de Anniversario pro defunctis vide *Anniversarium*.

Missa conventualis quid p. 149. n. 1. Ubi obligat ib. n. 2. An ad eam regulares obligentur p. 150. n. 4. Debet esse conformis officio p. 155. n. 10. quotidie cantanda p. 152. n. 6. Quando et ubi duæ Missæ conventuales cantandæ p. 157. n. 1. Qui ad eas teneantur ib. n. 2. An regulares p. 158. n. 3. Pro benefactoribus in genere applicanda p. 153. n. 7. An etiam secunda et tertia p. 154. n. 9. A quibus Missa conventualis cantanda p. 153. n. 8. Celebranda choro præsente p. 151. n. 5. An etiam a regularibus ib. Quando legi potest

p. 152. n. 6. Qua hora celebranda p. 162. cap. 4. Quando potest esse votiva p. 155. n. 10. α. et β. Quando de Requie ib. γ. δ. Quæ commemorationes sunt faciendæ, si duæ Missæ conventuales cantandæ sint p. 160 162. n. 1—6. Præfatio p. 161. n. 2. et p. 162. n. 6. Evangelium in fine Missæ p. 161. n. 2. Missa conventualis inter horas canonicas non celebretur p. 163. n. 1. Si parochus sit simul canonicus, eademque die Missam parochialem et conventualem celebrare teneatur, quid p. 185. cap. 6. Missa conventualis non omittitur ob Missam votivam solemnem p. 197. n. 5. et p. 198. n. 6.

Missa in ecclesia aliena. An debeat esse conformis officio celebrantis p. 292. n. 1. Quando celebrans ecclesiæ alienæ se conformare debet ib. n. 2. Quid si celebrans recitet festum de Beato non canonizato p. 293. n. 2. d. Quæ Missa celebranda est a confessariis monialium p. 294. n. 2. e. Missa in oratorio publico p. 299. n. 5. in oratorio privato p. 300. n. 6. Quoties celebrans in ecclesia aliena officio illius ecclesiæ se conformare tenetur, Missa ab eo dicenda est juxta illius Directorium p. 301. n. 7. Quoties celebrat juxta suum Kalendarium, huic sese omnino conformare debet p. 302. n 8. Privilegia regularium quoad celebrationem in eorum ecclesiis p. 302. n. 9.

Missa exsequialis cantata, quando permittitur vel prohibetur corpore præsente p. 255. n. 3—5. corpore absente sed non sepulto p. 256. n. 6. corpore absente et jam sepulto p. 257. n. 7. An differri possit p. 258. n. 8. Quot Missæ permittuntur p. 258. n. 9. Regulares eam possunt celebrare die prima post nuntium acceptum de confratris obitu p. 259. n. 10. Potestne legi pro pauperibus p. 260. n. 11. An pro iis celebrari debeat ib. Tempore Orationis XL Horarum abstinendum est a celebranda Missa exsequiali p. 251. n. 6.

Missa parochialis quid p. 165. Pro Missa parochiali stipendium percipi non potest p. 170. n. 2. An parochi pauperes dispensari possint p. 171. n. 3. Quibus diebus Missa parochialis a pastoribus celebrari debet ib. cap. 3. Diebus festivis p. 172. n. 3. abrogatis p. 173. n. 4. et 5. Qua die celebranda, si solemnitas festi transferatur p. 175. n. 7. si festum solum quoad chorum transferatur p. 175. n. 8. Non licet transferri Missam parochialem ratione confraternitatis vel exsequiarum celebrandarum p. 176. n. 9. Missam applicandi pro populo est obligatio personalis et realis p. 177. cap. 4. Si parochus duas ecclesias regat, quot Missas celebrare tenetur p. 183. cap. 5. Si parochus simul sit canonicus, quid p. 185. cap. 6. Quomodo Missa parochialis a parocho celebranda est p. 187. cap. 7. Quid de binatione Missæ parochialis p. 188. cap. 8.

Missa de Requie. Missæ privatæ ritus p. 128. cap. 14. Quæ omittuntur in hac Missa p. 128. n. 1. n. 3—5. Quot et quales orationes dicendæ sunt p. 129. adn. 7. et p. 248. n. 3. Quando quælibet e quatuor Missis pro defunctis dicitur p. 245. n. 1. et 2. An sacerdos obligatus ad Missam pro defunctis teneatur celebrare Missam de Requie p. 283. cap. 2. Missæ privatæ de Requie quando permittuntur p. 269. n. 1—3. color p. 115. adn. 14. et 251. n. 7. Quid, si celebretur in ecclesia aliena p. 297. n. 3. i. Si communio ante vel post Missam

de Requie distribuatur, benedictio omittitur p. 115. adn. 14. In Missa de Requie benedictio nuptiarum non licet p. 238. n. 3. In altari expositionis, et in aliis ecclesiæ altaribus, si Ss. ex causa publica exponatur, Missa de Requie prohibetur p. 250. n. 4. si vero ex causa privata, in aliis altaribus permittitur ib.

Missa de Requie in diebus 3. 7. 30. p. 261. n. 1. et 2. Rationes mysticæ ib. adn. 45. Quando permittitur p. 263. n. 3. An anticipari vel transferri possit ib. n. 4. Cantari debet p. 264. n. 5. An hæ Missæ uno eodemque die cantari possint ib. n. 7. Unde prædicti dies numerandi sunt p. 263. n. 2. Unde Missæ triginta S. Gregorii originem ducunt p. 261. adn. 45.

Missa Rogationum quæ celebranda ad processionem et quomodo p. 290. n. 6—8. An hæc Missa cantanda sit p. 158. n. 5. et p. 291. n 9. Quid agendum circa Missam et commemorationem Rogationum, si festum occurrens sit duplex I. classis p. 158. n. 5. vide *Rogationes.*

Missa pro Sponso et Sponsa. Quando prohibetur p. 236. n. 2. Quid faciendum in diebus, quibus prohibetur p. 238. n. 3. Quando permittitur ib. In die commemorationis omnium fidelium defunctorum permittitur ib. adn. 18. Quomodo commemoratio facienda est in Vigilia et festo Pentecostes cum duobus diebus sequentibus p. 238. n. 3. in fine. Ritus p. 239. n. 4. An differri possit p. 240. n. 5. An celebrari liceat, si sponsi intra Missam non communicent ib. n. 6. An celebrans Missam pro Sponsis applicare tenetur ib. n. 7. In eadem Missa plures Sponsi benedici possunt p. 241. n. 9.

Missa votiva quid, et quomodo dividitur p. 192. n. 1—4. Causæ ad Missam votivam solemnem celebrandam p. 193. n. 1. ad privatam p. 199. n 1. Causæ non sufficientes ad Missam solemnem celebrandam p. 194. n. 2. Quando permittitur Missa solemnis p 195. n. 3—6. privata p. 200. n. 2. Missa votiva solemnis in Oratione XL Horarum p. 195. n. 4. et p. 225. cap. 5. quomodo celebranda p. 225. n. 3. quando prohibetur p. 226. n. 3. Missa votiva pro pace p. 227. n. 3. b. An Missa votiva in aliis expositionibus infra annum liceat p. 229. n. 6. et p. 230. n. 7—10. Missa votiva pro Sponso et Sponsa p. 235. cap. 7. de Beata a sacerdote cæcutiente celebrata p. 242. cap. 8. Missæ votivæ solemnes post Nonam celebrantur p. 164. n 4. Missæ votivæ solemnes ex speciali indulto p. 198. n. 7. Missæ votivæ privatæ quando prohibentur p. 201. n. 3. An eadem die in eadem ecclesia duas Missas de eodem Sancto cantari liceat p. 203. n. 4. De quibus Missæ votivæ celebrari possunt p. 203. cap. 3. Missa votiva in gratiarum actionem p. 204. n. 1. a. de Ss. Angelis p. 205. n. 1. b., p. 217. n. 1. et p. 218. n. 2. de Ss. Ap. Petro et Paulo seorsum p. 205. n. 1. c. de omnibus Apostolis simul p. 206. n. 1. c. de Spiritu sancto ib. d. An de Inventione et Exaltatione S. Crucis dici possit p. 208. n. 1. e. de instrumentis passionis Domini ib. de tempore et mysteriis ib. quomodo de B. M. V. p. 209. n. 1. f. pro fidei propagatione p. 212. n. 2. An de Sanctis p. 212. n. 3. An de Beatis p. 213. n. 4. Quomodo celebranda est Missa de Sanctis p. 213. n. 5. alicuius Martyris tem-

pore paschali p. 214. n. 6. de omnibus Sanctis p. 215. n. 7. 21. Color in Missis votivis p. 217. A. Quando dicitur *Gloria* p. 218. B. n. 2. *Credo* p. 222. n. 4. Orationes in Missis votivis solemnibus p. 219. n. 3. I. privatis p. 220. II. Præfatio p. 222. n. 5. Communicantes et Hanc igitur p. 223. n. 6. De obligatione celebrandi Missas votivas p. 274. cap. I.

Missale. Quæ requiruntur ad bonum Missale p. 26. adn. 28. An festa Sanctorum et Beatorum, aliquibus locis concessa, corpori Missali inseri possint ib. An celebrare liceat sine Missali ib. Missale ita super altare a ministro ponatur, ut ejus apertura ad cornu Evangelii respiciat p. 27. adn. 29. item in fine Missæ a celebrante claudatur p. 122. n. 3. Quomodo ponendum ad Evangelium p. 55. n. 3. adn. 7. Rubricæ Missalis extra Missam sunt directivæ, intra Missam præceptivæ p. XIII. n. 2.

Missionarii. Qui teneantur ad Missam pro populo applicandam p. 169. n. 1. qui non obligantur p. 170. n. 1.

Moniales non possunt abluere corporalia, pallas, purificatoria p. 7. adn. 15. Post communionem non est danda eis benedictio cum pyxide p. 120. n. 4.

Mulier. Ministerio mulieris celebrans *urgente necessitate* uti potest pro responsis tantum p. 21. adn. 18. in fine.

Munda cor etc. Quomodo dicitur in Missa privata p. 55. n. 2. adn. 5., p. 141. n. 11. et p. 142. n. 13. in Missa coram exposito Ssmo p. 132. adn. 5.

N.

Nativitas Domini. Quid faciendum in 2. et 3. Missa ad Offertorium p. 61. n. 4. adn. 3. et p. 66. adn. 16. in purificatione p. 106. n. 16. adn. 36. Quando tres Missæ conventuales celebrandæ sunt p. 164. n. 3. In Nocte Nativitatis Domini non licet celebrari alias duas Missas p. 62. adn. 3. nec communionem administrari sine indulto apostolico p. 121. adn. 16. et p. 62. n. 4. adn. 3. Qui unam vel duas Missas celebret, quam dicere debet p. 62. adn. 3. Qui ex privilegio in oratorio privato celebrat, potestne ibi tres Missas dicere p. 301. n. 6. Cæcutiens non potest celebrare tres Missas votivas p. 244. n. 6.

Nobis quoque peccatoribus. Quomodo recitatur p. 91. n. 4.

Nomen. In Oratio *A cunctis* nomen Patroni ecclesiæ ad litteram N. exprimendum est p. 50. n. 14. adn. 26. In orationibus patria et cognomina Sanctorum non sunt exprimenda p. 43. adn. 10. 2°.

Nomen B. M. V. an et quomodo Missa votiva celebrari possit p. 210. n. 1. γ.

Nomen SS. Jesu. Missam votivam celebrari licet p. 209. n. 2. b. color. p. 217. A. n. 1.

Non intres cum servo tuo etc. quomodo dicendum in absolutione ad tumulum p. 271. n. 1.

Nuptiæ. Earum benedictio p. 235. n. 1. et 2. An fieri debeat tempore clauso p. 236. n. 2. a. An viduæ conferenda sit p. 237. n. 2. b. an in matrimoniis mixtis ib. d. In Missis de Requie benedictionem recipi non licet p. 238. n. 3. An pluribus sponsis simul in una eademque Missa tribui possit p. 241. n. 8. vide *Matrimonium*, *Missa pro Sponso et Sponsa.*

O.

Obitus dies vide *Depositionis dies*, *Missa exsequialis.*

Oblatio hostiæ et calicis p. 62. n. 5—7. et p. 66. n. 10—11. adn. 19. et 20.

Obligatio Missam conventualem celebrandi p. 149. n. 2. duas conventuales p. 157. n. 2. An regulares ad hanc Missam obligentur p. 150. n. 4. et p. 158. n. 3. Obligatio applicandi Missam pro populo ex quo jure p. 165. cap. 1. qui obligantur p. 168. cap. 2. quibus diebus p. 171. cap. 3. Hæc obligatio est personalis et realis p. 177. cap. 4. Obligatio celebrandi Missas votivas et de Requie p. 274. cap. 1. et p. 283. cap. 2.

Octava. Quæ Missa est celebranda et quomodo, si feria major aut vigilia occurrat infra octavam p. 159. n. 8., p. 162. n. 6. et p. 202. n. 3. d. Missa votiva infra quales octavas prohibetur p. 201. n. 3. An octavæ pro defunctis permittantur p. 253. n. 5.

Oculi demitti debent in ingressu ad altare p. 15. n. 4. ad *Dominus vobiscum* p. 39. n. 1. ad *Memento* Vivorum p. 78. n. 3. ad benedictionem in fine p. 123. n. 3. oculi tenentur intenti ad Sacramentum in elevatione hostiæ et calicis p. 86. n. 12. infra Memento mortuorum p. 91. n. 3. infra *Pater noster* p. 93. n. 1. ad tres Orationes ante Communionem p. 96. n. 5. oculi elevantur: ad *Munda cor* p. 55. n. 2. adn. 4. ad *Suscipe sancte Pater* p. 62. n. 5. ad *Offerimus tibi* in oblatione calicis p. 67. n. 10. *Veni sanctificator* p. 68. n. 12. adn. 23. ad *Suscipe sancta Trinitas* p. 71. n. 15. post *Gratias agamus* ad *Deo nostro* p. 73. n. 16. et p. 143. n. 16. ad *Te igitur* p. 76. n. 1. ante consecrationem hostiæ ad *elevatis oculis* p. 84. n. 10. ad benedictionem in fine Missæ, dum dicitur: *Benedicat vos* p. 123. n. 3.

Offerimus tibi. Quomodo dicitur p. 67. n. 10.

Offertorium junctis manibus dicendum p. 60. n. 1. adn. 1.

Omni benedictione etc. quomodo recitandum p. 90. n. 2. adn. 3.

Oramus te Domine. In Missa privata p. 36. n. 1. coram Ssmo exposito p. 132. n. 4.

Orate fratres in Missa privata p. 71. n. 15. adn. 31. in Missis coram Ssmo exposito p. 133. n. 6.

Oratio. Qualis culpa omissio orationum in induendo vestes p. 3. n. 3. adn. 5. Quomodo dicitur p. 40. n. 3. Quomodo orationes concluduntur p. 41. n. 4. adn. 3—6. p. 43. adn. 11. Quæ et quot dici possunt et debent p. 44. n. 9—10. adn. 15—22. Ordo orationum p. 51. n. 15. Si duæ orationes similes sint p. 53. n. 16. adn. 32. et 33. An orationes imparos esse debeant p. 45. n. 10. adn. 16. et 17. Imperata p. 46. n. 10. adn. 19—21. ad libitum p. 49. adn. 22. *A cunctis* p. 50.

adn. 26. An in semiduplicibus oratio pro defuncto dici possit et quo loco p. 52. adn. 31. Orationes in Missis de Requie quot et quando dicuntur p. 129. adn. 7. Oratio Ss. Sacramenti in Missis coram exposito p. 134. adn. 10. Orationes in Missis votivis solemnibus p. 219. n. 3. I. privatis p. 220. n. 3. II.

Oratio XL Horarum vide *Quadraginta horarum oratio.*

Oratorium publicum, quid p. 299. n. 5. privatum, quid p. 300. n. 6. Quis in eo celebrationem Missæ permittere potest ib. Quibus diebus ib. In Oratorio privato Missa semper concordare debet cum officio celebrantis ib. Qui patronus nominandus est in oratoriis publicis et privatis in oratione *A cunctis*, si patronum non habeant p. 51. adn. 26. in medio.

Oremus quomodo dicitur p. 40. n. 3. ante Offertorium p. 60. n. 1. adn. 1.

O sacrum convivium etc. post Communionem administratam p. 115. adn. 14. et p. 118. n. 2. adn. 8—10.

Osculum altaris quomodo fiat p. 36. n. 1. in Missis coram Ssmo exposito p. 132. n. 4. adn. 5. Celebrans altare osculari debet ad: *quorum reliquiæ hic sunt* p. 36. n. 1. ante *Dominus vobiscum* p. 39. n. 1., p. 60. n. 1., p. 122. n. 1. et p. 123. n. 2. ante *Orate fratres* p. 71. n. 15. initio Canonis post verbum *petimus* p. 76. n. 2. in oratione *Supplices* ad verba: *ex hac altaris participatione* p. 90. n. 2. adn. 2. post orationem *Placeat* p. 123. n. 3. Quomodo patenam sacerdos osculetur p. 94. n. 3. adn. 3. et 4. Evangelium in fine p. 56. n. 5. in Missis de Requie Evangelium non osculatur p. 128. n. 3. adn. 4. Post communionem distributam in benedictione altare non osculatur p. 120. adn. 14.

P.

Palla. Ejus materia p. 5. adn. 10. An permittatur palla a parte superiore obtecta drappo serico p. 6. n. 4. adn. 11. Quid, si palla desit p. 7. adn. 14. Quomodo deponenda p. 61. n. 3. A quo lavanda p. 7. n. 15.

Pallium vide *Antipendium.*

Panem cœlestem etc. quomodo dicendum p. 96. n. 6. adn. 10.

Papa. Ejus nomen in canone exprimendum p. 77. n. 2. adn. 2. Si assistat Missæ, non dicitur ad *Confiteor: Reverendissime Pater* p. 34. adn. 6. et p. 137. adn. 4. vide *Anniversarium.*

Paramenta qualia esse debent et ex qua materia p. 5. adn. 10. et p. 12. adn. 23. ex auro contexta p. 13. adn. 23. Quale est peccatum, cum paramentis laceris et purificatorio et corporali immundis celebrare p. 140. n. 5. et p. 7. n. 5. adn. 15. Paramenta in sacristia servari debent p. 8. n. 7. An sumi possint de altari ib. adn. 16. Quomodo induenda p. 9. n. 9—13. Omissio orationum in induendo paramenta, qualis culpa p. 3. n. 3. adn. 5. vide *Color.*

Parochus quis est p. 168. n. 1. tenetur Missam applicare pro populo ex jure divino p. 165. n. 1—2. ex jure ecclesiastico p. 168. n. 3. Quibus diebus p. 171. cap. 3. Si legitime sit impeditus, quid p. 179. n. 3.

et 4. An per Missam privatam obligationi satisfaciat p. 179. n. 5. et p. 187. cap. 7. An in ecclesia parochiali diebus Dominicis festivisque celebrare teneatur p. 183. f. adn. 9. Quid, si parochus duas ecclesias regat p. 183. cap. 5. si sit simul canonicus p. 185. cap. 6. An ad Missam solemnem aut certa hora celebrandam teneatur p. 187. cap. 7. Si sacerdos supplens vices parochi absentis vel infirmi, quomodo Missam celebrare debet p. 293. n. 2. c. vide *Missa parochialis.*

Particulæ. Quid faciendum, si particula hostiæ calici adhæserit p. 101. n. 10. adn. 24. confer *Hostia.*

Pastores, qui sub hoc nomine comprehenduntur p. 168. cap. 2.

Patena debet esse inaurata et consecrata p. 5. adn. 7. Quo loco ponitur post Offertorium hostiæ p. 63. n. 7. adn. 6. post purificationem calicis p. 102. n. 13. adn. 28. An digiti super patenam abstergantur p. 98. adn. 15. Exstersio patenæ post collectionem fragmentorum p. 98. n. 7. adn. 17. Non potest adhiberi in communione populi p. 109. adn. 3. Pax non est danda patena in Missis pro Sponsis p. 241. n. 9.

Pater noster quomodo recitatur p. 92. n. 1. adn. 1.

Patronus. Ejus nomen exprimendum in oratione *A cunctis* p. 51. adn. 26. In ejus festo dicitur *Credo* p. 59. n. 9. Si festum transferatur, quando Missa ejus votiva solemnis permittitur p. 196. n. 5. Solemnitas in Dominicam transferenda, quid p. 197. n. 6. An in ejus festo Missa prohibeatur in Oratorio privato p. 300. n. 6.

Pauperes non sepeliantur absque Missa p. 260. n. 11. in die obitus pro eis Missam de Requie legi licet ib.

Pax quomodo in Missa privata coram episcopo celebrata danda est p. 137. adn. 10. Missa pro pace in oratione XL Horarum p. 227. n. 3. b. quomodo celebranda ib. Pax in Missa pro Sponsis non est danda patena p. 241. n. 9.

Pax Domini etc. quomodo dicendum p. 95. n. 4.

Pectus quomodo percutiendum ad *Confiteor* p. 34. n. 9. adn. 8. ad *Nobis quoque peccatoribus* p. 91. n. 4. ad *Agnus Dei* p. 96. n. 5. adn. 8. (in Missis de Requie pectus non percutitur p. 129. n. 4. adn. 6.) ad *Domine non sum dignus* p. 97. n. 6. adn. 11.

Per evangelica dicta etc. quomodo dicitur p. 56. n. 5. in Missa coram episcopo celebrata p. 137. n. 4. in Missis defunctorum omittitur p. 128. adn. 4.

Per ipsum etc. quomodo fit p. 92. n. 5.

Per quem hæc omnia etc. quomodo recitetur p. 91. n. 4.

Perspicilla an infra Missam deponi debeant p. 40. n. 2. adn. 1.

Pileolus adhiberi non potest sine indulto apostolico p. 21. n. 13. Quando episcopo detrahendus et reponendus est p. 309. n. 10. et p. 311. n. 15.

Placeat quomodo recitetur p. 123. n. 3. mediocris inclinatio facienda est ib. adn. 3.

Planeta. Ejus materia p. 12. adn. 20. Quomodo induitur a celebrante p. 12. n. 13.

Postcommunio quomodo dicenda p. 122. n. 1.

Præfatio quomodo dicitur p. 72. n. 16. Quæ in Dominicis et infra octavam p. 73. n. 17. et p. 74. adn. 38. In Missis votivis p. 222. n. 5.

Prælati inferiores episcopis sacras vestes ex altari non sumant p. 8. adn. 16. Non prætendere possunt, ut in Missis privatis quatuor candelæ accendantur p. 30. adn. 34.

Præparatio ad Missam p. XXII. n. 1. 2. Qualis defectus cum levi vel nulla præparatione ad Missam celebrandam accedere p. 139. n. 2. Quomodo orationes præparatoriæ ante Missam obligant p. 2. n. 2. adn. 2.

Propagatio fidei. Missa votiva pro eadem p. 212. n. 2.

Processio. Quomodo sacerdos se gerere debeat ad altare pergens, si per ecclesiam obviam ei fiat deferens Sacramentum p. 17. adn. 11. Quid faciendum in processionibus candelarum et palmarum, si occurrat transire ante altare, ubi fit elevatio p. 75. adn. 39. Quando in festo S. Marci processio transfertur p. 289. n. 1. Missa processionis quando et quomodo celebranda p. 290. n. 5—8.

Purificatio calicis quomodo fit p. 102. n. 12. in tribus Missis Nativitatis Domini p. 106. n. 16. adn. 36. in Missa coram Ssmo exposito p. 133. n. 7. adn. 8. pyxidis quando et quomodo fit p. 112. n. 6. adn. 10. et p. 114. adn. 12.

Purificatorium. Ejus materia p. 5. adn. 10. Benedici non debet p. 6. adn. 12. A quo lavandum p. 7. adn. 15. Quomodo super patenam ponendum ante offertorium calicis p. 66. n. 9. adn. 18. quomodo in fine super calicem extendendum p. 105. adn. 34. Non potest adhiberi in distribuenda communione p. 109. adn. 3.

Pyxis. Quo loco in oblatione ponenda p. 62. n. 6. Quomodo consecranda p. 84. n. 10. Quando post consecrationem tegenda p. 86. n. 11. adn. 18. Quoties et quomodo purificari debet p. 112. n. 6. adn. 10. et p. 114. adn. 12.

Q.

Quadraginta horarum oratio quomodo instituenda p. 225. n. 2. Quæ Missæ cantandæ ib. n. 3. Quando Missa votiva de Ssmo prohibetur p. 226. n. 3. Missa votiva pro Pace p. 227. n. 3. b. Indulgentiæ circa hanc orationem p. 228. adn. 15. Tempore expositionis Ssmi pro oratione XL horarum abstinendum est a celebranda Missa exsequiali p. 251. n. 6.

Quam oblationem etc. quomodo recitandum p. 82. n. 8. et 9.

Quatuor Tempora. Quomodo his diebus plures Lectiones in Missa dicuntur p. 44. n. 8. adn. 12.

Qui pridie etc. quomodo dicitur p. 83. n. 9.

Quod ore sumpsimus p. 101. n. 11.

R.

Regulares. In festis principalibus Ordinum *Credo* dici potest p. 59. n. 9. adn. 17. et p. 303. n. 10. In canone Missæ episcopum

loci exprimere debent p. 77. adn. 3. In oratione *A cunctis* patronum sui Ordinis ultra titularem ecclesiæ nominare possunt p. 51. adn. 26. in fine. Possunt celebrare Missam ut in die obitus post nuntium mortis alicujus confratris p. 259. n. 10. Missas de Beatis extra ecclesiam propriam celebrare non possunt p. 303. n. 10. An ad Missam conventualem teneantur et quando p. 150. n. 4. An ad duas Missas conventuales p. 158. n. 3. Quando ad Missam parochialem obligantur p. 169. n. 1. Regularium comitia generalia et provincialia pro electione Superioris inter causas sufficientes numeranda sunt ad cantandam Missam votivam solemnem p. 193. n. 1.

Reliquiæ Ss. Crucis vel pretios. Sanguinis: quæ veneratio iis exhibenda p. 18. adn. 14. In ecclesiis, in quibus reliquiæ insignes alicujus Sancti asservantur, dicitur in ejus festo *Credo* p. 59. n. 9. adn. 15. Quomodo Missa votiva dicenda de Sanctis, quorum habentur reliquiæ insignes p. 214. n. 7. 20.

Renovatio hostiarum p. 112. adn. 10.

Requiescant in pace quomodo dicitur in Missa de Requie p. 129. n. 5. adn. 7. in absolutione ad tumulum p. 272. n. 5.

Reverentia quid p. 14. adn. 4. et p. 15. n. 3. adn. 5. Reverentiæ faciendæ in accessu ad altare et recessu p. 20. n. 13., p. 22. n. 14. adn. 20. et 21. et p. 125. n. 4. adn. 9. in Missa coram Ssmo exposito p. 131. cap. 15. coram episcopo celebrata p. 136. cap. 16. Reverentia in celebratione Missæ præstanda p. XXV. n. 1—11. vide *Genuflexio, Inclinatio.*

Rogationes. Quomodo Missa celebranda p. 290. n. 8. An hæc Missa sit cantanda p. 158. n. 5. et p. 291. n. 9. Quæ Missa celebranda, si fiat vel non fiat processio p. 290. n. 6. Quid agendum circa Missam et commemorationem Rogationum, si occurrat festum duplex I. classis ib. n. 7. et p. 158. n. 5. Quot Missæ conventuales sint celebrandæ, si feria III. Rogationum occurrat festum simplex p. 158. n. 4. Si processio ab ecclesia egredi nequeat, quid faciendum p. 291. n. 10. vide *Vigilia.*

Rorate per Adventum p. 194. n. 2. et p. 199. n. 7.

Rosarii B. M. V. Missa votiva an dici possit p. 210. n. 1. ε.

Rubricæ quid p. XIII. n. 1. quomodo obligant ib. n. 2. et 3.

S.

Sabbatum sanctum. Hac die dicitur *Gloria* p. 39. n. 8. inter Missarum solemnia fideles communionem recipere possunt p. 121. adn. 16.

Sacramentum SS. vide *Communio, Expositio Ss. Sacramenti.*

Sacristia. In ea asservari debent paramenta p. 8. n. 7. Si sit post altare, quomodo egrediendum p. 16. adn. 7. Quomodo inclinandum coram crucifixo in sacristia ante Missam p. 14. adn. 4.

Sanguis. Sumptio ejusdem p. 100. n. 9. adn. 20. an unico haustu sumendus p. 101. n. 10. adn. 23. An post sumptionem Sanguinis me-

ditatio instituenda p. 100. adn. 22. Quæ veneratio reliquiæ pret. Sanguinis exhibenda p. 19. adn. 14.

Secreta quomodo dicitur p. 72. n. 16.

Septem Dolorum B. M. V. Missa votiva an et quomodo dicatur p. 210. n. 1. *a*.

Sequentia. In fine additur Alleluja p. 54. adn. 2. In Missa de Requie quando dicitur p. 130. adn. 7. II. Non dicitur in Missis votivis p. 210. n. 1. *a*. et p. 213. n. 5.

Solemnitas, si transferatur, qua die Missa applicanda est pro populo p. 175. n. 7. et 8.

Spiritus S. Missa votiva p. 206. n. 1. d. commemoratio p. 207. in fine.

Stipendium an pro Missa conventuali accipi possit p. 153. n. 7. et p. 154. n. 9. An parochus pro Missa parochiali p. 171. n. 3., p. 190. n. 4—6. In casu binationis pro secunda Missa stipendium recipi non potest p. 188. cap. 8. Stipendia pro Missa parochiali transmitti non licet p. 182. n. 10.

Stola. Quomodo imponitur p. 11. n. 12. adn. 22. Ejus materia p. 12. adn. 23. In administranda communione extra Missam p. 116. adn. 1.

Sumptio hostiæ p. 97. n. 6. adn. 12. calicis p. 100. n. 9. adn. 20.

Superpellicium. In eo permittuntur transparentia cum figuris p. 10. adn. 18.

Supplices te rogamus quomodo dicitur p. 90. n. 2. adn. 2. et 3.

Supra quæ propitio quomodo recitandum p. 90. n. 1.

Sursum corda quomodo manus elevandæ p. 72. n. 16. adn. 35.

Suscipe S. Trinitas in Missa privata p. 71. n. 15. adn. 30. coram Ssmo exposito p. 132. adn. 5.

T.

Tabella ordinis in Missis votivis servandi p. 224. pro celebratione in ecclesia aliena p. 298. et 299. In omni expositione tres tabellæ ab altari removeantur p. 232. n. 13.

Te igitur quomodo recitandum p. 76. n. 1. adn. 1. et p. 143. n. 18.

Titularis ecclesiæ quære *Patronus*.

Tractus quando dicitur p. 55. adn. 3.

U.

Unde et memores quomodo dicendum. p. 89. n. 1.

V.

Velum calicis debet esse sericum p. 6. n. 4. adn. 12. non est benedicendum ib. Quomodo super calicem ante Missam ponendum p. 6. n. 4. post ablutionem p. 105. n. 15. adn. 34. Quomodo in offertorio plicandum p. 60. n. 2. adn. 2. Velum humerale in processione Ss. Sacramenti p. 232. n. 13.

Veni sanctificator quomodo dicitur p. 68. n. 12. adn. 22. et 23.

Verbum caro factum est quomodo genuflectendum p. 124. n. 4. adn. 4. et 5. et p. 146. n. 30.

Vigilia. Quando Vigilia incidat in festum idem Evangelium habens, ultimum Evangelium Vigiliæ omittitur p. 124. adn. 6. In Vigilia Adscensionis tres Missæ conventuales celebrantur p. 158. n. 6. In quibus Vigiliis cantantur duæ Missæ conventuales p. 159. n. 7. et 8. et p. 162. n. 6. an in Vigilia infra octavam Corporis Christi p. 159. n. 8. In Vigilia Assumptionis et Immacul. Conceptionis B. M. V. quomodo Missa votiva de B. M. V. celebranda p. 202. n. 3. e.

Vinum. Quantitas vini in calicem infundenda in oblatione p. 65. n. 9. in purificatione p. 102. adn. 26. in ablutione p. 104. n. 13. adn. 31.

Vox alta et submissa p. 32. n. 5. Quomodo obligat ib. adn. 4. Voce media dicuntur: *Orate fratres* p. 72. n. 15. *Sanctus* p. 74. n. 18. *Nobis quoque peccatoribus* p. 91. n. 4. *Domine non sum dignus* p. 97. n. 6.

L. J. E. M. S. V.

Errata.

	Emendanda.	Correcta.
pag. 47. lin.	8. ab inf. esti	festi
„ 82. „	14. Dominum	Christum Dominum
„ 119. „	3. 1660.	1663.
„ 167. „	2. ab inf. cp.	ep.

Ad pag. 110. adn. 6. addendum est:

Cum permultis S. R. C. decretis (conf. Gard. Instr. Clement. §. 25. n. 8.) prohibeatur, ne laici tempore cujusvis functionis intra presbyterii altariumque septa ingrediantur, sacerdos ad altaris gradus iisdem communionem dare non potest. Itaque *Cavalieri* tom. IV. cap. 4. decr. 13. n. 25. recte scribit: „Laici nullo modo ad altare, vel intra presbyterium ad communionem admitti queunt, sed extra presbyterium ad cancellos omnino communicandi sunt, et quatenus ad altare, in quo communio distribuitur, cancelli desint, in loco extra altare genuflexi, in quo cancelli poni solent; sacerdotes vero aliive de clero genuflexi ad altaris gradus, cui inserviunt, vel saltem intra presbyterium, quod locus est eorum dignitati reservatus. Hinc ubertim habes intellectum illorum verborum: *vel si commode fieri potest, intra sepimentum altaris sint a laicis distincti;* non enim sensus est, quod etiam laici, licet in loco separato, communicare valeant intra sepimentum altaris, quod ipsis est inaccessum, sed quod clerici, quatenus non communicent ad altare, hanc saltem distinctionem a laicis habere debent, ut communicent intra sepimentum altaris. Quæ omnia suggellat Concilium Toletanum III., quod cap. 17. in specie definiit, communionem cleri faciendam esse intra presbyterium, laicorum extra."

Ad pag. 180. n. 6. adjiciatur:

Item declaravit S. Congr. Concilii die 9. Aprilis 1881. (Acta S. Sed. tom. XIV. fol. 335.) circa eamdem consuetudinem cujusdam diœcesis, et facultatem aliter agendi non concessit; nec obstat, quominus fideles firmiter putent, Missam solemnem semper pro ipsis applicari, ideoque ad eam audiendam libenter confluant.

24254

265.325
AL 28

2 AUTHOR Alphonsus Liguori, Saint.

TITLE Liber de caeremoniis Missae ex Italico idiomate Latine redditus.